




Google


Google


KF
16772

NEDL TRANSFER
HN 4RAE 9


CHRISTO ET ECCLESIAE
LIBRARY
OF THE
HARVARD
UNION
FROM
THE LIBRARY OF
Frederic Saltonstall Gould
CLASS OF 1875
OF SANTA BARBARA, CAL.
GIVEN IN HIS MEMORY
APRIL 1921

use and in this
›uld be studied
.atin, however,
s taught with
h no effort to
ı would attract
ake up out of
committing to
-ed language —
ve or thirteen
introduced to a
, Sallust, Cicero
›ut not likely to
hildren, if such
›n reading Web-

mance, who like
ant of "The Ad-
ed into e
ice to t
into w
ions m
the act
his ma
ead fo
ules w

MOUNT HOPE CLASSICS
VOL. I

PERICLA NAVARCHI MAGONIS

SIVE EXPEDITIO PHŒNICIA ANNIS ANTE CHRISTVM MILLE

Opus Francice scripsit LEO CAHUN, in Anglicum vertit HELENA E. FREWER,
Latine interpretatus est ARCADIVS AVELLANVS

Gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.
Iuv. 12, 82.

PROSTAT

Neo Eboraci,
Sub Nro 37°, Via Wall

New York City
37 Wall Street



Latin Press Printing Co., 336 W. Girard Ave., Philadelphia, Pa.

INTRODUCTION.

The easiest way to learn a language is by its use and in this respect Latin is like other languages, — it should be studied with use, and used with study. In teaching Latin, however, schools follow no such simple methods. Latin is taught with hardly any effort at its use and in most cases with no effort to add to the classical text any reading in Latin which would attract the interest of the young and which they could take up out of class for its own sake. The student begins by committing to memory the many forms and rules of an inflected language — no small task to undertake at the age of twelve or thirteen years, — and through this laborious drudgery is introduced to a small amount of text selected from Cæsar, Nepos, Sallust, Cicero and Virgil — excellent texts for the class-room, but not likely to be read at home for pleasure, except by those children, if such there be, who find entertainment out of school in reading Webster, Burke and Milton.

For children who like fairy stories and romance, who like to read of sea-fights and adventure, this account of "The Adventures of Captain Mago" has been translated into excellent Latin by Dr. Arcadius Avellanus, and my advice to those who take the book up, is — don't turn the reading into work. The Latin is not very difficult. Some of the descriptions may not be easy, but descriptions can be passed over and the action is not hard to follow. After reading a few pages in this manner you will be surprised to find that the book can be read for the sake of the story; go a little further and forms and rules which were

hard to learn from the grammar will have concrete meaning and a familiar air. Long before the end you will like Latin and will begin to find class-room work much easier.

This book is one of several stories which Dr. Avellanus has translated into Latin and which in their manuscript form have together been called the Mount Hope Classics. One of the short stories in this series, Mr. Ruskin's "King of the Golden River" was recently published in pamphlet form under the title "Rex Aurei Rivi" and met with such demand that the small edition was soon exhausted. The present volume which is the first book to be published from the Mount Hope Classics is printed primarily for my own children, but a somewhat larger edition has been published than was ventured when Rex Aurei Rivi was printed, and while this edition holds out copies may be purchased at the address given below.

37 Wall Street, New York City

E. Parmalee Prentice

PRÆFATIO AUCTORIS.

PAGINÆ hicce secuturæ nihil sibi novi, nihil eruditæ disquisitionis, vindicant. Solum earum atque unicum propositum est, imaginem priscorum temporum, ut mundus mille ante Christianum ævum annis exstiterat, adumbrare, popularique, præsertim pro iuventute, sermone summam exhibere notitiarum, rerumque multifariarum, quæ nobis in libris pasim obviam fiunt, qui libri, partim propter caritatem pretii, partim propter rationem abstrusam ac doctam narrationis, plerisque haud patent.

Verendum mihi erat, ne si paginas fictæ huius narrationis, quippe cuius solum propositum est doctrinam *iucunde* impertiri, effusis notis onerarem, totum opus obruerem: licet hic tamen semel memorare, omnia, quæ hic historiam Phœnicum respiciunt, ex uno alterove opere auctorum, a me consultorum, amplissimis argumentis suffulciri posse.

Præcipuorum huius generis auctorum, operumque eorum elenchum hiccc subiungo:

1. *F. C. Movers*, Das Phönizische Alterthum.
2. *E. Renan*, Mission in Phénicie.
3. *Daux*, Recherches sur les Emporia phéniciens dans le Zeugis et le Byzacium.
4. *Nathan Davis*, Carthage and her Remains.
5. *Wilkinson*, Manners and Customs of Ancient Egyptians.
6. *Hoeckh*, Kreta.
7. *Grote*, History of Greece.
8. *Mommsen*, Geschichte der Römischen Republik (Introductio, et Cap. I).

9. *Bourguignat*, Monuments mégalithiques du Nord de l'Afrique.
10. *Fergusson*, Rude Stone Monuments.
11. *Broca*, atque *A. Bertrand*, Celtes, Gaulois, et Francs.
12. *Abbé Bargès*, Interprétation d'une Inscription phénicienne trouvée à Marseille.
13. *Layard*, Nineveh and its Remains.
14. *Botta*, Fouilles de Babylone.
15. *Reuss*, New translation of the Bible.

Denique paucæ notæ ad calcem adiectæ sunt,* e quibus palam esse potest, quid per totum opus fieri potuisset. Appendicem item subnexi sub finem operis, quæ saltem obscuriores passim res illustrent, quas narratio perpetua quodammodo obscuriores reddidit.

* Has notas ista in editione prætermittere, iisque ad textum illustrandum novas sufficere, visum interpreti est.



INDEX CAPITUM.

PERICLA NAVARCHI MAGONIS

CAPUT I

Quamobrem Bodmilcar, nauta Tyrius, Hannonem, scribam Sidonium, oderit.

NAVARCHVS MAGO[1] ego sum, meque artis navigandi peritissimum esse, Hiram,[2] Rex Tyriorum,[3] probè intellexit. Tertio itaque regni sui anno evenit, ut Sidone,[4] oppido piscatorum, capiteque Phœnicum,[5] ad se in regiam, colloquendi causà, me evocaverit. Nimirum de meis longinquis peregrinationibus iam antea certior factus, rite cognovit quemadmodum Melitam[6] viserim, quemadmodum ad Byrsam[7] usque negotia factitaverim, quod quidem oppidum, a Sidoniis conditum, nunc tamen a Tyriis Carthadas[8] appellatur; ac, denique, quemadmodum ad dissitissimas Gades,[9] in regione Tartessiorum,[10] pervenerim.

At lapsu temporis sol gloriæ Sidoniorum inclinare, fortunæque recedere cœperunt. Dum enim Tyriorum navigia longè latèque maria in suam redegerunt potestatem, mercatores eorundem terras quaquaversum peragraverunt. Enimverò Tyriis placuit regem sibi creare, qui per suffetes,[11] vices eius agentes, cætera Phœnicum oppida sibi subegit. Sic igitur fortunæ Tyriorum in

1. Nomen viri; *vide notam* 1 *in fine libri.*
2. Regnavit Tyri ab anno 980, ad an. 947 ante Christum; vide n. 2.
3. De Tyriis; v. n. 3.
4. Urbs maxima, et caput Phœnices; v. n. 4.
5. Canaanitæ, vicini Palæstinæ, v. n. 5.
6. Malta; v. n. 6.
7. Arx Carthaginis; v. n. 7.
8. Carthago; v. n. 8.
9. Cadiz, in Hispania; v. n. 9.
10. Insula Hispaniæ; v. n. 10.
11. Consules; n. 11.

hard to learn from the grammar will have concrete meaning and a familiar air. Long before the end you will like Latin and will begin to find class-room work much easier.

This book is one of several stories which Dr. Avellanus has translated into Latin and which in their manuscript form have together been called the Mount Hope Classics. One of the short stories in this series, Mr. Ruskin's "King of the Golden River" was recently published in pamphlet form under the title "Rex Aurei Rivi" and met with such demand that the small edition was soon exhausted. The present volume which is the first book to be published from the Mount Hope Classics is printed primarily for my own children, but a somewhat larger edition has been published than was ventured when Rex Aurei Rivi was printed, and while this edition holds out copies may be purchased at the address given below.

37 Wall Street, New York City

E. Parmalee Prentice

PRÆFATIO AUCTORIS.

PAGINÆ hicce secuturæ nihil sibi novi, nihil eruditæ disquisitionis, vindicant. Solum earum atque unicum propositum est, imaginem priscorum temporum, ut mundus mille ante Christianum ævum annis exstiterat, adumbrare, popularique, præsertim pro iuventute, sermone summam exhibere notitiarum, rerumque multifariarum, quæ nobis in libris pasim obviam fiunt, qui libri, partim propter caritatem pretii, partim propter rationem abstrusam ac doctam narrationis, plerisque haud patent.

Verendum mihi erat, ne si paginas fictæ huius narrationis, quippe cuius solum propositum est doctrinam *iucunde* impertiri, effusis notis onerarem, totum opus obruerem: licet hic tamen semel memorare, omnia, quæ hic historiam Phœnicum respiciunt, ex uno alterove opere auctorum, a me consultorum, amplissimis argumentis suffulciri posse.

Præcipuorum huius generis auctorum, operumque eorum elenchum hiccc subiungo:

1. *F. C. Movers*, Das Phönizische Alterthum.
2. *E. Renan*, Mission in Phénicie.
3. *Daux*, Recherches sur les Emporia phéniciens dans le Zeugis et le Byzacium.
4. *Nathan Davis*, Carthage and her Remains.
5. *Wilkinson*, Manners and Customs of Ancient Egyptians.
6. *Hoeckh*, Kreta.
7. *Grote*, History of Greece.
8. *Mommsen*, Geschichte der Römischen Republik (Introductio, et Cap. I).

9. *Bourguignat*, Monuments mégalithiques du Nord de l'Afrique.
10. *Fergusson*, Rude Stone Monuments.
11. *Broca*, atque *A. Bertrand*, Celtes, Gaulois, et Francs.
12. *Abbé Bargès*, Interprétation d'une Inscription phénicienne trouvée à Marseille.
13. *Layard*, Nineveh and its Remains.
14. *Botta*, Fouilles de Babylone.
15. *Reuss*, New translation of the Bible.

Denique paucæ notæ ad calcem adiectæ sunt,* e quibus palam esse potest, quid per totum opus fieri potuisset. Appendicem item subnexi sub finem operis, quæ saltem obscuriores passim res illustrent, quas narratio perpetua quodammodo obscuriores reddidit.

* Has notas ista in editione prætermittere, iisque ad textum illustrandum novas sufficere, visum interpreti est.



INDEX CAPITUM.

PERICLA NAVARCHI MAGONIS

CAPUT I

Quamobrem Bodmilcar, nauta Tyrius, Hannonem, scribam Sidonium, oderit.

NAVARCHVS MAGO[1] ego sum, meque artis navigandi peritissimum esse, Hiram,[2] Rex Tyriorum,[3] probè intellexit. Tertio itaque regni sui anno evenit, ut Sidone,[4] oppido piscatorum, capiteque Phœnicum,[5] ad se in regiam, colloquendi causà, me evocaverit. Nimirum de meis longinquis peregrinationibus iam antea certior factus, rite cognovit quemadmodum Melitam[6] viserim, quemadmodum ad Byrsam[7] usque negotia factitaverim, quod quidem oppidum, a Sidoniis conditum, nunc tamen a Tyriis Carthadas[8] appellatur; ac, denique, quemadmodum ad dissitissimas Gades,[9] in regione Tartessiorum,[10] pervenerim.

At lapsu temporis sol gloriæ Sidoniorum inclinare, fortunæque recedere cœperunt. Dum enim Tyriorum navigia longè latèque maria in suam redegerunt potestatem, mercatores eorundem terras quaquaversum peragraverunt. Enimverò Tyriis placuit regem sibi creare, qui per suffetes,[11] vices eius agentes, cætera Phœnicum oppida sibi subegit. Sic igitur fortunæ Tyriorum in

1. Nomen viri; *vide notam* 1 *in fine libri.*
2. Regnavit Tyri ab anno 980, ad an. 947 ante Christum; vide n. 2.
3. De Tyriis; v. n. 3.
4. Urbs maxima, et caput Phœnices; v. n. 4.
5. Canaanitæ, vicini Palæstinæ, v. n. 5.
6. Malta; v. n. 6.
7. Arx Carthaginis; v. n. 7.
8. Carthago; v. n. 8.
9. Cadiz, in Hispania; v. n. 9.
10. Insula Hispaniæ; v. n. 10.
11. Consules; n. 11.

9. *Bourguignat*, Monuments mégalithiques du Nord de l'Afrique.
10. *Fergusson*, Rude Stone Monuments.
11. *Broca*, atque *A. Bertrand*, Celtes, Gaulois, et Francs.
12. *Abbé Bargès*, Interprétation d'une Inscription phénicienne trouvée à Marseille.
13. *Layard*, Nineveh and its Remains.
14. *Botta*, Fouilles de Babylone.
15. *Reuss*, New translation of the Bible.

Denique paucæ notæ ad calcem adiectæ sunt,* e quibus palam esse potest, quid per totum opus fieri potuisset. Appendicem item subnexi sub finem operis, quæ saltem obscuriores passim res illustrent, quas narratio perpetua quodammodo obscuriores reddidit.

* Has notas ista in editione prætermittere, iisque ad textum illustrandum novas sufficere, visum interpreti est.



INDEX CAPITUM.

PERICLA NAVARCHI MAGONIS

CAPUT I

Quamobrem Bodmilcar, nauta Tyrius, Hannonem, scribam Sidonium, oderit.

NAVARCHVS MAGO[1] ego sum, meque artis navigandi peritissimum esse, Hiram,[2] Rex Tyriorum,[3] probè intellexit. Tertio itaque regni sui anno evenit, ut Sidone,[4] oppido piscatorum, capiteque Phœnicum,[5] ad se in regiam, colloquendi causà, me evocaverit. Nimirum de meis longinquis peregrinationibus iam antea certior factus, rite cognovit quemadmodum Melitam[6] viserim, quemadmodum ad Byrsam[7] usque negotia factitaverim, quod quidem oppidum, a Sidoniis conditum, nunc tamen a Tyriis Carthadas[8] appellatur; ac, denique, quemadmodum ad dissitissimas Gades,[9] in regione Tartessiorum,[10] pervenerim.

At lapsu temporis sol gloriæ Sidoniorum inclinare, fortunæque recedere cœperunt. Dum enim Tyriorum navigia longè latèque maria in suam redegerunt potestatem, mercatores eorundem terras quaquaversum peragraverunt. Enimverò Tyriis placuit regem sibi creare, qui per suffetes,[11] vices eius agentes, cætera Phœnicum oppida sibi subegit. Sic igitur fortunæ Tyriorum in

1. Nomen viri; *vide notam* 1 *in fine libri.*
2. Regnavit Tyri ab anno 980, ad an. 947 ante Christum; vide n. 2.
3. De Tyriis; v. n. 3.
4. Urbs maxima, et caput Phœnices; v. n. 4.
5. Canaanitæ, vicini Palæstinæ, v. n. 5.
6. Malta; v. n. 6.
7. Arx Carthaginis; v. n. 7.
8. Carthago; v. n. 8.
9. Cadiz, in Hispania; v. n. 9.
10. Insula Hispaniæ; v. n. 10.
11. Consules; n. 11.

diem augescere cœperunt, unde factum est, ut nautæ, mercatoresque ex oppidis Sidon, Gebal, Arvad, atque Byblo,[1] Tyrum confluerent, ibique suis cœtibus, mercatorumque collegiis, iam tum summa potestate pollentibus, societate se iungerent.

Quum ego itaque Regi Hiram obsequii præsto officia, ipse me edocet, amico et socio suo Davidi, Regi Iudæorum, in votis esse, ad condendum Deo suo Adonai[2] templum, materiam undique comparare, Hierosolymaque,[3] urbem suam, convectari curare, sibi vero in animo esse, regiá munificentiá ad molimentum omnem opem atque operam conferre. Proinde, Rex suadet mihi, ut suis sumptibus, aptam classem comparem, iter Tartessum suscipiam, copiam argenti, aliaque quælibet rara, pretiosaque eius regionis producta conquiram, quæ ad templum illud adornandum sumptuosissima, et maxime accommodata esse videantur.

Quandoquidem desiderio revisendæ Tartessi, regionumque Occidui utique perquam ardebam, propositum Regis peravide amplector, eumque certiorem reddo, non plus temporis me mihi sumpturum quam quod ad comparandam, instruendamque classem, et ad conducendas operas,[4] sufficere iudicavero.

Ad Festum Vernum, quo tempore navigatio annue instaurari solet, duo usque menses supererant. Hoc temporis intervallum mihi affatim sufficiebat, nam, præterquam quòd iussu Regis prius Ioppam[5] navigare, illinc autem, ad excipienda Regis Davidis mandata, Hierosolyma proficisci debebam, opus in præsentia non erat, ut præter mea navigia nautasque, ullius rei curá tenerer; satis enim mihi constabat fore, ut frugum, militumque ferax Iudæa mihi copiam victús militumque suppeditatura esset.

Tam pronas aures suis præceptis me præbuisse Regi pergratum erat. Quapropter ærarium[6] suum mihi mille siclos[7] ar-

1. Nomina oppidorum; n. 12.
2. Domino; n. 13.
3. Urbs in Palæstina; n. 14.
4. Laboratores.
5. Jaffa, portus Palæstinæ; n. 15.
6. Pecuniæ custos.
7. Pecunia Iudaica, circiter $0.65; n. 16.

genteos statim adnumerare iussit, ut instantibus indigentiis meis consulere possem; præfectis autem armamentarii[1] demandavit, ut, si quo ligno, cannabi, aut ære indigerem, eorum voluntate inde tollere possem.

His peractis, Regi valedixi, meque ad scribam meum Hannonem, gubernatoremque Himilconem[2] contuli, iste enim alter cunctis in meis peregrinationibus comes mihi esse consuevit. Hi, dum ego apud Regem morabar, in scamno, iuxta portam regiæ[3] sedentes me præstolabantur, de causis disputantes, quæ animum Regis inducere videbantur, ut nos Sidone accersi iussisset; unde haud perperam coniectabant quoddam cœptum impendere, ac discrimina, ipsis haud ingrata, sublatere. Quamobrem, simulac vultum meum lætitiæ æstu rubentem conspicantur, Hanno

"Salve," inquit, alacri voce, "Here redux! Pro certo auguror Regem aliquod cordis tui votum præstitisse."

"Probe, Pol, hariolaris" inquam, "et quid tu id esse putas?"

"Fortasse" ait ille, "nova sufficietur navis ei, quam in Syrti Maiori[4] amiseras; atque, insuper, vectura non spernendæ molis; quisnam Sidonius hoc amplius speret?" Tum ego:

"Scite" inquam, "mi Hanno, coniectas; tamen et aliquid aliud præterea. Verum bona nostra fortuna etiam postulat, ut vota nostra extemplo persolvamus. Festinemus itaque ad fanum Astartes,[5] reddamus Divæ grates, eiusque tutelam nobis Ioppam tendentibus efflagitemus. Ioppam enim navigabimus, illinc autem Tartessum."

"Tartessum!" velut echo lætabunda resonabat vox Himilconis, ad cœlum levato uno oculo, siquidem alterum prœlio navali amiserat. "Siccine, Tartessum?" iterum clamitat, "O Dii fatorum navium arbitri, vos, o sidera, quæ in stega excubans toties lustrare consuevi, en vobis senos siclos paratos offero, non enim plures suppetunt. Verum conferte me Tartessum, faci-

1. Ubi arma fiunt; *demando* = impero.
2. Nomina virorum; n. 17.
3. Palatium Regis.
4. Sinus Maris Tripolitani.
5. Nomen Deæ Veneris Phœnicum, Dea navigationis; n. 18.



diem augescere cœperunt, unde factum est, ut nautæ, mercatoresque ex oppidis Sidon, Gebal, Arvad, atque Byblo,[1] Tyrum confluerent, ibique suis cœtibus, mercatorumque collegiis, iam tum summa potestate pollentibus, societate se iungerent.

Quum ego itaque Regi Hiram obsequii præsto officia, ipse me edocet, amico et socio suo Davidi, Regi Iudæorum, in votis esse, ad condendum Deo suo Adonai[2] templum, materiam undique comparare, Hierosolymaque,[3] urbem suam, convectari curare, sibi vero in animo esse, regiá munificentiá ad molimentum omnem opem atque operam conferre. Proinde, Rex suadet mihi, ut suis sumptibus, aptam classem comparem, iter Tartessum suscipiam, copiam argenti, aliaque quælibet rara, pretiosaque eius regionis producta conquiram, quæ ad templum illud adornandum sumptuosissima, et maxime accommodata esse videantur.

Quandoquidem desiderio revisendæ Tartessi, regionumque Occidui utique perquam ardebam, propositum Regis peravide amplector, eumque certiorem reddo, non plus temporis me mihi sumpturum quam quod ad comparandam, instruendamque classem, et ad conducendas operas,[4] sufficere iudicavero.

Ad Festum Vernum, quo tempore navigatio annue instaurari solet, duo usque menses supererant. Hoc temporis intervallum mihi affatim sufficiebat, nam, præterquam quòd iussu Regis prius Ioppam[5] navigare, illinc autem, ad excipienda Regis Davidis mandata, Hierosolyma proficisci debebam, opus in præsentia non erat, ut præter mea navigia nautasque, ullius rei curá tenerer; satis enim mihi constabat fore, ut frugum, militumque ferax Iudæa mihi copiam victús militumque suppeditatura esset.

Tam pronas aures suis præceptis me præbuisse Regi pergratum erat. Quapropter ærarium[6] suum mihi mille siclos[7] ar-

1. Nomina oppidorum; n. 12.
2. Domino; n. 13.
3. Urbs in Palæstina; n. 14.
4. Laboratores.
5. Jaffa, portus Palæstinæ; n. 15.
6. Pecuniæ custos.
7. Pecunia Iudaica, circiter $0.65; n. 16.

genteos statim adnumerare iussit, ut instantibus indigentiis meis consulere possem; præfectis autem armamentarii[1] demandavit, ut, si quo ligno, cannabi, aut ære indigerem, eorum voluntate inde tollere possem.

His peractis, Regi valedixi, meque ad scribam meum Hannonem, gubernatoremque Himilconem[2] contuli, iste enim alter cunctis in meis peregrinationibus comes mihi esse consuevit. Hi, dum ego apud Regem morabar, in scamno, iuxta portam regiæ[3] sedentes me præstolabantur, de causis disputantes, quæ animum Regis inducere videbantur, ut nos Sidone accersi iussisset; unde haud perperam coniectabant quoddam cœptum impendere, ac discrimina, ipsis haud ingrata, sublatere. Quamobrem, simulac vultum meum lætitiæ æstu rubentem conspicantur, Hanno

"Salve," inquit, alacri voce, "Here redux! Pro certo auguror Regem aliquod cordis tui votum præstitisse."

"Probe, Pol, hariolaris" inquam, "et quid tu id esse putas?"

"Fortasse" ait ille, "nova sufficietur navis ei, quam in Syrti Maiori[4] amiseras; atque, insuper, vectura non spernendæ molis; quisnam Sidonius hoc amplius speret?" Tum ego:

"Scite" inquam, "mi Hanno, coniectas; tamen et aliquid aliud præterea. Verum bona nostra fortuna etiam postulat, ut vota nostra extemplo persolvamus. Festinemus itaque ad fanum Astartes,[5] reddamus Divæ grates, eiusque tutelam nobis Ioppam tendentibus efflagitemus. Ioppam enim navigabimus, illinc autem Tartessum."

"Tartessum!" velut echo lætabunda resonabat vox Himilconis, ad cœlum levato uno oculo, siquidem alterum prœlio navali amiserat. "Siccine, Tartessum?" iterum clamitat, "O Dii fatorum navium arbitri, vos, o sidera, quæ in stega excubans toties lustrare consuevi, en vobis senos siclos paratos offero, non enim plures suppetunt. Verum conferte me Tartessum, faci-

1. Ubi arma fiunt; *demando* = impero.
2. Nomina virorum; n. 17.
3. Palatium Regis.
4. Sinus Maris Tripolitani.
5. Nomen Deæ Veneris Phœnicum, Dea navigationis; n. 18.

teque ut mihi obviam sceleratus ille occurrat, cuius lancea me oculo orbavit, iam ego pulchre faciam ut mucronem pugionis mei Chalcidici[1] sub ima costa sua terebrare sentiat; præterea etiam bovem in hostiam vobis voveo, eximiorem Api,[2] fatuorum Ægyptiorum Deo."

Hanno minus æstuabat. "Ex mea parte" inquit, "satis existimabo, si ex ærumnosa lorá[3] Iudaica, vilibusque mercimoniis Sidonicis, tantum mihi cambire[4] contingat, ut commodum argenti cumulum aggerere valeam. Ac tum mirum quam lubebit villam in littore condere, ubi celocem[5] meam, purpureis velis actam, æquora perarantem contemplando, licebit vitam luxu lautam degere."

"Memineris attamen" eum moneo, "priusquam detur vitam luxu tumentem in ædibus refulgentibus otio agere, haud dubie nobis instare sortem, ut noctes, nec paucas, sub dio, asperiori sub cœlo Occidentis agamus; nec semel famem nostram ut tenui victu, arido crustulo expleamus, antequam eo genere vitæ opiparæ potiaris." Ad hæc ille:

"Eo" inquit "iucundius erit in præterita respectare; et quum licuerit in nostris sumptuosis pulvinaribus reclinare, atque tum memoriam discriminum recolendo, tum auscultantibus ea hospitibus repræsentando, geminá frui voluptate."

Sermocinationes istiusmodi nos detinebant usque eò dum ad cupressetum pervenimus, cuius e medio argentatum templi Astartes tectum emicabat. Ædificium, iubare solis, ad Occasum vergentis coruscum, obliquos Phœbi radios, ex inauratis pinnaculis quæ graciles pilæ sustinebant, prorsum refundens, fulgoris pompá renidebat. Circum, in luco, sacræ volitabant palumbes, quæ luci sacra loca subinde ambientes, in perticis inauratis, pilas columnasque constringentibus conquieverunt. Passim greges puellarum in luco conspiciebantur, quæ in stolis albis, purpure aut argento patagiatis, partim mala granata pro sacrificio

1. Oppidum in Eubœa (Negroponte); n. 19.
2. Bos, Deus Ægyptiorum; n. 20.
3. Vinum minus bonum; n. 21.
4. Merces emutare, non vendere; n. 22.
5. Navicula celerior, pro luxu.

in templum deferebant, partim animi causa spatiari videbantur. Quandoque, quum fores templi patefiebant, e longinquo concentus sistrorum, tibiarum, et cithararum, quibus sacerdotes laudes Deæ celebrabant, exaudiebantur. Hi moduli, numerique concentus ac musicæ, quibus lenis palumbum gemitus sese immiscebat, tum etiam securarum[1] virginum soluti cachinni inter hæc resonantes tales fuerunt, ut sonitus in arcanum quoddam murmur suaviter conflueret, nec facile fieri poterat, ut animos nostri similium præteriret, quorum aures, his insuetæ, haud unquam aliud, magisque concinnum, quam navium stridorem, gemitum fluctuum, atque ventorum boatum percipere consuevissent.

Interim ego cum Himilcone consultum adivi elenchum, qui pretia hostiarum ferebat. Hæc pretia tabulis æneis erant insculpta, quæ tabulæ ad dextrum in introitu ad vestibulum templi basi marmoreæ ingentis palumbis erant affixæ. In sacrificium placuit mihi aliquot fructus, unamque placentam eligere, quorum pretium unum siclum non excedebat; ubi autem me converto, ut Hannonem advocem, ecce obviam mihi fit aliquis, tenui ac squalidá nautarum tunicá indutus, qui celeri gradu, maledicta mutiens, versus me festinavit.

"Sic me Báal Sámaim, dominus cœli!"[2] haud mei conscius exclamo; "nonne iste Bodmilcar Tyrius est?"

Is protinus subsistit, me ictu oculi agnoscit, et inter nos salutem damus et reddimus.

Bodmilcar, quem sic necopinato conveni, unus erat e veterioribus meis comitibus. In expeditionibus meis bellicis atque mercatoriis sæpenumero solebat ad latus meum uni alterive navi præesse. Is iam et Himilconi notus erat, atquc una stupebamus, ac miserti sumus status eius, in quo sese visui nostro sistebat.

"Quid, malum," inquam impatiens, "te in hunc statum redegit? Namque tu olim Tyri dominus esse solebas aliquot gaulorum,[3] ac minimum quaternarum barcarum;[4] narra, sodes,

1. Sine cura.
2. Vide Notam 23.
3. Navis maior, biremis; n. 24.
4. Navis minor, suppetiaria; n. 25.

quid mali te afflixerit, ut te nunc hic, tamquam mendicum, vix chitonetá[1] indutum inveniamus?"

"Moloch[2] mactet, et in ima perdat damnosos Chaldæos!" furens halitat Bodmilcar. "Ut galliniceps Nergal[3] suus excruciet eos cunctos, ut urat assetque universos! Historia mea relatu brevis est. Auditedum! Vecturam habebam mancipiorum. Nunquam ulla vectura huic fuit comparanda, sub velis dumtaxat Tyriis. Alveus gauli mei Tyrii viros ferebat Caucasios, boum instar fortes, ac puellas Græcas, rectas et graciles, tamquam arundines; erant, insuper, Iudæi, qui vitis plectendæ, agrorumque culturæ gnari fuerunt. Hi omnes pretio ne æstimandi quidem erant."

"At vero, amice, Bodmilcar," quæro ex eo, "ubinam sunt isti omnes? Anne te numerus siclorum male venditæ mercis fefellit?"

"Ubi sint? ubi sint nunc?" vagit ille furens, "Omnes et singuli eorum in itinere sunt versus aliquod oppidum Chaldæorum, quos Dii perdant, trans Rehoboth. Loco autem siclorum sustinui calceorum ictus, liventesque plagas, quarum vestigia diu gesturus sum. Suffes quidem Navalis dedit mihi aliquot gerá-as,[4] ut ærumnam dumtaxat prævertere possem, alioquin ne micam quidem ad sustinendam vitam comparare potuissem. Tertius iam est dies ex quo Tyrum perveni, et ad hoc iter emetiendum tantum itavi, ut pedes omnino contumuissent, ac vix etiamnum par movendo essem."

"Ain' tu," quærit Himilco," pedibus te huc venisse? Certe Hercle, poteras quoddam navigium, quod te huc deveheret, reperire."

"Navigium!" gannit subindignans Bodmilcar. "Ex quonam est moris in arido navibus vehi? Nonne prædico me ex Rehoboth, terra Chaldæorum, qui male pereant, huc venisse? Audi tamen me ex integro, tum futurum scio ut mihi compatiaris. Præ primis iter secundum littora occepi: a Philistinis mancipia

1. Tunica nautarum Phœnicum; n. 26.
2. Deus Ammonitarum; n. 27.
3. Deus Samaritanorum; n. 28.
4. Una vigesima pars sicli; n. 29.

ex Caucaso comparavi. Fortunæ meæ erant paratæ. Iam domum tendebam, Phasimque in littore Chalybæo appropinquabam, quum Dii quidam alieni, quòd persuasum mihi est nec Melcarth, nec Moloch talem esse, ut nautam Tyrium hunc in modum tractent, Dii, inquam quipiam alieni sævam nobis immiserunt tempestatem. Cunctis nervis intentis, nautarum catervam perinde ac vecturam humanam satis feliciter servavi, attamen principem mercium partem amisi, naviculæ autem meæ misellæ ad exitium erant quassatæ. Una tantum via salutis, præterea nihil erat reliqui, nimirum, ut quod mihi supererat, per Armeniam et Chaldæam, pedibus traducerem, ea spe fultus, ut eo itinere alicubi mercatoribus occurrerem, iisque mancipia mea divenderem. At Dii ne nunc quidem mihi propitios se præbuerunt. Nimirum turba Chaldæorum nos adorta est. Nos quinquaginta armati ad catervam quadringentorum mancipiorum tuendam non sufficiebamus; quæ ut erat misera et improba, nullo pacto, nec plagis, nec precibus permovenda erat, ut ad se vindicandum vel digitos saltem porrigeret. Eo proinde ventum est, ut facile opprimeremur, atque ego, cum meis una captus, abducerer. Chaldæi nos regi Ninive vendere parabant, me autem, partem meæ ipsius vecturæ factum, stupebam."

"Verumtamen, ecce te salvum! Quí id còntigit?" interrogo veterem socium, "ut manus captorum effugeres? narra, sis, nobis."

"Captores mei" pergit ille, "et explorare me, et vincire neglexerunt. Ipsa, itaque, prima nocte interluni, aliquot lurcones, custodes meos, loquelis oblectabam, fabulas ipsis texendo de colubris Libycis, deque incolis Tartessi, oribus medio in pectore hiantibus, oculisque in extremis digitis sitis, atque hi ore patulo mendacia excipiebant, quibus aures sedulo offundebam, iisque adeo erant intenti, ut muneris sui prorsus essent immemores. Occasione usus, primum unius alvum sicá meá confodio, alterum autem iugulo, et confestim effugio. Celeri pede elapsus, Moloch sint grates, nebulones omnino evasi. At nunc, quum iam hic sum, Diis solis notum quid de me fiat. Si munere gubernatoris potiri nequivero, vices nautæ Tyrii gregarii me obire oportebit."

"Non oportebit, Bodmilcar," aio ego, "tempore maxime op-

portuno nobis occurristi. Sint Astarti grates, ille tu ipse es, quo maxime indigeo. A Rege mihi demandatum est, ut classem Tartessum navigaturam instruam; expeditioni ipse præsum, sicque licet mihi alterum a me præfectum te creare. Gubernator meus Himilco est, hic autem est Hanno, scriba meus; nunc autem in itinere sumus ad templum Deæ, et iam intrabimus ædem, ut coram Dea pactum litteris mandemus." Tum Bodmilcar:

"Dii te ament, Mago chare!" gratus respondet, "omnes Superi æquas tibi referant vices. Si mihi dabitur tecum Tartessum navigare, iniurias, mihi a Chaldæis illatas, haud ægre tulero. Modo Melcarth siverit ut idonea navis nobis contingat, Himilcone duce iter nobis prospere cedet, etiamsi ad ultimas mundi oras eundum sit."

Hanno, qui se interea nobis adiunxerat, e balteo suo atramentarium calamosque exprompsit, item cotem ad hos acuendos, in gradum templi consedit leges pacti litteris mandaturus, quibus ego præfectus classis creabar, Bodmilcar vicarius præfectus, Himilco autem gubernator princeps. Hoc facto, ego et Himilco sigilla nostra affiximus documento, quod et Bodmilcar facturus erat, et sigillum suum, vix sibi conscius, apud se quæritabat, quum demum illi incidit sibi id a Chaldæis ereptum fuisse. Itaque ego illi vicenos siclos obtuli, quibus et novum sigillum, et quædam indumenta compararet. Tum ego cum Himilcone ad sacrificium e fructibus et placenta Deæ Astarti offerendum processi; quo peracto, animis mire erectis, iter in portum fleximus, ubi leve nostrum navigium *Gadita* paratum præsto fuit.

Postridie ad opus nostrum alacriter nos accinximus. Rationem itineris in papyro expressi. Statui meam *Gaditam* expeditam servare, sed consultum duxi gaulum in vicem actuarii fieri ad vectandas merces, duasque barcas suppetiarias gaulo, utpote qui nimiá aquá impeditus, littora propius accedere nequiret. Pro comitatu duas triremes ampliores, cum duplici stegá, quinquaginta remis actas selegi, similes paulo ante Sidoni inventis. Hoc ipso tempore Tyrii tres huiusmodi triremes in portu habebant, quæ quidem admodum celeres, nec aquis impeditæ, in

prora validis rostris erant armatæ, ac tam velis, quam remis actæ, tum in usum bellicum, tum in mercatorium aptæ erant.

Constitui, porro, ut carinæ lateraque horum navigiorum e cedro, mali autem atque antennæ e robore Basanico, e Iudæa, fierent. Morem veterem, quo vela e iuncis Galilæis, aut e fibris papyraceis parabantur, abrogavi, quod malebam ut eadem e præclara nostra Phœnicia cannabi texerentur, cuius in tenacissimam texturam apparandæ, incolæ Arvad, atque Tyrii, peritissimi erant. Materia hæc eadem erat, ex qua funes meos plecti curavi.

Ut armificinam perambulabam, mirabar ingentem copiam æris coacervati, quum sub oculos meos cecidit plumbum album, quod a Celtis, procul ad Aquilonem occiduam sitis, obtentum erat. Antea quam ego iter eo susceperam, insulæ eæ prope ignotæ fuerunt. Mihi, profecto, persuasum est disquisitionem ibi a me institutam haud minorem in Phœnices contulisse utilitatem, quam beneficia quæ binis ante sæculis e repertis ad Tartessum argentifodinis redundaverant, licere mihi asseverare.

Conspectus æris me permovit, ut consilium, quod mecum iam dudum volvebam, exsequerer. Tunc mihi occurrit, si carina, perinde ac latera sub aqua, eodem modo quo prora, ære muniretur, futurum esse, ut navigium multo firmius evadaret, nec lignum tam facile putresceret. Statui itaque proras triremum e dura mixtura plumbi albi cuprique fuso metallo obducere, carinas autem atque latera aquis mersa omnium quatuor navigiorum lamnis æreis cusis obdere. Æs Cypreum, ceu nimis molle ac spongiosum, meo proposito ineptum iudicavi; quod vero Libanus gignit nimis rigidum ac fragile; sed metallum Cilicium, utpote perquam firmum, et tamen ductile, usui meo aptissimum censui. Chelesbáal itaque, manceps Tyrius, operi se extemplo accinxit, atque lamnas, tres cubitos longas, ac duos latas, excudere cœpit.

Rex ducentos fabros imperio meo subiecit. Ut vero horum laboribus penitius invigilare possem, placuit mihi domicilium cum sociis Viá Picatorum, e regione armamentarii conducere, unde e fenestris meis, in contignatione quarta, operas in Navali versantes commode perspicere poteram. Interim Hannonem

elenchum mercium cambio aptarum conficere iussi. Ipse et Himilco his potissimum rebus sedulo congerendis erant dediti, Bodmilcar vero, duobus nautis accitis, vicinia portus solebat perambulare, ac, satis prospero eventu, tentabat nautas pro mea caterva, ex otiosis, allectare, qui galeris inclinibus circumquaque errabundi conduci gestiebant.

Die primo mensis Nisan,[1] integris quatuor septimanis ex quo munus mihi commissum susceperam, domum redux, cœnatum, socios altercantes offendi.

"Heus," inquam, cubiculum ingressus, "quid mali vos agitat? quid rixamini?" Tum Hanno:

"Bodmilcari," inquit, "ostendere volo buculo eum haud amplius sapere; nec se camelo Bactriano comptiorem præbere." Ad hæc Bodmilcar,

"Tune," ait indignabundus, "tantam me contumeliam ab id genus ephebo ferre oportere arbitraberis? Egone ista convitia a simio hoc genus sylvestri tolerem, qui pupæ instar primo venti halitu vagiet, nosque ut se sicco restauremus flagitabit? Hic enim vitam medio inter scribillatores mulierculasque degere sciens est usque adeo, ut animo virili haud plus testudine hortensi polleat."

Cui Hanno: "Vera, Hercle, memoras," per sarcasmum respondit, "enimvero experientá tibi par non sum; me enim Chaldæi plagis non docuerunt, nec servi mei tergum mihi triverunt. Verumtamen, quamvis vigesimum nonnisi ætatis annum agam, primo quoque tempore me mare reformidare comperieris, licebit, ut me, soleæ instar tritæ, in mare præcipitem des. Cæterum, iter maritimum iam ad Citium usque expertus sum; fui etiam apud Ionios, quorum linguam apprime calleo, oppido melius quam quiscumque vestrum."

"Mihine de Ioniis blateras, talpa cœca?" furit Bodmilcar, "non id mihi tentabis, quin ossa tua cuncta comminuam."

Sic fatus, pugionem suum arripit; at Hanno intrepidus urceum satis capacem pro telo sublevat.

1. Mensis Martii, et pars Aprilis; n. 30.

"Siste! siste!" ingerit se Himilco, "vide ne pretiosum nectar disperseris;" atque dum ego brachium Bodmilcaris arceo, ipse urceum illi adimit, et in angulum cubiculi statuit.

Tum ad rixantes conversus, sic eos alloquor: "Iurgium hoc vestrum ferendum non est; uterque vestrum mihi paret, et eapropter mandatis meis obtemperabitis; amice vos geratis; male se habebit qui secus egerit. Interim, dic, velim quid sibi ista de Ioniis loquela velit?"

Hanno, in signum obedientiæ, manum porrigit, iniuriæ Bodmilcari illatæ se pœnitere ait, me autem certiorem facere, ioci causa eum lacessisse.

"Vide, sis," obtestor Bodmilcarem, "ne Hannonem tibi subditum arbitreris, quin ut eum tibi omnino parem tractes. Interim, edissere, rogo, quid ipse tam probrosi dixerit, ut tu adeo succendaris?"

Bodmilcar pudore videbatur affici, stabatque barbam torsitans, et quin oculos attolleret, sic fatur:

"Inter captivos, mihi a Chaldæis ereptos, erat quædam puella Ionica, quam mihi in uxorem sumere in votis fuit. Eam rem Hannoni memoravi, sed ipse nihil nisi me derisit; aiebat præterea puellam sua sponte cum Chaldæis profugisse, ne in manus meas incideret; atque hæc sua contumelia me in furorem egit."

"Atqui ego," interpellat Hanno, "eum exasperare nullo modo volebam, nec nisi e ioco insulso id patravi, quum eum insimularem velut iam prope vetulum pro sponsa adeo iuvencula; insuper, virgines Ionicas suavi odore florum, aromatumque fragrantiá, quam nidore bituminis, potius delectari."

"Ineptissime fecisti," increpo eum quam poteram severissime, quamquam, revera, ridere gestiebam.

Denique suadeo illis ut litem componant, in gratiam redeant, pacemque poculo vini confirment. Hanno se paratissimum præbet his verbis:

"Ego quidem ex imo corde, et sic Astarte me adiuvet, ut mihi canos eius offendere unquam in animo sit." Bodmilcar tamen manum porrectam haud tam alacri animo prehendit, et invitum se agere satis erat clarum.



Quoniam Himilconi nullum in præsenti periculum confligendi superesse videbatur, urceum suum ex tuto iterum protulit. Dissidii eius posthac nullum indicium audivi; me tamen latere nullo pacto poterat Bodmilcarem nunquam postea in Hannonem eo, quo ante, animo fuisse; nam cum eo, præterquam quod vitari non poterat, nunquam amplius verba fecit.

Circa septimanam post, quum in armamentario versarer, ut funes pro rudentibus exquirerem, Himilco currens ad me venit, nuntiavitque servum regium adesse, ut mihi mandata regis tradat. Ut in conspectum eius veni, Syrium[1] vidi spadonem hirtum, vultu fucato, pallio acu picto indutum, more suæ gentis, maiusculas inaures gerentem. Ipse manu longiorem baculum gestabat, specie malogranati in capulo, languoreque quodam blæso verba efferebat.

Postquam me a summo ad imum acie perscrutatus esset, "Tune," me affatur, "es Navarchus Mago, Regius navium Magister?"

Me annuente, prosequitur: "Ego Hazael[2] sum, e familia regia; hic in digito cernes annulum signatorium, indicium auctoritatis meæ exercendæ. Eam ob causam ad te veni, ut genus inspicerem navigiorum, quæ tu ædificas; præsertim tamen te edoctum esse volo, ut pro me, regioque mancipio, quod iussu heri mei, ad Pharaonem, regem Ægypti, deduco, aptæ et accommodatæ casteriæ parentur. Duas dumtaxat camas commodas fieri oportebit; atque mandatum regis est, ut postea quam Hierosolyma visitaveris, nos in Ægyptum devehas."

Præter modum stupefactus hominis proterviá tranquillá, "Quod ad tuum de camis præscriptum," inquam, "attinet, monitum te esse volo, in navibus penes navarchum, eiusque gubernatorem, omnem esse potestatem loca quibuslibet vectoribus ad arbitrium attribuendi."

"Esto ut vis," respondet spado, "nihilo tamen secius fieri oportebit, ut pro me, ac pro regio mancipio duæ casteriæ seorsim, rite adornatæ, tapetibusque instructæ apparentur. Fieri

1. Natione Syrus; *spado* = eunũchus; n. 31.
2. Nomen proprium viri; *familia* = famuli, servi; n. 32.

enim nullo pacto poterit, ut nobis cum rudibus, picatisque nautis convictus sit."

Gestiebam facete admodum, ut Hazael sentiret, quæ voluptas esset per totam corporis sui longitudinem in sordibus humi iacere, compescui tamen iram, et,

"Aliquid comminiscar," respondi illi; "aut enim pariete curabo in angulo alvei cellam obsepiri, aut vero e tabulis in stega casteriam fabricari; quidquid tamen futurum sit, id muneri navis offendiculo esse non licebit. Quum tibi in navi locum providero, tuum erit, ut libuerit, locum supellectili instruere et adornare; memineris tamen, tua stragula, sipariaque primá tempestate corruptum iri. Verum de his tuum, non meum erit cavere."

At spado nihil pensi faciens sic prosequitur: "Utramque casteriam oportebit luminis[1] duodenum cubitorum in longitudinem, et senum in latitudinem habere; sex scamna e santalo[2] et ebore fieri oportet; spondas ex opere intestinario,[3] fenestrarum denique quadraturas arcte aptabiles fieri curabis."

"Quid? fieri curabo?" quæro ex eo, "Nonne modo explicui tibi casteriam ad proprium tuum arbitrium abs te instrui et adornari posse et debere? Quanta, et ubi ea sita sit, meum erit videre; meá voluntate his in rebus potius nihil erit. Per me licebit ut tuo domino nunties, pro utroque vestrum in navi provisum iri; quidquid tamen statuero, ei omnino nulli fas erit refragari."

Temeritate meá spado quodammodo stupefactus, tacitus me contuebatur, satis tamen intelligere parebat me non eum esse, qui iocorum admodum patiens existimandus sit. Interim secum quædam mutiebat, quasi diceret, satius esse me operam dare, ut omnia rite, et e sententiá fierent; ac, tandem, quin ulla amplius verba fecisset, discessit. Oculis eum parumper sequebar, tum ad Himilconem conversus, qui ad excipienda verba mea satis prope adstabat, hæc dixi:

1. Spatium internum.
2. Lignum pretiosum; n. 33.
3. Opus e frustulis factum.



"Nisi admodum fallor, antequam negotia nostra cum eo explicuerimus, satis incommodi ab eo accipiemus."

"Haudquaquam;" inquit Himilco; "iam ego curabo ne id fiat. Antequam fucata ista bellua plus quam fas sit negotiis nostris se ingerat, funem circa calces sentiet, et capite aquis merso pendebit toto ab Ioppa ad Tartessum usque itinere. Ii profecto non sumus, qui instar asinorum se ludificari perferamus."

"Minime vero," assentior illi; "sed, fortasse, omnia prospere cedent; Moloch nostrum præsidium erit, nec Numen Astartes nos iam in alto versaturos, deficiet. Si verum me fateri oporteat, maior circa Hannonis cum Bodmilcare mihi simultatem sollicitudo est."

"Cæterum," excipit Himilco, "decet nos optima sperare; nam Bodmilcar in oneraria muneribus tenebitur, nos vero sedulo dabimus operam, ut Hanno in aliqua barca officio fungatur."

"Vera," inquam "memoras; enitendum nobis profecto erit, ut alter ab altero seiungatur. Quod vero ad postulata huius spadonis attinet, non, Hercle, perspicio, utrum satius ducendum sit casteriam pro eo in altera oneraria, utpote spatiosiori, fieri, an vero hic, in mea navi, ut eos perpetuo sub meis oculis habeam. Dii tam mancipium, quam spadonem istum male perdant!"

Hoc eodem puncto temporis Hanno accedit cum volumine papyri in manu, videbaturque sensum collocutionis nostræ percepisse.

"Quid rei est?" quærit ille. "Mancipium atque spadonem quemdam nobiscum vectum iri audio. Cura eorum certe mihi obvenire deberet. Officium hoc genus semper scribarum esse solet. Præterea, in studiis magicis ego iam non parum operæ posui; quin etiam ego plus quam magus quisquam calleo horum indolem, quidque illi concupiscant, vel quid aversentur, accurate teneo."

Contra hæc ego ostendi hos in Ægypto, quo profecturi erant, satis magorum inventuros, mihique in animo esse, ut iidem perpetuo ante oculos positi sint. Tum ille:

"Actum itaque est," inquit, "de meis propositis, eos calligraphiam, rhetoricam, vel quidquid aliud, docendi, oportebitque me" ridendo subiungit, "artem meam rationum non excedere."

His dictis, papyrum suum evolvit, computumque sumptuum, quanto manupretia nautarum ac remigum steterint, mihi præponit; item rationes pecuniæ, pro mercibus, cambio idoneis, erogatæ, exhibet.

Intellexi ex eo erogationem hactenus factam, summam, talenti[1] aurei, erga quod Rex mille siclos in antecessum dederat, iam longe excessisse; at vero quum me conducendo mihi demandasset, ut modum sumptibus nullum statuerem, pollicitusque esset se omnis iusti æquique dispendii curam habiturum, nulla sollicitudo me tenebat; quamobrem Hannonem minime dubitabam in regiam mittere, qui rationes exhiberet, atque, insuper, nova adminicula expeteret. Responsum munificentissimum datum.

Interea ego et Himilco haud segnes nos operi dedimus. Latera navium nostrarum e plancis abiegnis e Senir contabulari, malis quernis instrui, his vero antennas cedrinas suspendi curavimus.

Opus nostrum ex omni parte e voto cessit. *Gadita* fuit penitus refecta, undique renovata et instructa, tutela, ingens equus, oculis e vitreato[2] coruscantibus fuit illustris; latera, super atrum fundum, rubro colore erant distincta, ac, postremo, ab exteriori, duodenæ parmæ æneæ, rotundis umbonibus cupreis in medio, pendentes utrimque refulgebant.

Omnibus his ad amussim perfectis, facultatem impetravi ut *Gadita*, magno cymbalorum, tympanorum ac buccinarum choro, ad navalia in portu deduceretur. Pro re nata nactus sum a Suffete Navali velum purpureum, nonnisi in festis civitatis solemnibus adhiberi solitum. Duodecim nautæ armati, lanceis in manibus, pone æneas stabant parmas, bini et viceni autem remiges, veluti ad numeros, æquor verrebant, ut navis oloris instar, placida per undas laberetur. Gisco, gubernator, e sua statione in

1. Circiter $1200; n. 34.
2. Pigmentum metallicum; n. 35.

puppi, Himilcone e prora dirigente, clavum scite administrabat, ego autem cum Bodmilcare, Hannoneque in catasta, ad puppim, locum tenebam. Cuncti nos festive eramus induti, plane conscii fruitionis, ex admiratione multitudinis nautarum, cæteræque turbæ spectatorum partæ voluptatis, quæ quidem turba nonmodo littora et crepidines, verum etiam gradus fastigiaque armamentarii stipabat, item Præfecturæ Navalis, et undique pompam nostram navalem acclamando spectabat. Ipse quoque Suffes Navalis unus spectatorum fuit. Hic enim in mœniano, supra fornicatam portam, sedebat, quæ porta officiosus ingressus erat, unde descensus per gradus ad crepidinem ducebat. Aspectu autem *Gaditæ* ita erat delectatus, ut huius officiales ad secum cœnandum invitaret, nautis autem nostris, ad festum parandum, ovem, grandem amphoram vini, duos corbes panum, qualos ficorum et uvæ passæ, et, denique, duodenos caseos, mitteret.

In Præfecturam pervenientes, angustas fauces intravimus, ac per opacos ambitus in turrim, versus Ortum progressi, in spatiosa aula constitimus, cuius e sublimi tholo fulgidum luminare æneum pendebat. Suffes plurimis laudibus nos extulit. Quum vero intellexisset nos instructionem omnem intra denos dies ad finem perducturos, facultatem mihi fecit ut postridie arma quoque, quibus expeditionem instaurare, adornareque vellem, pro arbitrio ex armamentario compararem.

Epulis peractis, navim e privata Suffetis crepidine conscendimus, ad nostra quisque domicilia reversuri; at Bodmilcar, subito, tanto *Gaditæ* desiderio se captum aiebat, ut solum se in ea pernoctaturum decrevisset. Ut interea navigium nostrum iter suum per canalem, terram bifariam secantem, insulamque efficientem, silentioso lapsu sulcabat, Hanno quadam lingua peregrina cantillare cœpit. Animum ad id dadvertens, sciscitabar ab eo, quænam ea lingua esset. Ionicam eam esse me docuit, mirarique se aiebat, quod eam nescirem.

"Equidem," inquam, "mihi ea plane ignota est. In iis enim plagis profecto, raro mihi navigare contigit. Usquene tibi quidquam negotii cum Ioniis est?"

"Hem," inquit Hanno, "non præsto est Bodmilcar, qui in furorem agatur, nec serva hic interest, quæ cantilená mea capiatur."

"Quid ais? serva?" attonitus exclamo; "ego vero minime putabam fore ut serva tuas cantilenas curet. Estne ipsa Ionica?"

Hanno nihil, nisi risit, nec mihi respondit; paullo tamen post, sollicitanti mihi cessit, ac totam rem ex ordine patefecit.

"Hazael, spado ille," pergit Hanno, "bucco bardus, et garrula pica est. Nam quum eum, haud ita pridem, colloquendi gratia adivissem, nullo negotio ex eo elicui, eam servam, circa quam sermo versatur, a quibusdam mercatoribus Chaldaicis fuisse præstinatam, primitus vero, e proprio loco natali, ab aliquo pirata Tyrio fuisse raptam, ita ut integra puellæ historia haud fuerit res hariolatu admodum ardua." Tum ego:

"Bodmilcari" inquam, "de his rebus, ne verbum quidem! Hinc etiam plus mihi cavendum arbitror, ut spado, suaque servula in meo gaulo contineantur, alioquin, ut facile patet, finem facinorum nunquam sumus assecuturi. Proinde, nec tu, neque Himilco, de hac re ne mu quidem usque eo facietis, donec hospites nostros molestissimos in iis terræ partibus, quo iter instituunt, sibi reddiderimus."

Uterque eorum se nihil omnino propalaturum disertis verbis confirmavit. Ex sua parte Hanno omni vehementia asseveravit si vel verbum sibi super ea re excidisset, linguam se sibi extemplo præcisurum esse, atque futurum, ut se Horo, Deo silentii Ægyptiorum pro reliquo vitæ tempore devoturus esset.

Quum interim ad domicilia quisque nostrum advenisset, loquelæ finem fecimus, quod etiam per aliquod tempus publicis officiis tantopere eramus obruti, ut nihil quidquam amplius de his rebus cogitaremus.

Post hæc summam curam et operam textoribus dedi, ut vela nostra ad amussim secundum normas a Dea Tamith traditas texerentur. Curæ quoque mihi fuit ut restes meæ accurate et plecterentur, et picarentur. Providendum etiam curavi, ut transtra in ordines tam arctos disponerentur, ut haud plus spatii

quam latitudo manus inter capita inferioris remigum ordinis, pedesque superiorum, intercederet. Malos quoque atque antennas, ultra consuetam stabilitatem, statis intervallis, loris deligari, ac firmari iussi, ac, postremo, navim undique laminis cupreis tegi, orasque tegmenti bullis æreis constringi.

Nunquam antehac naves tam præclaræ undis Maris Magni submissæ fuerunt.



CAPUT II

Astarti Sacra Fiunt

BIDVO ante solemnia Veris, quo festo initia navigationis celebrari solebant, quodque festum universæ genti sacrum erat, navigia nostra parata in navalibus steterunt, atque spatio trium horarum, nulla adversitate interveniente, pro itinere fluctibus committebantur.

Duæ onerariæ erant septuaginta duorum cubitorum communium (duorum et sexaginta sacrorum) in longitudinem, atque septemdecim in latitudinem. Gaulus cum carina ex una planca cedrina, solida, septem et sexaginta cubitos erat longus, et viginti latus, terna habebat constrata, quaternos cubitos edita, tum a puppi, tum a prora sublimiora, ita ut ex aqua sedecim cubitos exsurgeret, sed media navis tantum duodenos cubitos promineret, atque, ut dictum est, erat biremis. Onerariæ autem, ad summum oneratæ, ex æquore octo cubitos eminebant. Utraque ad centum quinquaginta nautas, et quinquaginta remiges ferendos accommodata erat; verum ego hactenus ducentos nonnonnisi nautas conductos habui; parabam nimirum centum milites et sagittarios conducere, qui sua portione e communi quæstu navigii contenti essent. Itaque manus gauli pleno erat numero; item *Gadita* suum habebat manunuum complementum, septem et triginta hominum; barcarum autem quæque octo. Quoniam hæ duæ naviculæ continuo remulcis erant ductandæ, gubernatoribus non egebant; sed in na-



vigiis maioribus duo in singulis erant gubernatores instituti: alter in puppi, in prora alter, quibus omnibus Himilco erat præpositus. In fastigio cuiusque mali corbes abiegni erant aptati, in excubitorum tutamentum. Sessibula remigum in costis fiebant paribus interscalmiis. Cuncta navigia, postquam ferruminata, picataque sunt, ut aspectu *Gaditæ* similia essent, nigro pingebantur, et rubro lineabantur. Hanno pro singulis naucleris elenchum fecit, in quo nomina manuum suæ navis, omnis rudentis supernumerarii, cum nomine una, ubi variæ eiusmodi res conditæ et asservatæ essent, litteris consignata fuerunt. Singulari curá monumentis litterarum cautum erat, ubi quæque arma, cataphractæ, vasa culinaria, aquaria, cæteraque eius generis reperiri possent. Item camæ lectulive cuiusvis nautæ ac remigis, secundum loca, accurate erant consignati, nominibusque eorum insigniti. Diætæ sub catasta puppis navarcho atque gubernatoribus erant attributæ, alteræ autem, sub catasta proræ, præfectis manûs, militumque datæ. In cæteris quoque navibus eadem ratio habebatur ordinis, præterquam in gaulo, quem ipse mihi elegeram, in qua casteriam contabulari iussi bifariam divisam, singulisque fenestris collustratam, in usum spadonis, servæque regiæ in eius tutela.

Hannoni perquam cordi erat ut navibus nomina aptissima tribuerentur. Placuit ei ut oneraria, quæ Bodmilcaris suberat potestati, et inter nautas cuius haud pauci servirent Tyrii, nomine Melcarth, Dei Tyriorum, insigniretur. Alteri onerariæ nomen Dagonis[1] inditum est, ut quasi sub tutela Numinis piscium apud Philistæos posita esset; gaulus autem, quem nos eramus conscensuri, Astarti, Deæ Sidoniorum, cui nos singulari veneratione dediti eramus, sacer esset. In hac Numinum societate, utique, ne cogitandum quidem erat, ut *Gadita* suum priscum nomen servare posset; prohinc, Himilcone suadente, tum etiam quod classis eo duce usura erat, communi consensu, nomen *Cabirorum*[2] sortita est. *Bodachmon*, antistes Astartes, pro sua pietate, horum Numinum simulacris nos donavit, quorum sub tutela quodque navigium esset.

1. Deus Philistinorum, magnus piscis; n. 36.
2. Dii minores apud Pelasgos; Ursa Maior; n. 37.

Bodmilcar onerariæ *Melcarth*, suæque subsidiariæ barcæ, iussus est præesse; *Dagoni* Hasdrubal, Sidonius, præponebatur, *Cabiri* autem fidei Hamilcaris concredebatur, alterius Sidonii, qui vir erat admodum peritus, audaxque nauta habebatur.

In *Astarti*, navi mea prætoria, societate mihi iunxi Hannonem scribam, Himilconem, præfectum gubernatorum; Hannibalem vero Arvadicum, quem virum fortem audacemque cognoveram, præpositum classiariorum feci.

Ab antico, perinde atque a postico, cuiusque navigii Hannibal genus tormenti, suæ inventionis, quod *scorpionem* appellabat, collocavit singulis paribus, quibus, quum res postularet, frequentia tela in hostes coniicerentur. Itaque, præter *Cabiros*, quæ exigua navis actuaria erat, nec nisi binos scorpiones ferebat, cæteræ quaterna horum tormentorum, summæ facultatis, secum vehebant.

Totam noctem, posterumque tempus ante-meridianum convasandis disponendisque mercibus atque oneribus parvulæ nostræ classis, in interiori portu iacentis, arduo labore expendebamus; ibi et *Cabiri*, ut ipsa quoque suam oneris commeatusque portionem reciperet, se nobis adiunxit. Circa meridiem, denique, nacti sumus temporis spatium, quum liceret nobis cibo, potu, otioque recreari. Aliqui nostrum, postridianam profectionem anticipantes, sub tentoriis, in margine portus nobis paratis, frugale convivium celebrarunt. Tres naucleri, præfectus militum, gubernator princeps, modo mecum discumbebant, quum siparium tentorii sublevabatur, adventusque spadonis Hazael nuntiabatur.

Hoc facto, Hazael, solito gradu suo segni et lasso, comitatus sex servis cum corbibus, cistulis et manipulis, intrabat, eius autem in vestigio faber, malleum, serram, variaque fabrilia gestans, sequebatur. Foris, candidis insidentes asinis, duæ mulieres conspiciebantur, una arcte velata, altera sine velamine, cum mitella in vertice capitis, cumque vitta aurea, atque rica defluente, candida; quam de his, hirtisque capillis, item de acrioribus vultûs lineamentis, facile perspexi gentis Iudaicæ esse.

"Venimus," inquit spado, vel absque urbanæ salutationis



simulatione, "ad camas nostras occupandas, et ad sarcinas nostras disponendas."

Hanno iam surrexit, quum ego, brachium eius prehendens, quæro ex eo, quid negotii sibi sit.

"Scilicet ut sarcinas eorum disponam," respondit, sed statim subiungit: "nisi tibi, Navarche, secus videatur."

"Satius tibi erit," respondi ego, "si eo, ubi nunc es, loco manseris; habeo aliud quod te agere velim; hoc munus Himilconi aptius obtinget. I, Himilco," dico huic, ad eum conversus, "daque operam ut sarcinæ Hazaelis recte disponantur, et ut res muliercularum tui proprie obeant."

Hausto poculo, nec sine avido versus urceum obtutu, quippe qui in medio nostrum relinquebatur, Himilco attegiá excessit. Hanno vero, qui modo supinus se in sedili incuriosum simulans reclinabat, a me percontatur:

"Quonam, rogo, me vis negotio defungi?"

"Tu," aio illi, "ad templum Astartes te conferes, sacrificia nostra crastina præparaturus; simul quasdam alites, nobiscum in navibus vehendas, comparabis, quæ, sævientibus tempestatibus, situm terrarum nobis indicent. Insuper, Suffetem Navalem adibis, eique elenchos nautarum atque onerum exhibebis, præsertim autem Fiscum Regium visum ibis, eique regesta cunctarum rerum ac rationum præstitues. Num hæc omnia tibi non sufficient?"

"Nihil itaque otii mihi superest," respondet Hanno, ut se proripit, volumine papyri raptim prehenso, confestimque procurrit. Mihi quidem per semipatulum aulæum tentorii prospicienti non videbatur versus fanum, quin potius versus devexa portús cursum flectere; attamen quum sub vesperum revertebatur, officiis rite ac summa fide functum reperi, nec res mihi amplius in mentem rediit.

Reducem eum quidam fani ministrorum comitabatur, in vertice capitis e culmis palmarum textas caveas ferens. Ipse Hanno minorem caveam cum quatuor columbis rarioris speciei secum ferebat, quarum in pectoribus cirri nitidi micabant.

"Nisi hæ aviculæ," ait ille, "optima nobis ominentur, aliæ

certe nullæ id facturæ sunt. Hæ enim rectá e fano Astartes sunt allatæ, mihique eas ipsa sacerdos porrexit, quæ a me sponsionem exegit sic a nobis fore tractandas, ut eæ sua præstantia mereantur."

Quisque nauclerus, quæ cuique aves obvenerant, accepit, præterquam Bodmilcar, qui suas contemptim recusavit.

"Anne tu aves aspernaris?" quærit ab eo Hanno, "eccur eæ displicent?"

"Columbas nolo!" refragatur Bodmilcar; "corvi mihi magis conveniunt, quorum iam satis magnam copiam comparavi."

Hanno tergum vertit; sed Himilco, cuius oculos res non effugerat, sic commentatus est: "Pro bona vectorum fortuna, illæ aves non in *Melcarth* servabuntur. Nam, ut mea fert opinio, auribus Ionicæ gemitus turturum, quam grocatus corvorum, multo erit acceptior."

"Ionicæ?" clamitat Bodmilcar pallens, "aisne tu servam illam esse Ionicam?"

Eodem ipso temporis puncto Himilco pugnum meum sub ima costa sua sensit, quo eum ad saniora revocaram; qui digito frontem pulsans significare volebat sese iam collegise. "O me vecordem!" inquit, "non Ionica ea sed Lydica est." Tum se ad me vertens, quærebat, utrum recte dixisset.

Ego gestu manus annui, existimans futurum ut Bodmilcar conquiescat, qui tamen usque agitabatur, atque quamvis nihil dixerit, paullo post discessit, aliquid inconditi secum mutiens. Vix eum tergum vertisse constabat, quum Hanno, qui interea papyros suos versans, alioquin compositus sedem tenebat, surgit, versus ianuam procedit, ac, præter suam consuetudinem, ritu tam solemni, ac profunde se inclinabat, ut Himilconem ad cachinnum movisset.

"Bodmilcar, amicus noster," sic Hannibal monet, "vir alioquin præclarus, morosum se quodammodo præbet."

"Minime quidem gentium; te certiorem esse volo," redarguit Hanno per ironiam, "vix quemquam hominem alacriorem, mansuetiorisque eo esse indolis noverim; nihilo tamen secius gratos nos fatis esse oportere arbitror, quod nobis eadem navi vehi non contigit."

Hannibal in assensum subrisit.

Iam tempus interea cubitum eundi aderat. Iuvabat tamen discessuros poculum vini haurire in testimonium spei nostræ cœpti prospere cessuri, quod nobis imminebat; nec parum animo affecti, quietem petituri, sospitem, faustamque inter nos noctem precati, valediximus, ut placido recreandi somno, perendinas cærimonias confirmati subiremus.

Postridie, prima luce, in armamentarium me contuli, ubi cæteram manum, quamque suum nauclerum stipantem, iam paratam reperi. Hannibali feliciter contigit cunctos sagittarios classiariosque collegisse. Ad quemque nauclerum suus adstabat classicus, tunica coccinea; tubicen autem militaris, cæteris, magnitudine tubæ, nempe alterum tantæ, præstabat.

Milites suos Hannibal conspicua disciplina in ordines constituit. Primum effecerunt viceni sagittarii candidati, cucullionibus lineis candidis, limbo coriaceo ac bullato cinctis, limborum laciniæ autem pone dependebant. Hi omnes balteis coccineis cingebantur, qui gladios, cum capulis eburneis, ferebant, pharetras autem e corio crudo, in collo, transversum humeros, gestabant, quæ bullis cupreis erant distinctæ. Quisque manu arcum Chaldaicum ferebat, quorum superiora cornua in speciem capitis anserini erant cælata. Hos alii duo ordines armatorum exceperunt, vicenum singuli. Hi sutis e lamellis cupreis tegebantur. Istis, a lævo, gravior pendebat gladius Chaldaicus, e balteo suspensus, a dextro autem pugio, cum eburneo capulo; in læva manu largiorem parmam gerebant, cuius in medio simulacrum solis e cupro fulgido erat effictum; in altera autem manu lancea erat cum spiculo æreo, gracili et acuto. Capita eorum cassidibus cupreis refulgebant.

Hannibal ante manipulum suum stabat. Galeam Lydicam cum argentea crista, coccinea pluma decoratam gerebat, simulacrum quoque solis in medio scuto suo argenteum erat, idque in orbem undenæ stellæ cingebant. Capulum gladii in speciem leonis erat cælatum, eiusque caput in culmen eminebat. Eodem prorsus modo quo militum sui manipuli, pedes sui cruraque ocreis erant munita, quæ obstragulis continebantur, calcei vero, more Iudæorum, ab anteriori resupini erant. Simul ac me appro-

pinquantem conspexit, gladium destrinxit, suus autem tubicen ter tubá cecinit; quod exemplum cæteri excipientes, pariter atque unisono ter cecinere; postea autem naucleri atque gubernatores progressi, me consalutarunt.

Nautæ nostri nec galeis, nec scutis, neque balteis instructi erant, sed infra chitonetas suas genus acinacum gestabant, in capite vero cuculliones in apicem desinentes, et in cervicem relabentes, quorum similitudines apud Sidonios creberrime visuntur. Hannibal hos quoque in ordines educendos, militarique ordine exercendos autumabat, propositum tamen mihi minus placebat, satiusque mihi videbatur, ut ii se ad arbitrium diversitarent, quum mihi persuasum esset, multo facilius, atque commodius, eos in navibus huic disciplinæ subiici posse, quum quisque eorum sua nova munera subiturus esset.

Hanno et Himilco, qui iussu meo, ad cognoscendum, utrum ad sacra facienda omnia rite parata essent, digressi erant, iam ad nos reverterunt. Hos subsequebantur duo bubulci, eximios ducentes buculos, tegetibus purpureis velatos, quorum cornua vittis, fasciisque pictis operta, tintinnabulis ornabantur, quæ motu agitata, lenem tinnitum edebant. Vestigia horum subibat servus meus, qualum malogranatorum in capite ferens, quæ mappulá erant operta, argento acupictá.

Postquam quaternos tubicines nostros Hannibal binis paribus pone suos constituerat, a me indicium se exspectare significavit, ut suos initium incessús facere iuberet. Itaque, quamprimum signum dederam, eo voce elata mandante, sagittarii, classiariique, in duplicem ordinem conversi, parique passu in frontem progressi, ea alacritate ac scientiá disciplinæ gradiebantur, ut omnium commendationem mererentur. Classici acerrimo tubarum clangore primi incedebant; hos sagittarii in paribus excipiebant; horum vestigia ipse Hannibal, suis militibus, cum hastis fulgentibus in humeris, ad numeros sequentibus, subiit. Mihi locus proximus obtigit, Hannone, Himilconeque comitantibus. Nos servus meus sequebatur, ac, postremo, agmen illi duo claudebant, qui buculos duos, mox in ara mactandos, ductabant; tum demum quatuor manipuli nautarum, uno agmine, nullo certo ordine, sed a suis naucleris et gubernatoribus

Hannibal in assensum subrisit.

Iam tempus interea cubitum eundi aderat. Iuvabat tamen discessuros poculum vini haurire in testimonium spei nostræ cœpti prospere cessuri, quod nobis imminebat; nec parum animo affecti, quietem petituri, sospitem, faustamque inter nos noctem precati, valediximus, ut placido recreandi somno, perendinas cærimonias confirmati subiremus.

Postridie, prima luce, in armamentarium me contuli, ubi cæteram manum, quamque suum nauclerum stipantem, iam paratam reperi. Hannibali feliciter contigit cunctos sagittarios classiariosque collegisse. Ad quemque nauclerum suus adstabat classicus, tunica coccinea; tubicen autem militaris, cæteris, magnitudine tubæ, nempe alterum tantæ, præstabat.

Milites suos Hannibal conspicua disciplina in ordines constituit. Primum effecerunt viceni sagittarii candidati, cucullionibus lineis candidis, limbo coriaceo ac bullato cinctis, limborum laciniæ autem pone dependebant. Hi omnes balteis coccineis cingebantur, qui gladios, cum capulis eburneis, ferebant, pharetras autem e corio crudo, in collo, transversum humeros, gestabant, quæ bullis cupreis erant distinctæ. Quisque manu arcum Chaldaicum ferebat, quorum superiora cornua in speciem capitis anserini erant cælata. Hos alii duo ordines armatorum exceperunt, vicenum singuli. Hi sutis e lamellis cupreis tegebantur. Istis, a lævo, gravior pendebat gladius Chaldaicus, e balteo suspensus, a dextro autem pugio, cum eburneo capulo; in læva manu largiorem parmam gerebant, cuius in medio simulacrum solis e cupro fulgido erat effictum; in altera autem manu lancea erat cum spiculo æreo, gracili et acuto. Capita eorum cassidibus cupreis refulgebant.

Hannibal ante manipulum suum stabat. Galeam Lydicam cum argentea crista, coccinea pluma decoratam gerebat, simulacrum quoque solis in medio scuto suo argenteum erat, idque in orbem undenæ stellæ cingebant. Capulum gladii in speciem leonis erat cælatum, eiusque caput in culmen eminebat. Eodem prorsus modo quo militum sui manipuli, pedes sui cruraque ocreis erant munita, quæ obstragulis continebantur, calcei vero, more Iudæorum, ab anteriori resupini erant. Simul ac me appro-

pinquantem conspexit, gladium destrinxit, suus autem tubicen ter tubá cecinit; quod exemplum cæteri excipientes, pariter atque unisono ter cecinere; postea autem naucleri atque gubernatores progressi, me consalutarunt.

Nautæ nostri nec galeis, nec scutis, neque balteis instructi erant, sed infra chitonetas suas genus acinacum gestabant, in capite vero cuculliones in apicem desinentes, et in cervicem relabentes, quorum similitudines apud Sidonios creberrime visuntur. Hannibal hos quoque in ordines educendos, militarique ordine exercendos autumabat, propositum tamen mihi minus placebat, satiusque mihi videbatur, ut ii se ad arbitrium diversitarent, quum mihi persuasum esset, multo facilius, atque commodius, eos in navibus huic disciplinæ subiici posse, quum quisque eorum sua nova munera subiturus esset.

Hanno et Himilco, qui iussu meo, ad cognoscendum, utrum ad sacra facienda omnia rite parata essent, digressi erant, iam ad nos reverterunt. Hos subsequebantur duo bubulci, eximios ducentes buculos, tegetibus purpureis velatos, quorum cornua vittis, fasciisque pictis operta, tintinnabulis ornabantur, quæ motu agitata, lenem tinnitum edebant. Vestigia horum subibat servus meus, qualum malogranatorum in capite ferens, quæ mappulá erant operta, argento acupictá.

Postquam quaternos tubicines nostros Hannibal binis paribus pone suos constituerat, a me indicium se exspectare significavit, ut suos initium incessús facere iuberet. Itaque, quamprimum signum dederam, eo voce elata mandante, sagittarii, classiariique, in duplicem ordinem conversi, parique passu in frontem progressi, ea alacritate ac scientiá disciplinæ gradiebantur, ut omnium commendationem mererentur. Classici acerrimo tubarum clangore primi incedebant; hos sagittarii in paribus excipiebant; horum vestigia ipse Hannibal, suis militibus, cum hastis fulgentibus in humeris, ad numeros sequentibus, subiit. Mihi locus proximus obtigit, Hannone, Himilconeque comitantibus. Nos servus meus sequebatur, ac, postremo, agmen illi duo claudebant, qui buculos duos, mox in ara mactandos, ductabant; tum demum quatuor manipuli nautarum, uno agmine, nullo certo ordine, sed a suis naucleris et gubernatoribus

ducti, itabant. Hi manipuli novissimas agminis partes effecerunt.

Viæ, quibus procedebamus, utrimque festive ornatæ erant. Annua et summa festa Melcarth celebrabantur, quæ quidem solemnia undique ingentem populi multitudinem in urbem allici-ebant. Ædificia publica, perinde ac privata, ubique, quá viæ patebant, telis, tapetibus, linteisque purpureis, fulvis, viridibus, byssis variorum colorum, item, ingentibus ramis cedrinis, coronis, sertisque adornata, fluctuantem multitudinem delectabant. Quæque fenestræ suis nitebant ornamentis. Turbæ versus insulam, ubi Dei Melcarth splendida stabat ædes, catervatim fluebant; nobis tamen appropinquantibus, multitudo in porticus recedens, viam patefecit, unde speculati, alteri ab alteris, qui nos essemus quò tenderemus, quoque munere fungeremur, sciscitabantur. Quum vero intellexissent nos regios esse nautas, et ad sacra Deæ Astartes persolvenda ad templum tendere, ut eius tutelam in expeditionem Tartessum mox profecturi efflagitaremus, turba ingenti plausu et acclamatione nos consalutavit. Viri mirabantur nautarum et militum indumenta, armaturam ac disciplinam, item buculos sacrificiales; mulieribus ornatus præfecti, Hannibalis, et incessus militaris, perquam placebant; pueri, denique, fulgore armorum, et galeæ Hannibalis atque tubarum, item, colorum varietate, miro modo delectabantur; tubarum vero clangor militaris eos ad currendum, consequendumque agmen incitavit. Apud omnes, nullo infitiante, constabat nullam unquam urbem Phœniciam tam præclaram, tam speciosam, tamque opiparam expeditionem, in longinquas oras profecturam, instruxisse.

Ubi ordines sycomorum prætereuntes, earum sub umbra ad regiam perveneramus, ingentes populi turbæ, quæ ibi congregatæ processionem regiam præstolabantur, nobis sua sponte viam patefecerunt, quum regius tubicen, chorusque musicorum, in porticu stantes, concentu nos salutaverunt. Tum nuntius, a regia deorsum properans, conspiciebatur; ac mox cunctis compertum erat eo esse eum missum, ut nos consistere iuberet. Hannibal, proinde, suos frontem sine mora convertere iubet, nautæ

autem, sua sponte, idem faciunt, ego interim cum Hannone et Himilcone progredior in regionem fenestræ, ubi Rex, more suo, quum populo visui se præbere vellet, se sistere solebat. Hæc autem de auratura, de reticulatis aulæisque, quibus condecorata erat, facile discernebatur. Interea musici nostri, modulationis regiorum musicorum assecuti modum, iis concentu se iunxerunt, nobisque itantibus, ad gressum accinerunt. Hi iidem musicæ modi invicem ab aliis in area regiæ choris excepti erant.

Haud ita multo post Rex sese e fenestra populo visui obtulit. Minister, laute ac magnifice indutus, supra caput Regis aulæum purpureum acupictum, gemmisque refulgens, servabat, pone quem, coruscantibus cassidibus ac thoracibus custodes personæ Regis cernebantur. Rex, nulla allocutione, me protinus nominatim evocat. Ego primum summa reverentia ad terram usque proclino, tum, brachiis iunctis, coram eo erectus mandata eius excipio.

Hoc fere modo Rex fatus est:

"Mago, industria, solertiaque tua, quibus has res apparavisti, mihi perquam placent. Delector etiam modo, quo nautas tuos comparavisti, militesque gratia Regis Davidis, armorum socii mei, instruxisti. Ab hisce oris te mox in dissitissimæ Tartessi littora conferes. Dii tutelares te protegant! Hazael tibi litteras, propriá meá manu subscriptas tradet, quas tu ad varios principes, fœdere mihi coniunctos, deferes; item et volumina papyri eidem concredita sunt, in quibus, quæ fieri velim, litteris expressa reperies. Age nunc, sacrificium Divæ Astarti tuæ offerto. Ego quoque procedam, summoque Numini nostro Melcarth sacra persolvam. At vero in votis mihi est, sacris religionis peractis, me testem profectionis vestræ præbere; et certiorem te esse volo, ulterioribus me favoribus tibi non defuturum."

Auditis verbis regiis, me coram Rege iterum prosterno, qui discedens, facultatem mihi ad iter prosequendum fecit, atque procedenti mihi et tubicines ultro accinebant, et multitudo grato animo acclamabat. Vix interea iter flexeramus, quum ingentes portæ regiæ panduntur, innumeraque multitudo populi,



chorusque tubis, buccinis, tibiis, sistris, citharis, fistulisque concinentium, ducta choragiis, ritu solemni versus insulam profluere cœpit. Ibi enim summi Tyriorum Numinis, Melcarth, templum magnificum, celsis columnis innitens stabat.

Vixdum transgessi eramus aream regiæ, quum Bodmilcar, incitato gressu, ut me assequatur, properans, arcano veluti quodam modo me alloquitur:

"Magnum, potensque Numen Dei Melcarth est."

"Ita, profecto," assentior ego, consiliis eius minime perspectis.

"Magnum, profecto, insigneque Tyriorum Numen Melcarth est," repetit ille. "Melcarth enim, quam Astarte, ampliores hostias exigit; tantæ enim hæ sunt, quam quæ Deo Moloch immolantur; hodie scilicet aliquot proles illi immolabuntur."

Annui illi quidem, mentem tamen eius necdum perspectam habui; tum, paulisper hæsitabundus, sic fatur:

"Poterone abs te impetrare, ut ego, Tyriique mei, tua voluntate, ritui proprii nostri Melcarth interesse possimus?"

Non sine gravi perturbatione animi eius consilia cognovi. Ægre admodum intellexi numerum agminis nostri sensim diminutum iri; atque tolerandum esse, ut dignitas nostri ritus, quo Astarten prosequebamur, ullum detrimentum accipiat; nihilo tamen secius, quod haud aliud supererat, invitus illi indulsi. Acclivem interea viam assecuti, quæ ad fastigium ducit, ubi Baaltis-Astartes lucus situs erat, eoque quum ascendere cœperamus, loco iter nobiscum prosequendi, conspicor eum cum tricenis nostrorum nautarum secedentem, participemque fieri illius peculiaris ritus, et videoeum agmini adiungi, quod pilentum tectum, plumis struthiocamelorum adornatum, auroque refulgens, trahebat. Eo pilento vehebantur proles, quæ ut victimæ in sacririficio immolandæ erant. Ut nostri ad hanc turbam accedebant, magnus clamor, tubarum, cymbalorumque sonitus audiebantur indicia consalutationis, qua nostros exceperunt.

"Quam ego atrocem ritum proles immolandi exhorresco!" inquit Hanno.

"Nec ego aliter," assentior ego; "at vero, si Moloch et Melcarth id sic postulant, quid aliud superest?"

"Salvo honore Moloch et Melcarth," prosequitur ille, "iure gaudeo, quod Astarte Sidoniorum ritum idgenus sibi non deposcit."

Nunc iam semitam ingrediebamur, quæ per lucum ad Baaltis fanum ducebat. Æditutum plerique aberant, ut sacrificio in urbe, Dei Melcarth in honorem offerendo, interessent, nec præsto erant nisi seni sacerdotes viri, fœminæ autem quaternæ. Conspectus templi, ut sole oriente, per raram nebulam cernebatur, delectabilis perquam erat, nec sine levi ægritudine animi afficiebatur, qui sibi hinc mox discedendum esse senserit. Non tamen diffiteor mihi visum esse oportere eum, qui tam delectabilem locum diu incoluisset, sensim relaxatum, atque effœminatum iri, nec eum audacem, ac periculorum appetentem fore; atque mecum recolebam memoriam Phœnices, quippe quæ expers omnis luxus futura esset, nisi cives eius audaces pericula adire non dubitassent. Namque opes eius mercatus peperit, quæ quidem, si cives audaces et intrepidi exercere navigationem veriti fuissent, non modo nullæ essent, verum et ipsa civitas, præda regum, littora eius invadentium ac depopulantium, facta fuisset.

Hanno quoque, haud est dubium, quin eadem meditatus sit, menteque eadem tacitus secum volverit.

"Sic, sane," fatur denique, veluti fructus meditationum proferens, "ita quidem, me Castor; etiamsi Pharao, Melech David, Chaldæi, atque Assyrii omnes suas vires et copias in unum conferrent, et nos, Phœnices, adorirentur, ipsi naves nostras peteremus, iisque in alto occurreremus. Quin etiam si patriæ nos extorres facerent, naves pararent, et in Mari Magno nos impeterent, tamen usque nostra vigeret dominatio; dum enim Chittim, dum Utica, Carthago, Tartessusque superfuerint, quo nos recipere fas sit, totus terrarum orbis noster est."

"Vera hæc quidem quodammodo sunt," illi assentior, "terrarum orbem nostrum esse; verumtamen nihil prorsus id est, nisi nostra indomita virtus, quæ id peperit. Nulli enim nobis ad subigendas vicinas civitates duces præiverunt; nulli nobis imperatores victorias atque potestatem retulere, sed nostris propriis virtutibus innixi, ac tutelæ nostrorum Numinum confisi,

terras mariaque peragravimus ignota, atque opes, aliis incognitas conflavimus. Ac nunc demum nemo est qui nos assilire audeat, quin omnes gentes nos honore prosequantur. Nec quisquam iam est ita superbus, ut nostra auxilia flagitare se indignum sibi arbitretur, nec per se tam pollens, ut nostra opera uti aspernetur. Quisnam, obsecro, materiam Melech Davidi, quis aurum, quis argentum suppeditat? Quis, quæso Pharaoni balsamum, quis gemmas, quis cuprum, quis, denique, plumbum album subministrat? A quo, inquam, Assyrius requirit purpura, a quo vitrata? a quo ebur? a quo, postremo, acu picta? Quis tandem, omnium rerum, quæ luxui omnium principum, omniumque procerum inserviunt, procurator, proxenetaque est? Iure ergo meritoque quisque Tyrius superbiet, quum cuncta hæc pontivagis Sidoniis, principibusque mercatoribus civitatis Phœnices vindicaverit."

Tum Himilco, elata mea sententia accensus, rem orsam sic prosequitur: "Magna, profecto, merito magna est Tyri gloria. Utinam animus eius ardua audendi nunquam languescat! Quod quidem ad me attinet, modo gratiis Cabirorum mihi frui detur, veluti cœlesti signo, peregrinationum indice, capedulum hoc cacuminatum, chitonetamque hanc tritam, non pro tiara, liliis picta, ac pro chlamyde egregie acupicta, quibus rex Ninive superbit, cambirem!"

Interea dum genium nostræ gentis sic sermocinando extollimus, sacerdotes intus aras accenderunt, pelves sacris paratas partim aqua compleverunt, partim vacuas apposuerunt. Hannibal milites suos in fastigio graduum templi, in formam semicirculi statuit, quorum in extremis alis, geminis ordinibus, sagittarii stabant, in medio autem classiarii quaternis ordinibus consistebant, spatio pro me et comitibus intermisso. Buculi per posticam ianuam templi ad mactandum perducebantur.

Adventus noster sonitu tubarum a nostris tubicinibus significabatur, cui ex interiori modulis fistularum tibiarumque responsum erat. Pontifex obviam nobis progressus, sic me alloquitur:

"Accedat iam Sidonius Mago, filius Maherbalis. Dux ex-

peditionis huc se conferat, ut se Deæ sistat. Te, tuumque comitatum huc accedere iubeo."

Dicto audiens, servis meis comitantibus, gradus ascendo. A dextro mihi Hanno et Hannibal, a lævo autem Hasdrubal, Hamilcar atque Himilco adstant, a tergo caterva nautarum, remigum, universæque plebis stipati. Signo ab Hannibale dato, milites hastas, sagittarii arcus, ad humeros levant, fronteque simul conversa, per fores ædis a latere ingressi, in templo per ordines disponuntur.

Æditus silentium mandat. Facto silentio, "Modum habeto!" idem clamat: "Mago, filius Maherbalis, bono suorum sacra facere parat."

Buculi dicto celerius adhibentur, e vestigio mactantur, et in frusta carpti, in aris adolentur, sacerdotibus ac ministris psallentibus, precesque ad Deam recitantibus. Dum hæc geruntur, alter servorum meorum malogranata vulgo dispertitur, eo proposito allata. Mox pontifex, secundum ritum, scapulam alterius victimæ mihi offert, cui ego, ut mos postulabat, crumenam cum senis siclis impono. Minister sacro fungens oblatum accipit, ac dum is munificum meum donum prædicat, scriba sacerdotalis nomen meum, sociorumque, præfectorum litteris diligenter consignat cum summa oblati una, cuncta in regestis templi prodenda. Deinde pontifex pectora hostiarum igni in ara candenti imponit, indeque fumus statim sursum in tholum, versus fenestram rotundam, ascendit. Sidoni Dea ipsa lapis ater est; sed hic, Tyri, simulacrum Deæ ipsius Astartes vicem agit. Vultu ad simulacrum Deæ conversus, sacerdos Divam precibus invocat, et psallendo Deæ laudes canit, usque dum cantica alto silentio absorbta sunt.

Interea dum sacri ritus et cærimoniæ celebrantur, reliquiæ tergorum labris maceratæ eluebantur, dein magnis lebetibus immersæ lixantur, partes autem in culina templi batillis, aliæ autem in luco sacro, sub dio, coquuntur. Nautas nostros minime piget auxilia præbere, nec in accendendis ignibus, cocisque in curandis ahenis opitulari dubitant.

Paullo post iterum accedit pontifex, mihique pectus unius hostiarum porrigit. Id ego sublatis in altum ambabus manibus

coram Deæ simulacro in sublime extollo, tum pontifici reddo, qui id ter circumvertit, quo facto, id Numini pro me dicat. Eodem ritu et Hanno obit pectore alterius hostiæ, nisi quod pectus, vice omnium nostrum septies circumagitur.

Quinis siclis, quos iam antea scribæ dederam, panes sunt præstinati; Hamilcar vero, ex parte nauclerorum cæterorumque octonos siclos obtulit, partim ut inde vinum emeretur, partim ut Deæ donum tribueretur. Hæc ille rursus publice prædicavit. Nos deinde, alter post alterum, ante simulacrum Deæ nosmet prostravimus; tum pontifex brevi atque ultima prece Numen Deæ invocavit; quo facto, omnes nos læti, et animo recreati, e templo in sacrum lucum contulimus. Postremo, ab Hannibale signo dato, milites, qui in templo testes rituum muti atque immobiles adstiterant, solutis ordinibus, quaquaversum discurrerunt, partim nautis se miscuerunt, iisque in parandis epulis sedulo opem tulerunt.

Ego ad truncum patulæ cypressi sub umbra consedi, Hannone, Hannibale, Gisconeque circum me provolutis otiabamur, dum Himilco opus amphoram figlinam vino complendi administrabat. Servus meus interea scyphos apparavit, et super mensam instructam sic in orbem disposuit, ut meus, qui in labro caput leonis cælatum ferebat, medium locum obtineret, cæterorum scyphis in circuitu positis. Hannibalis scyphus cupreus, bracteatus erat, cum scapo, duabusque ansulis, cælato opere, in speciem racemi atque florum. Ministerio hoc persoluto, servus recessit, sed mox cum duobus militibus, grandem lebetem baiulantibus, ut ex molimine concussio æreorum suorum thoracum satis clare audiretur. Sublato lebetis operculo, panes ministrabantur discumbentibus e qualis, eo proposito allatis; dein cuiusque e balteo cultros, cochleariaque lignea deprompsit, ac, tandem, omnes ad uberes epulas discubuimus.

Scyphis iam dispertitis et oppletis, ego assurgo, sublatoque meo scypho, ad salutem bonamque convivarum fortunam propino.

Tum, in vicem, Hannibal, scypho sublato, sic fatur: "Potus hicce insignis est, meæ patriæ urbis, Arvad, genimen, quod se fruentibus vitam ac vires impertit; hinc intelligetis, quare Ar-

vad clueat viris, ingenio et fortitudine præclaris." His dictis, scyphum suum funditus haurit.

"Milites vero Arvad," excipio ego, ad centurionem conversus, "famam suam atque claritatem uberrime meruerunt. — Interim, unquamne tibi per bonam fortunam contigit ad littora Iudææ pervenisse? Nam cursum nostrum eo nos dirigere te non latere arbitror."

"Ita, Hercle, profecto," offá usque in ore hærente, excipit Hannibal; "ipse hic gladius, quem gero, cingulaque purpurea in humero, donum est Ioab, belliducis, consobrinique regis. Ibi enim, in pugna ad Gebam, in qua Philistini victi fugatique ad moretum fuerunt, ego vicenis sagittariis eius præfui. Nec hoc semel factum est, ut per annum, et amplius, cum copiis Nahary, armigeri Ioab, qui unus erat e triginta septem virorum fortium regis Davidis, in oppido Hamath præsidio interessem. Inde mihi revertenti contigit, ut militibus huius nostri Hasdrubalis navi vectis præessem, et hoc ipso eo tempore, quum naves Sidoniorum longæ ad classem Ciliciensem oppugnandam missæ essent."

"Recte, me Dius Fidius, memorat," ait Himilco, "famam eius expeditionis audivi, quum nos longe, Gadibus aberamus."

"Nos vero," inquit Hamilcar, "sub iis temporibus Pharaonis in exercitu stipendia fecimus, eramusque in littoribus Æthiopicis, ultra Mare Algosum navigantes. Et quas, Pol, testas, in se margaritas celantes, ibi invenire soliti eramus! Insuper et pisces ibi non erant rari, qui hominem integrum hauriendo pares essent.

Nostris sic verbigerantibus, quædam sacerdos e iunioribus ad eos accessit, Hannonique manipulum, telá obvolutum, tradit.

"Hoc," inquit illa, "simulacrum Baaltis est. Super eo aromata pretiosissima adolui; unguentis idem oblevi rarissimis; obtuli id etiam ipsi Deæ, quæ id propitia accipere non renuit. Tibi, Sidonie, nunc id concredo. Utinam simulacrum tibi, cunctisque expeditionis huius sociis, Diva adstipulante, bonam, faustam et fortunatam peregrinationem reddat."

Dein pontifex ipse cum simulacris cæterorum Deorum ac-

cessit, solo Melcarth dempto, quod Bodmilcar ipse, e templo, quo solus iverat, erat allaturus.

Eadem ipsa sacerdos sese viæ ad nostras naves comitem obtulit, ut simulacra in ipsa navi, antequam solveremus, lustraret.

Himilco facultatem sibi dari flagitavit simulacri Cabirorum ad marginem portus deferendi, antequam id fidei naucleri concrederetur.

"Quid nunc," interrogo eum, "de tuo voto vicenûm siclorum, uniusque buculi, quod Cabiris feceras?"

"Illud," respondet ipse, "usque eo differendum censui, donec nebulo ille mihi obviam fiat, qui me uno oculo privavit. Ecquidem minime dubito Deos mihi interea fidem habituros, nec solutionem, præsertim in antecessum, exacturos."

Interea Hanno suum simulacrum Astartes revelavit, idque utraque manu servans stabat, oculos in eo pascens summa admiratione. Erat autem simulacrum ex alabastro, ternis ordinibus ocellorum auratorum e collo pendentium, cacuminatoque capedulo, sub quo comæ copiossisimæ cernebantur.

"Vota," inquit Hanno, "Deæ meæ ego quoque nuncupavi; illa tamem respondit me tempus opperiri debere, et usque eo perseverare, dum compos propositorum fierem;" atque his dictis se proclinavit, ac Deæ simulacrum deosculatus est. Mihi tamen non satis constat, utrum falso mihi persuaserim, certe lenem frondium arborum susurrum, veluti responsum in eius vota, resonare me audivisse mihi videbar. Idem et sacerdos fortasse animadvertit, nam in me renidens, manum suam humero Hannonis leniter admovit, et,

"Nunc vero," inquit, "Navarche Mago, proficiscamur!" Tempus naves conscendendi iam adest, atque hora iter ingrediendi, ipsa Deá significante, propitia est. Age igitur, procedamus!"

"Ad naves! Ad naves!" impero ego magna voce; tum me ad templum convertens, "Vale, Baaltis, cœli Regina!" inquam, "sub vesperum in Mari Magno nos videbis."

Casside capiti repositá, Hannibal cantu tubæ milites nautasque convocari iubet. Hanno atque sacerdos ad idem latus me-

um accedunt, Himilco autem simulacrum Deæ ferens, ad alterum comitatus, eo ordine quo venerat, nobiscum, versus portum, per vias, utrimque decoratas, iter flectit. Viæ ad portum ducentes, totusque margo portûs, tanta hominum multitudine erat conferctus, ut arduo nonnisi conatu pervadere possemus. Turbæ autem ex omnium gentium varietate videbantur coalescere; nam, præter indigenas Phœnices, Syri quoque intererant, cum indumentis fimbriatis et clavatis; Chaldæi, cum plexis barbis; Iudæi, cum curtis tunicis, prolongatis calceis, pellibusque pantherarum per humeros transversis. Præterea et Lydii cum vittatis frontibus; Egyptii, quorum alii tonsis capitibus, alii cum ingentibus corymbis; Chalybæi quoque feroces aspectu, seminudi, ac, tandem, ingentis staturæ, roborisque Caucasii in turba versabantur. Plurimæ etenim gentes remotissimæ ad nostras Phœnicias urbes suos cives delegare consueverunt, veluti ad meditullium patriamque artium, industriæ fabricatoriæ atque mercatus. Hos inter cernebantur Arabes et Medianitæ, qui proceritatem ædificiorum videbantur mirari, nec minus frequentiá ac multitudine hominum attoniti stupebant. Visi etiam Scythæ sunt ex Thogarmate,[1] quorum crura braccata loris ac fasciis erant circumligata, et hi tractim incedebant, mirarique videbantur et ingentem hominum concursum, et omnes omnino equos vectaculaque ex angustis viis abesse.

Fragor multi clamoris vociferationis atque cantilenæ aera verberabat, et hoc in diversissimis linguis. Turbæ hominum, humeris, cubitisque pressæ, sese confricando luctabantur, ut capitibus porrectis visum prætereuntium manipulorum caperent. Quisque chorus musicorum aliam, ac rursus aliam admiratorum turbam nactus erat; quodque sacerdotum prætereuntium collegium novam scrutantium et admirantium catervam allicuit. Regiæ quoque cohortes cum suis scutis, variis coloribus distinctis, novum spectaculum, admirationisque fomentum curiosis offerebat. Nostri denique classiarii et promiscui nautæ mirum quantum vulgo concursum concitabant; nosterque progressus præter armamentarium turbinis speciem referebat, ut iter no-

1. Pars Armeniæ; n. 39.

strum ad reservata spatia in margine portus flectebamus, ubi classicula nostra, puppibus versus terram destinatis, sub præsidio paucorum nautarum parata stabat.

Iam et Bodmilcar atque spado interim in navim Melcarth advenerunt, et in agea, quæ ad puppim ducebat, animoso quodam modo colloquebantur. Simul ac nos adventare vident, colloquendo subito finem faciunt; Bodmilcar sibilo nautas convocat, spado autem me conventum accedit.

"Omnesne sarcinæ tuæ comportatæ sunt?" quæro ex Hazaele.

"Ita sunt," respondet ille; "at ego perquam moleste fero camas nostras non in hac maiori navi paratas esse; in hac enim longe ampliori spatio, ampliorique commodo frueremur; tamen id parum refert: prima quaque statione id mutari poterit; hoc et Bodmilcari expedire videtur."

"Fieri id nequit," aio ego, "serva regia mihi concredita est, eamque sic manere oportebit. *Melcarth* est oneraria, nec ad nauclerum onerariæ quidquam de vectoribus attinet. Ne de hac re quidquam amplius! Rectene traditum teneo, tibi a rege litteras pro me esse concreditas?"

Ne verbo quidem in responsum prolato, spado cistellam santálinam mihi tradit, quá apertá, plures philyras papyri intus reperi, varia præcepta pro me complectentes.

Quum iam prope signum silentii tubá a me dandum erat, iamque verbum prolaturus eram, quum subito Bodmilcar accurrit, seque in brachia mea coniicit, et,

"Sacrificium Moloch obtuli," inquit, "vota Deo meo exsolvi, tibique iam animum sibi conscium pandere cogor. Veniam tuam, omniumque, si quos conscius, aut invitus, insolentiá, temeritateque offenderim, flagito."

Hanno illi incunctanter manum porrigit, certioremque eum facit, se, quidquid antehac perperam dictum factumque abs se in simultatem fuerit, prorsus oblivioni traditurum, in posterum vero eum omni humanitate prosecuturum. Ego autem, quum hos, cæterosque omnes, sic in gratiam redivisse cernerem, facile annui, gratoque admodum animo vidi nos omnes in amicitiam, pacem, atque concordiam conciliatos iter ingressuros.

Quisque interea nauclerus suas nauticorum manus congre-

gavit. Hannibal, suis ubique dispositis, denos sagittarios, totidemque classiarios, in nostra navi continuit. Tum sacerdos suum cuique navi Numen solemni ritu per simulacra dispertivit.

Priusquam solvissemus, domnædius noster, cuius sub tecto morati eramus, cum uxore, filioque una, viam sibi per præsidiorum ordines fecit, me appellavit:

"Amice, Mago," sic fatur, "ferre non poteram, quin ante tuam profectionem te iterum convenirem. Ecce tibi placentas, hic autem quasillum uvæ passæ attuli; præ cæteris autem aliis, ecce binos utres genuini nectaris. Accipe hæc, amabo, in signum bonæ in te voluntatis. Vale, hominum optime, atque Dii omnes Deæque prospere te navigare faxint."

"Vale, gubernator eximie," eloquitur domnædia, ad Himilconem versa, "tibi vero ego attuli hunc utrem Byblici, nam probe compertum habebam te nullum vinum huic anteponere."

"Summas tibi, domnædia, habeo, reddoque gratias," grato animo respondet Himilco, "nam ego, profecto, nullum vinum genimini claræ Phœnices comparandum censeo. Scito, matrona præclarissima, tui gratissimi muneris me immemorem nunquam futurum; atque, si bene ominato sidere usi fuerimus, largientibusque Cabiris, salvi reduces fuerimus, spondeo tibi tali munusculo me ad te rediturum, quod cunctas mulieres Tyrias in invidiam rapturum sit."

Filius coniugum, ephebus senum-denum annorum, singulari in Hannonem pietate ferebatur, nec facile dissuaderi poterat, ne se socium itineris adiungeret. Is amico fasciculum calamorum scriptoriorum dono tulit; atque hi animo admodum ægro alter ab altero divelli patiebantur.

In omni hac hominum turba vir quidam intererat, quem summo honore prosequebar. Eius litterarum scientia probe Divina existimabatur. Sacerdos is erat provectissimæ ætatis, nomine Sanchoniathon,[1] historiographus. Is, quamvis nulla itinera susceperit, rerum tamen notitiam totius fere orbis maximam inter æquales consecutus erat.

Is me his verbis appellavit: "Mago, fili mi," inquit, "scriba

1. Auctor Phœnicius; n. 40.



tuus Hanno munus sibi suscepit litteris cuncta comprehendendi, quidquid rari, mirabilis, in dissitissimis quas visetis orbis partibus, et quidquid usquam comperietis scitu dignum, ad me perscribendi. Ille quidem ingenio claro et alacri est, ætate tamen indomitus, et in ephebis est. Si ergo, salvo tuo commodo, liceat, rogatum te esse volo, ut pro tua diligentia caveris, ut promissis stare ille ne detrectaverit."

"Gratum mihi, pater, velim, existimes," respondet Hanno, "nihil quidquam a me præteritum iri, ut iuventutis temeritates frænem et compescam. Multis humanitatis officiis erga te haud ignoro me teneri; nec, si per vires possim, committere velim, ut præcepta disciplinæ, abs te mihi impertita, memoriá mihi dilabantur. Quamobrem, quantum viribus polleo, enitar, ut quæque memorabilia in nostris orbis partibus mihi innotuerint, meá operá, ad notitiam Phœnicum perferre possis, nec me discipulum tanto magistro indignum præbebo."

Tum grandævus Sanchoniathon nobis Deorum favorem efflagitavit. Vix hoc peracto, sacerdos Astartes a navibus huc pervenit. Ut ipsa Hannonem præteribat, eam dixisse clare ac distincte audivi:

"Ipsa tam proba est quam formosa."

"St!" ille se monebat, "oblivione mihi delenda est. Pharaonem fortunatum!"

Quum ad solvendum cuncta parata esse nuntiaretur, tubá ad conscendendum cani iussi, et omnes sedulo conscendimus. Primus qui pedem navi admoverat, Gisco fuit, *Cabirorum* gubernator, qui vulgo ut "Gisco Celta" cognoscebatur, vel, et hoc sæpissime, ut "Gisco Inauritus" memorari consuevit. Is navigationi ad Rhodanum octies interfuit; in una harum, ut famá accepimus, uxorem Celticam duxit, flavis comis, quæ hunc, in suis nativis sylvis usque adhuc exspectabat; alias eum a Siculis captum, ambasque eius auriculas ab iis præcisas esse tradunt. Puppim ascendens, capedulo agitato, lætus inclamat:

"Evove, nautici! omnes nautici præsto estote! Euoe! conscendite principes marium, Astartes soboles, præbete Navarcho aures! Tyrii et Sidonii, ad mare! ad mare! Navarchum Magonem Dii servent!"

Nautici interim ad naves properant; quisque suam conscendit, ac simul ego in catasta puppis locum meum ceperam, parasemum meum e malo *Astartes* in signum profectionis evolvi, exostram revelli iussi; tum marræ vi magna prorsum, littori figuntur, naves retrorsum cedunt, — — ac, tandem aliquando — profecti sumus.

Cabiri, cum suis binis et vicenis remigibus præibat; excipit eam *Astarte; Dagon* vectabat *Melcarth*, quæ ob nimiam magnitudinem vela in portu minus apte explicare poterat. Classicula nostra læte præterlabebatur frequentia navigia, crepidinibus hærentia, perinde atque innumeras barcas, lembos, liburnas, celocesque, huc et illuc meantes ac vergentes, quæ multitudines hominum, quod sacra Melcarth necdum cessarant, in insulam et retro vectabant. Tubicines nostri usque canebant; remi nostri salum, velut ad modulum, verrebant, atque voces undique acclamantium spectatorum aera verberabant.

E celsa catasta mea omnium navium tecta facile perspiciebam. Hic mihi adstabat Hanno, dum Himilco e prora gubernis[1] operam dabat. Hannibal classiarios sua scuta lateribus navis appendere iussit, eorum autem quisque locum sibi destinatum tenebat. Hazael quoque, cui nulla prærogativa obtigerat, in suam privatam casteriam se recepit.

Ostium portus mercatorii, cum suis geminis turribus speculatoriis, prætervecti, fauces penetravimus ad insulam ducentes, ubi multitudo navicularum, aplustribus ornatarum morabatur, supra quas, e longinquo ædes Suffetis Navalis eminebant, quarum fastigatus ascensus, multitudine obsessus, tegetibus variis, vexillisque conspicuus, et hinc clare discernebatur. Alias, in media insula, tholum templi Melcarth conspiciebam, cuius e summo culmine fumus cæruleus celsa petere, suffimenta, sine dubitatione, sacrificiorum, haud obscure indicarunt. Quin, cœlo claro, etiam sonus tubarum et cymbalorum, cæterorumque choragii instrumentorum clangor ad aures meas perferebantur.

Gaulus regius, a gaulo suffetis comitatus, interim nobis occurrit. Supra puppim navigii regii catasta eminebat, quæ te-

1. *Guberni* sunt qui gubernant.

gete, auro argentoque picta, undique obducta, tamquam ex integro metallica, fulgebat. Superficies remorum ebore erant tectæ; vela filis argenteis erant intertexta, acuque picta, cum imaginibus Melcarth, Moloch, atque Astartes, velum autem in medio, hyacinthini coloris, in imitationem undarum, viridi erat intextum, quarum e medio Astarte, in tutelam piscium contra Dagon, exsurgebat. In confinibus proræ chorus musicorum concinebat, in stega autem formosæ mulieres, tiaris regni, monilibusque triplicibus decoræ, citharis laute pictis modulabantur, aliæ autem taleolas æreas, cum cirris purpureis ac languido-viridibus, atque tintinnabulis minutulis ornatas manibus gerebant, et horum tinnitui accinebant. In extrema puppi rex Hiram in solio reclinatus conspiciebatur. Caput eius mitra, cum insignibus infulisque regiæ dignitatis integebat, ut apud principes Phœnicios erat solemne; barbam Syrorum more hispidam, in lacertis autem geminas armillas aureas gerebat. Solium eius ex auro vitreatoque factum, micabat. Tergum solii in similitudinem navis cælatum, ancónes autem delphinorum in speciem erant efficti. Duo viri ministrorum officio fungebantur: alter scriba, iunctis brachiis adstabat, alter vero custos sigilli. Pone hos servi stabant, quorum alter velabrum regium super caput regis servabat, purpure aureisque fimbriis insigne; alter autem labarum regium, e sindone purpurea textum, in quo imagines solis, lunæ dimidiatæ,[1] stellarumque errantium erant filis argenteis expressæ, ferebat. Suffetes se in gaulo Præfecturæ Navalis tenebant, præsidio cincti custodum, quorum cassides Lydicæ, scutaque argentea, et suta[2] solis splendore fulgebant.

Regio comitatu conspecto, remiges sistere remos, navesque teneri iussi. Navigatores regii idem facere statuerunt, suæque naves pariter substiterunt. Servi regii intra momentum temporis exostram ebeninam provehunt, eamque tapetibus pretiosis confestim consternunt. Rex Hiram consurgit, e solio degreditur, in nostram venit stegam, ubi mihi contigit honor eum per meam navim circumducendi. Ostendi illi itaque duplicatas stegas, dis-

1. Insigne regni; n. 41.
2. *Thorax*, metallum quod pectus tegit,

positionem mercium et impedimentorum, atque receptacula aquæ. Inde, sine comitatu, obibat casterias spadonis, atque servæ, postea autem, discessurus, per fiscalem suum bina talenta argenti mihi appendi iussit. Rege ad solium regresso, exostrá revulsá, signo a me dato, centum ac duo et viginti remi nostri sine strepitu aquis merguntur. Tubæ canunt, milites, nautæ, remiges conclamant, ego autem magna voce vagio:

"Vale mi Rex! Tyre et Phœnice, valete! Vos autem soboles Astartes, classiarii mei, facessite prorsum!"

Classicula denique nostra celeri lapsu prætervehitur turres, tutamenta ostii portús, quas die-noctuque excubiæ tenebant. Postremo, oculos retro, versus urbem, quæ tamquam candicans amphitheatrum, e plano in clivum sese attóllebat, angustis viis per intervalla múltifariam intersectam; item, versus molem flavescentis templi Melcarth; deinde, versus grandes ædes Præfecturæ Navalis, supra quas luculenti muri templi Baaltis eminere videbantur, tum, deinde, supra hæc omnia, iuga Libani in extremo horizonte, verticibus celsi in longinquo livescentibus, ut ea cœli convexa adumbrare videbantur. Istinc ad naves me converto, ut eæ proris æreis spumam sali ferventem sulcabant. *Cabiri* haud aliter quam delphinus, facili lapsu per undarum cristas ferebatur; *Melcarth*, iam non vectata, atque *Dagon*, propriis velis rapiebantur.

Vento secundo pulsi, versus Austro-Occasum ferebamur, quare et reliqua vela pandi iussi onerariarum, dimidiam autem remigum partem remos levare, sese autem quieti tradere præcepi. Ipse quoque consedi, et sic, meditabundus, oculos in æquore pascere cœpi.

Ac nunc demum iter versus dissita Tartessi littora vere carpsimus.





CAPUT III.

Sammai a Custode Servulæ Agnoscitur.

AD prætemavigandum Promontorium Album, sinum ex Occiduo-Meridiano rectà traiiciendum statui, Tyro ad Septemtriones eius relictá. Ab Albo naviganti mihi in conspectum venturum esset promontorium Montis Carmeli; tum, evitando profundas aquas sinús, istinc ad Septemtriones circumflectendo, secundum littora commode poteram versus Ioppam navigare.

Cabiri, prima navis, mille tercenta stadia quatuor et viginti horarum spatio facile emetiendo par erat; at gaulus, utpote qui tempestate ordinariá semper velis agebatur, magnaque onera vectabat, tantam celeritatem assequi non poterat; haud aliter onerariæ. Tamen effeci ut in primis quatuor et viginti horis mille stadia relinquerem, ita ut iam prioribus horis tribus circuirem Promontorium Album, cursumque ad Austro-Occiduum tenens, sub noctem terra e conspectu dispareret.

Circa mediam noctem Himilco me suscitabat, docebatque nos e regione Promontorii Carmeli versari. Satis claro lumine lunæ tantum quod summum eius cacumen discernere poteram; tum cursum nostrum ad Austrum flectendum iussi, cavique per signa, ut *Melcarth*, collectis velis, remis se concrederet, quod iterum terræ appropinquabamus. Sub primam lucem flabra citatiora in conspectum devexorum Palæstinæ littorum nos compulerunt, atque circa meridiem, e procerioribus turribus nos adversum Ioppam vergere cognovimus, quod et luci palmarum, atque ficulnearum circumiacentes prodiderunt.

Superato ostio fluvii, qui circiter quadragenis stadiis a por-



tu se in sinum effundit, *Cabiri* littus appropinquavit, dum *Melcarth*, duæque barcæ, quum aquæ nimis vadosæ essent, circiter uno stadio et semisse, in alto constiterunt.

Portus Ioppæ nullus fere est; neque enim alveum, nec navalia habet. Prope ad littora pauca gurgustia atque mappalia visuntur, inter quæ medium fere locum obtinet castellum quoddam, e congerie atque maceria, a rege Davide conditum, quum mercaturæ cum Phœnicibus viam paravisset, atque Ioppam portum constituisset, quò betulæ cedrique, in Libano succisæ, ratibus convectarentur. Quædam barca Phœnicia, unaque ærumnosa navicula Ægyptiaca, cum tutela, caput anserinum referente, subtus littus in luto hæserunt; in ipso autem littore nonnullæ scaphæ piscatorum Iudaicorum miserabiles iacebant.

Hannone et Hannibale mecum accitis, lintre terram petivi, ut centurioni, qui ei leviori præsidio hic loci præerat, honoris causá sisterem. Priusquam tamen longius processissemus, ipse centurio nos visum accessit, comitatus manipulo circa quinûm denûm militum, gladiis, lanceis quadratisque scutis armatorum. Hi linteo erant præcincti, cinguli eorum in latere corio convincti, politoque silice constricti. Comæ eorum, in nudis capitibus in minutos cirros erant plexæ; in pedibus ac tibiis calceos et vinctas ocreas gesserunt, in humeris autem, more Iudæorum, pelles pantherinæ erant circumiactæ. Centurio solus gerebat cuprea suta, haud affabre facta. Simul atque intra paucorum passuum spatium conveneramus, centurionem consalutavi, quod, vicissim, et ipse fecit, prodiditque se haud ignarum esse me legatum a rege Hiram missum venire.

"Pax sit vobis!" fatur ille. "Quoniam de tuo adventu certior factus sum, tibi obviam veni, ut tibi, Hierosolyma petenti, comitatum præstarem. Rogo tamen te, atque obsecro, ut in castellum nostrum venire, hospitemque nostri, cuiuscunquemodi convictûs, te præstare ne fastidiveris."

Eá humanitate excipi nobis gratum erat, lubenterque comitabamur nostrum hospitem in munitiones, quò per fornicatam turris portam ducebamur. Pervenimus in aulam celsam et spatiosam, unde prospectus patet in mare. Ibi servos tabulatum satis asperum stragulis consternere iussit. Muri eius loci nullá

tectoriá erant rudes ac nudi, totaque structura omnis artis expers. Aqua, panis, fici passi, atque caseus erant nostræ frugales dapes, quibus tamen vinum satis potabile addebatur, cuius quidem obtinendi Iudæis, captá ab iis Syriá, ex Helbon[1] facultas dabatur.

Dum epulæ parabantur, varias inter nos vicissim quæstiones de ipsis nobis, deque regibus nostris agitabamus; simul tamen atque cibi apponebantur, præfectus Iudæus, os caseo referciens, edendi exemplum præbuit.

Subito, quum me circumspicere animadvertit, sic me affatur:

"O, utique, tu cogitare videris nos Phœnicum dexteritate ædificandi non pollere. Vestrá arte affabre sciteque res moliendi nos certe destituimur. Memineris tamen nobis et opes, et materias vestras deesse. Nec te præterire velim hunc misellum nonnisi pagum esse; at vero, es æquo animo, mox cernes frequentes nostras urbes, æquè ac læta rura antequam Hierosolyma pervenias."

"Terra Iudææ," respondet Hannibal, "mihi quidem haud ignota est. Iam eam peragravi, eamque fertilem atque opulentam esse perhibere possum; nam ferax ea est olivæ, dactylorum, vinique. Nec agricolas vos tantum, sed et bellipotentes esse superbitis. Quæque gens negotium sibi proprium sectatur. Nos Tyrii, atque Sidonii, plerumque cupiditate navigandi flagramus, ac mercátum, omnia audéntes, exercemus, tamen prædicare audeo nos belli quoque artibus florere; sic Arvad nullo pudore suos belliduces memorabit."

"Sic, sane," excipit alter, dum mirabundus oculis percurrit arma sutaque Hannibalis, "dubium nullum est, quin milites Phœnicii optime armati sint."

"Est," inquit ille, "quod tibi dicere possim, quodque tibi prorsus novum videbitur. Quamvis vobis exercitus constitutus nullus sit, nec quemquam peregrinum ad stipendia admittatis, tamen ego regis vestri stipendia feci. Id autem hunc prope in

1. Nomen oppidi, nunc Aleppo; n. 43.



modum evenit: — Admodum puer in oppidum Canaan delatus eram in hæreditatem filiorum Asher,[1] ut soboles eius tribûsc revi, iustoque tempore in exercitum vestrum conscriptus fui."

Centurio Iudaicus auditis miro modo delectabatur; surgens, Hannibalem amplexatur, et in pignus amicitiæ cyatho vini perfruuntur, qui cyathus mox ad Hannonem, tum ad me cessit. "Ego," inquit ille, "ad tribum Iudæ specto, cuius patrimonium, Hierosolyma profecturi, præteribimus. Rex quasdam copias proprio sumptu alit, atque ego centurio e vicenis unus sum. Missus eram huc, ut te advenientem exciperem; equi asinique pro itinere necessarii parati sunt, poterisque, quum libuerit, veluti hac vesperá, si videbitur, proficisci."

"Hodie id fieri nequit," respondi, "a navibus enim, antequam redeam, cunctaque in ordinem redigam, abesse non possum. At cras paratus ero."

Quum otium nobis non deesse videretur, quærit, utrum sibi naves visere liceat; quod, quum Phœnices simus, merces forte nobis venales sunt, quas ipsi præstinare liceret.

In responsum docui eum, nobis merces, quum in servitio regis essemus, venales nullas esse; nec alias res mercimoniales nobiscum tulisse, quam quas erga alimenta necessaria cambire possemus.

"Si sic se res habet," subiungit ille, "tibi fortasse prodesse potero; habemus enim greges caprarum, habemus balsama, olivas, affatim. Quibuslibet potero adiumentis, tibi adero. Sammai[2] ego sum, filius Rehaiæ; pater meus in hoc regno latissime cluet."

Assentior itaque ut naves nostras visere possit, quo nos et mox secutus est.

Dum ego abfui, nautæ iam exhibuerunt nonnullas merces piscatoribus in littore, atque pastoribus ibi congregatis, quas merces quisque suo beneficio secum attulerat, et iam arguta negotia inter se agitare cœperunt. In stega *Melcarth* merces mutatoriæ iam evasatæ erant, atque Hanno celeri manu efficie-

1. Una e tribubus Iudæorum Aseritæ; n. 44.
2. Nomen viri; n. 45.

bat elenchum mercium, quas ego libenter missas esse, atque earum, quas, vicissim, comparatas esse vellem. Penu meum, cuius incrementum maxime mihi cordi erat, frumenti copiá indigebat, item, duarum amphorarum olei, dolii olivarum, semisse balsami, senum qualorum fici passi, senum qualorum dactylorum, quinquagenûm caseorum; præterea Bodmilcarem, qui cambiis præerat, nonullas oves, atque hœdos comparare iussi, uti nostri copiá carnis recentis abundarent, usque dum in Ægyptum perveniremus. Aliæ quoque suppetiæ comparandæ erant, sed has a regis Davidis munificentiá exspectabam, perinde atque a facultatibus meis, quibus eas res Hierosolymis commercari poteram.

Concinnum ordinem, rationemque rerum in navi dispositarum, Sammai summis laudibus extulit; et, quoniam omnia pæne sibi prorsus nova esse oportebant, vix verba reperire poterat, quibus admirationem suam exprimere posset. Disciplina virorum, perinde ac plenitudo rudentum et copularum, æquæ dignæ suæ admirationis causæ erant. Ad cœnam a me invitatus libenter annuit, et in puppi *Astartes* sedentibus nobis, ex imo suspirans, exclamabat:

"Quantá gloriá vestram peregrinationem cumulatam esse oportet! Quam præclarum est divitias, quas maria celant, comparare posse! Hic, in montibus nostris, hircis imperitiores sumus. Fieri subinde potest, ut paucos vicos compilemus, sed leoninam partem prædæ duces sibi vindicant, quæ tamen plerumque tenuia et ieiuna sunt, cum lucro comparata, quod vos mercaturá conflatis."

Ego tamen eum commonefeci, ut intelligeret maiora quædam subesse commoda in mari periclitantibus, quam sunt meræ opes, veluti commodum videndi et experiendi mundi miracula.

"Ita, profecto," annuit ille, "sæpe mercatores vestros Phœnicios narrare audivi de immanibus colubris, ac de piscibus quinquagenos cubitos longis. Audivi fabulas eorum de vallibus, gemmis referctis, de fodinis auri argentique nunquam exhauriendis. Nec ignoro ab iis de gigantibus, deque montibus ignem fumumque vomentibus mira ac stupenda narrari."

"Nullum dubium," excipio ego, "tu satis intelligis viatoribus aliquid ob exaggerationes concedi debere; tamen prorsus constat peregrinatoribus haud raro miras res sub conspectum cadere."

"Nonne," ultro quærit ille, "etiam pugnandum vobis subinde est? Ego vero quoddam pugnandi periculum iam expertus sum; Moabitas etenim atque Philistinos[1] propriá iam manu interfeci. Pugnare scirem iterum; atque, siquando vobis pugnandum esset, libenter vos comitarer. Liceretne vobiscum ire?"

Hannibal humerum Sammai manu contrectans, sic eum alloquitur: "Vide sis Centurio, utrum id serio dicas; nam id fieri posset. Quadragenis etenim tyronibus sagitariis egeo. Possesne eosdem mihi comparare?"

"Possem, profecto!" avide assentitur ille, non sine solito iuramento, "per nomen *El,*[2] *Domino Exercituum.*"

"Compara illos igitur," interpono ego, "atque si quadragenos eiusmodi fortes, alacresque masculos, militiæ aptos comparaveris, sub Hannibale tu eis præeris." Insuper, additá pollicitatione præmii novorum sutorum pugioneque chalybæo, cum capulo eburneo, animum eius etiam magis incitavi.

"Dii servent regem!" clamat ille, gaudio accensus, dum Hannibal lætus, quod augendarum copiarum suarum consilium eum non fefellit, manus confricabat, atque cum orbe terrarum congredi, regnaque se subigere posse sibi confidebat.

"Quæcunque regna," nugatur Hanno, "ego subegero, cum incolis unà, e vestigio vendam; auctionabor eos omnes, vendamque licenti optimo, et e proventibus palatium præstinabo meum. Tu, Himilco, mihi eris in pocillatorem. 'Hirco hortulano pellium caprinarum cura committitur,' uti proverbium, tibi non ignotum, docet."

At Himilco: "Loco de tuis epulis disserendi," inquit, "satius arbitror ut animum in nostras advertamus," hisque dictis propius ad mensam accessit, in qua iam dapinatum erat.

Vix cibos degustare cœperamus, quum nauta, a Bodmilcare

1. Gentes minores Palæstinæ; n. 46.
2. Armipotens, Dominus exercituum; n. 47.

missus advenit, qui nuntiaret eum cuncta iam coemisse. Quærebam ex eo, cur nauclerus ipse in socium non venisset. Aliam causam ipse allegare non posse arbitrabatur, quam quod Bodmilcar spadonem ad secum cœnandum in *Melcarth* invitavisset.

Hanno expalluit.

"Spado ille perditus!" mecum mutio, postquam nauta tergum vertit; "sine dubitatione, aliquid improbi ac noxii molitur; speremus tamen mulieres nullius molimenti participes esse futuras."

Hanno tantum quod non actutum ad casteriam proruit, quum ianuá apertá, ancilla intrat, quam hera sua velata comitatur.

"Noli vereri Navarche," inquit illa, "evolet licet accipiter, columbæ non eum sequuntur."

"Numquid ille te sequi iussit?" quæro indignabundus.

"Parum instabat," respondet puella, "nos vero maluimus hic manere, nec lubebat in ea atra navi maiori sedes quærere."

His auditis certiorem feci puellam recte eam statuisse, meque Hazaelem severe obiurgaturum, si ad eas hinc subripere moliretur. Tum me roganti facile annui, ut in stega, gratiá auræ recentioris hauriendæ, libere obambulare possent; sed antequam ipsa se avertisset, Sammai, qui hactenus cum Hannibale de quibusdam rebus militaribus disceptabat, conspicatus vultum eius, exclamat:

"Hiccine tu, Abigail?"

"Tute ipse es, Sammai?" quærit ipsa vicissim, eodem puncto temporis manus præbent, sibique vicissim in oculos contuentes, singultare cœperunt.

Simul ac Sammai sese componere poterat, percontabatur ab ea, quí id factum esset, ut eam navis Phœnicia haberet.

"An nesciebas," quærit ea vicissim, "Philistæos in pagum nostrum Gedor descendisse, me Ascalonem[1] rapuisse, denique Tyriis me vendidisse?"

"Non, Hercle," respondit ille, "hæc omnia prorsus nova

1. Portus Philistæorum; n. 48.

mihi sunt. Nam ego in bello, contra regem Tzóbam, in Septemtrione eo tempore occupatus, nec ex eo tempore domi fui."

Haud ita multo post Abigail, prisco, solitoque animo læto et alacri recuperato, narrare perrexit, quemadmodum se rex Tyri præstinaverit, nunc autem in itinere commissa sit in Ægyptum, veluti comes virginis Ionicæ, quam rex Hiram eodem secum tempore emërat, quamque is Pharaoni in donum mittat.

Sammai autem, ex sua parte, certiorem eam fecit sibi facultatem esse concessam, ut se socium expeditionis adiungeret, et dolere se aiebat iter in Ægyptum tam brevi finem accepturum; addidit præterea: "Utinam peregrinatio non minus duratura esset, quam maiorum nostrorum quondam peregrinatio in deserto.

Mutuá hac agnitione motus, puellam, ut paulisper inter nos consideret invitavi; rogavi insuper Hannonem, qui gnarus linguæ Ionicæ erat, ut virginem etiam ad idem faciendum invitaret. Ipsa, gratá obsequentiá, in pulvillo sibi apparato consedit.

Cœna satis iucundo eventu cessit. Sammai et Abigail nos narratione suæ anteactæ amicitiæ, rerumque in pueritia gestarum, quemadmodum unà in pascuis suis nativis capras pavissent, oblectaverunt. Facere non poteram quin iis coram animi ægritudinem faterer, quod propediem ipsis iterum secedendum esset.

"At, fortasse," inquit Abigail, "Pharao me servare minus curabit, nam mei similes rex Pharao, sine dubitatione, millenas habet. En heram meam! ipsa illi mittitur; at, quod ad me attinet, me pro certo relegabit."

Sammai constrictis pugnis, veluti me appellans, me contuetur, ego tamen alio solatio subvenire haud poteram quam memorando mihi videri, puellam, itinere confecto, ab officio heram suam comitandi, absolutum iri.

"Præterea," subnectit Hannibal, "ipsa munere soluta, prorsus sola et derelicta esset. Parum referre, quod Hazael tanto nisu eam oblectare conetur."

Interea Hanno atque virgo Ionica colloquia inter se texere cœperunt, et hoc tantá inter se fiduciá, ut mihi iam gravius ad ferendum videretur; ut ergo modum rei ponerem, usus occasione, ubi scyphi complerentur, quæsivi ab Hannone, quum ipse psallendi gnarus perhiberetur, utrumne virgini persuadere posset, ut ipso chorago, quoddam carmen nativum præcinere vellet. Linguæ Phœniciæ paucillum gnara, ipsa pro se respondit, se et posse, et libenter velle, ut cuperem.

Cithará allatá, et in harmoniam redactá, ipsa, velamine revulso, vultum nobis exhibebat singulari gratiá venustum. Virgo more mulierum Phœnicum erat induta habitu purpureo, argento acupicto, in collo autem monilia trium ordinum aureorum ocellorum affabre factorum. Erat ipsa capite nudo, comá patrio more concinnatá, a fronte retro flexá, et in medio revinctá. Nos alto silentio circumsedebamus, veluti solo fixi, eiusque mirá venustate constricti.

Primum quam servus meus lychnis in latere navis eo paratis lucernas adaptasset, virgo Ionica, voce clará ac sonorá quandam cantilenam suæ patriæ fundere exorsa est. Linguæ quidem Ionicæ familiaritatem mihi nullam esse fateor, tamen, in peregrinationibus meis vagam quandam cognitionem eius comparavi ut satis intelligerem eam bella celebrare a civibus suis longe ab hinc cum Achæis, et contra Priamum, regem Troiæ gesta. Ut vox eius subinde in dulcedinem vertiginosam exsurgebat, oculi Sammai affectibus animi scintillare videbantur, digiti vero Hannibalis capulum sui gladii tentare. Quin et illi, qui sensum verborum non ceperant, tamen modulis ad ima cordis capiebantur, æquè ac venustate eximiá cantatricis. Finitá cantilená, virgo exsurrexit, pedemque non aliter quam ipsa Diva Astarte id factura esset, per undas præterlabens, cum gratia retraxit.

Postquam virgo discesserat, Hanno protinus ad oram navis se recepit, ibique stans, animo non parum turbatus, fluctus conturbatur. Quum eius suavi conversatione diutius carerem, ad eum accessi, quæsivique ex eo, quid rei esset.

"Nihil quidquam," respondit, "quod non brevi prætereat."

"Tibi suaserim," moneo eum, "nequid ex his, quæ hac ve-

perá hic dicta gestaque sunt, Bodmilcari enuntietur; equidem nec illi, nec spadoni fidem habeo."

"Nihil refert," respondet ille, "quid Bodmilcar fecerit. Quod ad me attinet, promissis meis stabo. Modo ego Tartessum perveniam, ibique audacius quid agendi facultatem reperiam. Nec despero quin nauta usque evadam aptus, Navarche mi;" et dum sic loquebatur vox aliquantum rauca clarescere cœpit. Manus eius tum prehendi, veluti fidem eius confirmaturus. Nescio quo pacto, in diem iuvenis mihi gratior et acceptior esse cœpit.

Quum ad cæteros reverteram, Sammai sic reperi, quasi in siccum redire mallet.

"Fausta felixque sit tibi nox, Sammai," alloquor eum, "cras mane iterum conveniemus."

"Faustam ac placidam tibi precor noctem, mi Navarche, vobisque omnibus!" inquit ille in responsum, et quam primum in navi erat, clamavit; "Vale Abigail, blanda columba mea, nox tibi fausta et placida esto!"

"Tibi quoque, agnelle mi!" respondet illi Abigail, pervicax e casteria sua prospectans.

Eodem ipso tempore spado advenit. "Lurco ille bonis est pulmonibus;" contemptim animadvertit præteriens; "verum ego dubito utrum Pharaoni valde gratum fuerit sua mancipia toti orbi ostentui exhiberi."

"Sic, profecto; nec si resciverit eandem lautitiis a Navarcho et scriba eius celebratam fuisse," addit Bodmilcar, pede interim e pulvillo excutiens citharam Hannonis, quam hic casu, discedente virgine Ionica, ibi reliquerat.

"Quæ tu hic agitas, mihi perquam ingrata sunt;" respondeo ego loquelæ eius voce severiori; sed Bodmilcar sermoni meo verbis acrioribus incidit: "Hazael, fretus auctoritate regis, de mancipiis ad suum arbitrium, ut lubet, statuet."

Verba hæc me non parum exasperarunt. Ferendum non erat ut spado Syrius, ipse mancipium, suam meæ auctoritati anteponere præsumat, meque, hominem liberum, navarchum Sidonicæ classis, sibi posthabeat. Bodmilcarem itaque obtutu rigido et constanti contueor, quod is minus videbatur intelligere

quid dixerit; sed ipse, simultate quadam mihi obtutum temere reddidit.

Tum ipse voce elatá pergit: "Iuvenca ista Ionica mea quondam fuit, sed mihi a latronibus erepta erat, qui eam regi vendiderunt. Rex eam regi Pharaoni in donum mittit; quum itaque obnitor, quominus donum regis in manus incidat scribæ tui, officio meo satisfacere arbitror."

Contra, ego, firma voce respondi: "De cunctis his rebus meum erit hic iudicare. His in navibus auctoritas mea de omnibus rebus sola valebit; et væ illi qui eam in dubium vocare ausus fuerit."

"Præclare dictum!" adstipulatur Hannibal. "Disciplina atque obedientia potissima sunto!"

"Tum *sic* faciam!" clamat ille voce raucá, furore subacto; ego tamen tranquille perinde ac firmiter subiunxi: "Quin facies quod ego iussero; redibis in tuam navim, nautasque tuos curabis. Ego a die crastino quinos dies abero."

Ipse pedes versus navim retraxit, minas et maledicta inter eundum mussans, quæ tamen ego flocci feci.

Postquam ille discessit, Hazael sic fatur: "Nunc vero ego ibo, puellamque eam castigabo."

Hoc audito, ut eum a proposito deterrerem, manum illi inieci, sed ipse mihi se eripuit, et iam ad ianuam casteriæ accessit, quum subito, fortissimis brachiis, Hannibal eum prehendit, totumque eum circumvertit.

"Eho! quod scelus te agitat?" balbutit ille, me prius, tum Hannibalem contuitus, qui eum usque prehensum tenebat. Ego brachiis iunctis, oculisque in eum defixis, stabam.

"Audi!" aio illi, "audi quæ dicam! Leges navium Phœniciarum hæ sunt: 'Quicunque mandatis navarchi refragari audeat, fune ex antennis ter aquæ mergitur.' Tenesne?"

Formidine agitatus spado, in assensum caput quasstiva.

"Præterea," addidi insuper, "huius rei memento; nec minus alterius legis memineris: 'Siquis alteri maledicat, is ad malum devincitur, ac flagellis cæditur, atque quinas et vicenas plagas sustinet;' etiamne hoc tenes?"

Iterum capite nutat.

"Nec denique oblitum iveris," ulterius eum moneo, "puellam Abigail lingua pollere loquaci, me autem auribus acutis. Nunc autem, Hannibal fac eum missum!"

Hazael se ad casteriam sine verbo contulit. Hannibal se a risu vix continere poterat. Tandem sic me affatur: "Eximie factum, Navarche! Optime statuisti! Res ex integro fieri præstat. Namque in navi refragari, perinde est ac rebellare in castris."

Postridie, primo mane, Bodmilcarem acciri iussi.

"Bodmilcar," eum alloquor, "tu vetus nauta Phœnicius es; fides tibi haberi deberet; at ego vereor, ne spado ille te ab officiis avertat. Ipse non diu nobiscum versabitur; confido futurum, ut quum ille cum mulierculis discesserit, tu ad saniora reversurus sis; interea tamen postulo abs te, ut fide interpositá, mihi pollicearis, pacem atque disciplinam abs te servatum iri."

Ipse tentabat negare discordiam se fovisse; mihi tamen verba dari non poterant, nec a proposito discessi, vet fidem ultro dandam exegi, quo denique facto, hæc visum est mihi eum monere:

"Nunc mandata mea animadverte. Dum ego Hierosolyma profecturus abfuero, te præfectum classis constituo. Hanno et Hannibal me comitabuntur; sed Hasdrubal, Hamilcar atque Himilco apud te manebunt, atque milites tibi præsidio erunt. Cordi nobis futurum est, ut commeatum in interioribus regni comparemus, nec ea de re te sollicitari volumus."

"Sed quid de duabus mulierculis fiet?" quærit ipse.

"Hoc meum erit curare;" respondeo illi, "daboque operam, ut iis in littore provideatur. Nos vero statim viam ingrediemur; itaque officiis tuis adesto, teque bene valere iubeo."

Hannonem igitur atque Hannibalem scapham degredi iussi, misique servam cum duobus nautis sarcinas portantibus, qui eos comitarentur. Ut Hanno Bodmilcarem præteribat, animadverti hunc torvo vultu eum contueri, atque exspuere. Hanno nihil nisi humeros quatiebat.

Priusquam ipse in scapham degressus essem, cavi, ut mulierculæ atque spado in navi altera in casteriis tuti essent; tum duos nautas delegavi qui post eos res, quibus indigerent, in lit-

tus eveherent. Hazael causam comminisci tentabat, ob quam sibi in navi manere liceret; sed quum me clamare audisset, "Nullo modo!" in scapham nullo amplius obloquio descendit.

Omnibus rite peractis, signoque a me dato, duæ scaphæ solvuntur. Bodmilcar, in puppi stans, tristi vultu nos prosequebatur, dum Himilco, a latere eius, bono animo atque iucundo nobis valedicebat.

Paucis remorum ductibus ad terram advehebamur. Sammai, moræ impatiens, nos præstolabatur, atque puellæ Abigail descendenti sollicitus aderat. In aridum egressi, iter protinus versus pagum flectebamus, qui in ficeto, vix ad duos iactus arcûs a castello aberat, bonamque cisternam habebat. Ante domum, quæ in pago longe optima esse videbatur, duo equi, atque fere duodeni asini stabant deligati. Equi satis commode erant frænis atque ephippiis, phalerisque ornati, capita autem eorum coccineis reticulis, cum pendulis tintinnabulis fimbriatis, atque coloratis rosulis erant operta, caudæ autem coccineis fascibus in sublime constrictæ, ac revinctæ. Iubæ caudæque asinorum more gentis, benná erant tinctæ, atque tam hi, quam equi, loris probe erant instructi.

"Domus ista," inquit Sammai, "Bichrii[1] est; is unus virorum est, quos comites itineris tibi adiungi vellem. Ipse iuvenis et fortis est, magnumque habet usum et arcûs, et gladii, atque scuti. Antea vineæ colendæ dabat operam in collibus, estque artis vina producendi longe peritissimus."

Eodem ipso tempore Bichri ipse ad nos salutandum prodiit; socium habebat secum alium quendam iuvenem cum muliere.

"Hic Barzillai[2] est," inquit Sammai, eum sistens, "unus e centurionibus decem, hæc autem sua uxor est, Milcha;[3] ipsa soror est amici nostri Bichri, claraque apud nos est ob liba, quæ ipsa præstantissima facit."

Tum Hannibal proponit ut Barzillai, suaque uxor, in comites expeditionis adoptentur; sed Sammai docebat nos hoc fieri non posse, ut hi ad iter maritimum suscipiendum permoveantur.

1. Nomen viri; n. 49.
2. Nomen viri; n. 50.
3. Nomen mulieris; n. 51.

Unum usque munus supererat, mempe domicilii pro mulierculis reperiendi. Relatum mihi est, domicilium pro illis in turri obtineri posse; item domum Bichri eis patere, ubi satis prope ad domum Barzillai essent, ut et societate uxoris eius, et præsidio militum fruerentur. Primum Sammai, ubi intellexit futurum non esse ut mulieres nos Hierosolyma comitentur, mussare cœpit; sed quum perspexisset consilium meum esse ut Abigail, cum hera sua unà, ibi, ubi essent, permaneret, sine verbo acquievit. Demandavi Barzillai, ne cui, præter spadonem, ullo sub prætextu permitteret, ut virginem Ioniam visum adiret; ipse autem, veluti in fidem, vaginam gladii percussit, se fidem non falsurum.

"Ubinam ego habitabo?" nunc spado quærit.

"Ubicunque videbitur;" respondi illi, "domi Bichri, si libeat."

"Quid? domi meæ?" obtestatur Bichri, "aliquis Syrus Sobanus[1] domi meæ? Nequaquam, Navarche, pace tua, id habere nollem, nec id fieri poterit."

"Eccur non?" indignabundus quærit spado; "num nos Syri vobis posthabendi sumus?"

"Haud secus. Syri servi sunt; rex noster vos ad Sobam, et ad Damascum profligavit; pulices estis, atque canes morticini."

"Verum, Hercle, est," Sammai adstipulatur, "Philistæi e Gaza et Ascalon hostes digni sunt qui superentur, at Syri, horum vel duodenos hastæ meæ fixos ipse possem in humero portare."

"Ha, ha!" risit Hannibal, "Sammai perquam amat iocari; ipse nos sub itinere multis iocis diversitabit."

Quærenti Barzillai, utrum mulieribus ambulandi subinde copia sit, respondi, posse Abigail, quippe quæ indigena hic esset, interdum cum Milcha ambulatum exire; attamen virginem Ionicam, usque ad meum reditum domi contineri oportere. Conventum est inter eos, uti sedulo ab iis opera daretur, ne virgini Ionicæ ad tempus iucunde agendum quidquam desideraretur,

1. Nomen loci; pars Syriæ; n. 52.

atque Milcha pollicita est se facturam, ut illa artem, liba aliaque bellaria parandi, interea discat.


Itaque cunctis ad tempus rite constitutis, introibamus domum, ut antequam iter ingrederemur, cibo nos reficeremus.

Visum mihi etiam est ut satis præsidii collocaretur, quindenos militum nostrorum militibus Barzillai addere, pro quibus ipse domicilia in pago comparaturum se promisit. Itaque Hannibal ad accersendos e navi quindecim sagittarios misit; ego autem eodem nuntio usus, Hamilcarem, quique cum eo erant, de iis cautelis certiorem feci, quibus efficaces obices me posuisse credebam, quominus Bodmilcar cum spadone quidquam molimenti comminisci posset.

Spado in epulis nostris participare renuit, et ad naves iracundus reversus est. Milcha virginem Ionicam in proprium domicilium deduxit, sed mox reversa est, secumque liba illa, quorum fama iuste percrebruerat, terna quibusque accumbentibus secum tulit. Verum Sammai, atque Abigail, tanta dulcedine conversationis inter se capiebantur, ut suam portionem plane negligerent, quam Hannibal minime fastidiens, absumpsit.

Bichri, epulis vix peractis, primus prodibat visum, utrum equi asinique parati essent; eum, salute inter nos et Barzillai Michaque utrimque data et reddita, paullo post ipsi sequebamur. Ut per se patet, tempus inter amatores ultimum vale dicendi æquo fere diutius durabat. Ut eram ad medullam usque Sidonius, magis assuetus iactationi navium, quam subsultibus equorum, equum vivacem, quem Iudæus ille mihi obtulerat, conscendere nolui, et satius existimavi quieto ac securiori asino insidere. Hanno, me suadente, hospiti nostro pannum coccineum dono dedit, uxori autem ego par inaurium ex argento donavi, quibus ipsa perquam delectabatur, pueris autem et puellis munuscula puparum fictilium dedimus, qui sursum deorsumque gremia nostra conserpebant. Sammai, qui novam cataphractam induerat, veterem autem Barzillai donaverat, multum nos morabatur, vel duodecies in domum recursans, frivolis causis prætextis, ut verum propositum, amicæ suæ iterum atque iterum valedicendi, celaret, quum demum consilium cepit equum [illegible]scendendi, quo

nec ego, nec Hanno equitare vellemus. Hannibal interea iam alium equum conscenderat, suamque equitandi peritiam circum nos discursando ac saltitando ostentabat. Sarcinas nostras quatuor asinis imposuimus; Hanno, duo nautæ, meusque servus, cæteris insidebant, Bichri autem, incessui duriori, utpote montanus, assuetus, exploratoris vice, agmen antecedebat.



missus advenit, qui nuntiaret eum cuncta iam coemisse. Quærebam ex eo, cur nauclerus ipse in socium non venisset. Aliam causam ipse allegare non posse arbitrabatur, quam quod Bodmilcar spadonem ad secum cœnandum in *Melcarth* invitavisset.

Hanno expalluit.

"Spado ille perditus!" mecum mutio, postquam nauta tergum vertit; "sine dubitatione, aliquid improbi ac noxii molitur; speremus tamen mulieres nullius molimenti participes esse futuras."

Hanno tantum quod non actutum ad casteriam proruit, quum ianuá apertá, ancilla intrat, quam hera sua velata comitatur.

"Noli vereri Navarche," inquit illa, "evolet licet accipiter, columbæ non eum sequuntur."

"Numquid ille te sequi iussit?" quæro indignabundus.

"Parum instabat," respondet puella, "nos vero maluimus hic manere, nec lubebat in ea atra navi maiori sedes quærere."

His auditis certiorem feci puellam recte eam statuisse, meque Hazaelem severe obiurgaturum, si ad eas hinc subripere moliretur. Tum me roganti facile annui, ut in stega, gratiá auræ recentioris hauriendæ, libere obambulare possent; sed antequam ipsa se avertisset, Sammai, qui hactenus cum Hannibale de quibusdam rebus militaribus disceptabat, conspicatus vultum eius, exclamat:

"Hiccine tu, Abigail?"

"Tute ipse es, Sammai?" quærit ipsa vicissim, eodem puncto temporis manus præbent, sibique vicissim in oculos contuentes, singultare cœperunt.

Simul ac Sammai sese componere poterat, percontabatur ab ea, quí id factum esset, ut eam navis Phœnicia haberet.

"An nesciebas," quærit ea vicissim, "Philistæos in pagum nostrum Gedor descendisse, me Ascalonem[1] rapuisse, denique Tyriis me vendidisse?"

"Non, Hercle," respondit ille, "hæc omnia prorsus nova

1. Portus Philistæorum; n. 48.

mihi sunt. Nam ego in bello, contra regem Tzóbam, in Septemtrione eo tempore occupatus, nec ex eo tempore domi fui."

Haud ita multo post Abigail, prisco, solitoque animo læto et alacri recuperato, narrare perrexit, quemadmodum se rex Tyri præstinaverit, nunc autem in itinere commissa sit in Ægyptum, veluti comes virginis Ionicæ, quam rex Hiram eodem secum tempore emërat, quamque is Pharaoni in donum mittat.

Sammai autem, ex sua parte, certiorem eam fecit sibi facultatem esse concessam, ut se socium expeditionis adiungeret, et dolere se aiebat iter in Ægyptum tam brevi finem accepturum; addidit præterea: "Utinam peregrinatio non minus duratura esset, quam maiorum nostrorum quondam peregrinatio in deserto.

Mutuá hac agnitione motus, puellam, ut paulisper inter nos considéret invitavi; rogavi insuper Hannonem, qui gnarus linguæ Ionicæ erat, ut virginem etiam ad idem faciendum invitaret. Ipsa, gratá obsequentiá, in pulvillo sibi apparato consedit.

Cœna satis iucundo eventu cessit. Sammai et Abigail nos narratione suæ anteactæ amicitiæ, rerumque in pueritia gestarum, quemadmodum unà in pascuis suis nativis capras pavissent, oblectaverunt. Facere non poteram quin iis coram animi ægritudinem faterer, quod propediem ipsis iterum secedendum esset.

"At, fortasse," inquit Abigail, "Pharao me servare minus curabit, nam mei similes rex Pharao, sine dubitatione, millenas habet. En heram meam! ipsa illi mittitur; at, quod ad me attinet, me pro certo relegabit."

Sammai constrictis pugnis, veluti me appellans, me contuetur, ego tamen alio solatio subvenire haud poteram quam memorando mihi videri, puellam, itinere confecto, ab officio heram suam comitandi, absolutum iri.

"Præterea," subnectit Hannibal, "ipsa munere soluta, prorsus sola et derelicta esset. Parum referre, quod Hazael tanto nisu eam oblectare conetur."

Interea Hanno atque virgo Ionica colloquia inter se texere cœperunt, et hoc tantá inter se fiduciá, ut mihi iam gravius ad ferendum videretur; ut ergo modum rei ponerem, usus occasione, ubi scyphi complerentur, quæsivi ab Hannone, quum ipse psallendi gnarus perhiberetur, utrumne virgini persuadere posset, ut ipso chorago, quoddam carmen nativum præcinere vellet. Linguæ Phœniciæ paucillum gnara, ipsa pro se respondit, se et posse, et libenter velle, ut cuperem.

Cithará allatá, et in harmoniam redactá, ipsa, velamine revulso, vultum nobis exhibebat singulari gratiá venustum. Virgo more mulierum Phœnicum erat induta habitu purpureo, argento acupicto, in collo autem monilia trium ordinum aureorum ocellorum affabre factorum. Erat ipsa capite nudo, comá patrio more concinnatá, a fronte retro flexá, et in medio revinctá. Nos alto silentio circumsedebamus, veluti solo fixi, eiusque mirá venustate constricti.

Primum quam servus meus lychnis in latere navis eo paratis lucernas adaptasset, virgo Ionica, voce clará ac sonorá quandam cantilenam suæ patriæ fundere exorsa est. Linguæ quidem Ionicæ familiaritatem mihi nullam esse fateor, tamen, in peregrinationibus meis vagam quandam cognitionem eius comparavi ut satis intelligerem eam bella celebrare a civibus suis longe ab hinc cum Achæis, et contra Priamum, regem Troiæ gesta. Ut vox eius subinde in dulcedinem vertiginosam exsurgebat, oculi Sammai affectibus animi scintillare videbantur, digiti vero Hannibalis capulum sui gladii tentare. Quin et illi, qui sensum verborum non ceperant, tamen modulis ad ima cordis capiebantur, æquè ac venustate eximiá cantatricis. Finitá cantilená, virgo exsurrexit, pedesque non aliter quam ipsa Diva Astarte id factura esset, per undas præterlabens, cum gratia retraxit.

Postquam virgo discesserat, Hanno protinus ad oram navis se recepit, ibique stans, animo non parum turbatus, fluctus contuebatur. Quum eius suavi conversatione diutius carerem, ad eum accessi, quæsivique ex eo, quid rei esset.

"Nihil quidquam," respondit, "quod non brevi prætereat."

"Tibi suaserim," moneo eum, "nequid ex his, quæ hac ve-

perá hic dicta gestaque sunt, Bodmilcari enuntietur; equidem nec illi, nec spadoni fidem habeo."

"Nihil refert," respondet ille, "quid Bodmilcar fecerit. Quod ad me attinet, promissis meis stabo. Modo ego Tartessum perveniam, ibique audacius quid agendi facultatem reperiam. Nec despero quin nauta usque evadam aptus, Navarche mi;" et dum sic loquebatur vox aliquantum rauca clarescere cœpit. Manus eius tum prehendi, veluti fidem eius confirmaturus. Nescio quo pacto, in diem iuvenis mihi gratior et acceptior esse cœpit.

Quum ad cæteros reverteram, Sammai sic reperi, quasi in siccum redire mallet.

"Fausta felixque sit tibi nox, Sammai," alloquor eum, "cras mane iterum conveniemus."

"Faustam ac placidam tibi precor noctem, mi Navarche, vobisque omnibus!" inquit ille in responsum, et quam primum in navi erat, clamavit; "Vale Abigail, blanda columba mea, nox tibi fausta et placida esto!"

"Tibi quoque, agnelle mi!" respondet illi Abigail, pervicax e casteria sua prospectans.

Eodem ipso tempore spado advenit. "Lurco ille bonis est pulmonibus;" contemptim animadvertit præteriens; "verum ego dubito utrum Pharaoni valde gratum fuerit sua mancipia toti orbi ostentui exhiberi."

"Sic, profecto; nec si resciverit eandem lautitiis a Navarcho et scriba eius celebratam fuisse," addit Bodmilcar, pede interim e pulvillo excutiens citharam Hannonis, quam hic casu, discedente virgine Ionica, ibi reliquerat.

"Quæ tu hic agitas, mihi perquam ingrata sunt;" respondeo ego loquelæ eius voce severiori; sed Bodmilcar sermoni meo verbis acrioribus incidit: "Hazael, fretus auctoritate regis, de mancipiis ad suum arbitrium, ut lubet, statuet."

Verba hæc me non parum exasperarunt. Ferendum non erat ut spado Syrius, ipse mancipium, suam meæ auctoritati anteponere præsumat, meque, hominem liberum, navarchum Sidonicæ classis, sibi posthabeat. Bodmilcarem itaque obtutu rigido et constanti contueor, quod is minus videbatur intelligere

quid dixerit; sed ipse, simultate quadam mihi obtutum temere reddidit.

Tum ipse voce elatá pergit: "Iuvenca ista Ionica mea quondam fuit, sed mihi a latronibus erepta erat, qui eam regi vendiderunt. Rex eam regi Pharaoni in donum mittit; quum itaque obnitor, quominus donum regis in manus incidat scribæ tui, officio meo satisfacere arbitror."

Contra, ego, firma voce respondi: "De cunctis his rebus meum erit hic iudicare. His in navibus auctoritas mea de omnibus rebus sola valebit; et væ illi qui eam in dubium vocare ausus fuerit."

"Præclare dictum!" adstipulatur Hannibal. "Disciplina atque obedientia potissima sunto!"

"Tum *sic* faciam!" clamat ille voce raucá, furore subacto; ego tamen tranquille perinde ac firmiter subiunxi: "Quin facies quod ego iussero; redibis in tuam navim, nautasque tuos curabis. Ego a die crastino quinos dies abero."

Ipse pedes versus navim retraxit, minas et maledicta inter eundum mussans, quæ tamen ego flocci feci.

Postquam ille discessit, Hazael sic fatur: "Nunc vero ego ibo, puellamque eam castigabo."

Hoc audito, ut eum a proposito deterrerem, manum illi inieci, sed ipse mihi se eripuit, et iam ad ianuam casteriæ accessit, quum subito, fortissimis brachiis, Hannibal eum prehendit, totumque eum circumvertit.

"Eho! quod scelus te agitat?" balbutit ille, me prius, tum Hannibalem contuitus, qui eum usque prehensum tenebat. Ego brachiis iunctis, oculisque in eum defixis, stabam.

"Audi!" aio illi, "audi quæ dicam! Leges navium Phœniciarum hæ sunt: 'Quicunque mandatis navarchi refragari audeat, fune ex antennis ter aquæ mergitur.' Tenesne?"

Formidine agitatus spado, in assensum caput quasstiva.

"Præterea," addidi insuper, "huius rei memento; nec minus alterius legis memineris: 'Siquis alteri maledicat, is ad malum devincitur, ac flagellis cæditur, atque quinas et vicenas plagas sustinet;' etiamne hoc tenes?"

Iterum capite nutat.

"Nec denique oblitum iveris," ulterius eum moneo, "puellam Abigail lingua pollere loquaci, me autem auribus acutis. Nunc autem, Hannibal fac eum missum!"

Hazael se ad casteriam sine verbo contulit. Hannibal se a risu vix continere poterat. Tandem sic me affatur: "Eximie factum, Navarche! Optime statuisti! Res ex integro fieri præstat. Namque in navi refragari, perinde est ac rebellare in castris."

Postridie, primo mane, Bodmilcarem acciri iussi.

"Bodmilcar," eum alloquor, "tu vetus nauta Phœnicius es; fides tibi haberi deberet; at ego vereor, ne spado ille te ab officiis avertat. Ipse non diu nobiscum versabitur; confido futurum, ut quum ille cum mulierculis discesserit, tu ad saniora reversurus sis; interea tamen postulo abs te, ut fide interpositá, mihi pollicearis, pacem atque disciplinam abs te servatum iri."

Ipse tentabat negare discordiam se fovisse; mihi tamen verba dari non poterant, nec a proposito discessi, vet fidem ultro dandam exegi, quo denique facto, hæc visum est mihi eum monere:

"Nunc mandata mea animadverte. Dum ego Hierosolyma profecturus abfuero, te præfectum classis constituo. Hanno et Hannibal me comitabuntur; sed Hasdrubal, Hamilcar atque Himilco apud te manebunt, atque milites tibi præsidio erunt. Cordi nobis futurum est, ut commeatum in interioribus regni comparemus, nec ea de re te sollicitari volumus."

"Sed quid de duabus mulierculis fiet?" quærit ipse.

"Hoc meum erit curare;" respondeo illi, "daboque operam, ut iis in littore provideatur. Nos vero statim viam ingrediemur; itaque officiis tuis adesto, teque bene valere iubeo."

Hannonem igitur atque Hannibalem scapham degredi iussi, misique servam cum duobus nautis sarcinas portantibus, qui eos comitarentur. Ut Hanno Bodmilcarem præteribat, animadverti hunc torvo vultu eum contueri, atque exspuere. Hanno nihil nisi humeros quatiebat.

Priusquam ipse in scapham degressus essem, cavi, ut mulierculæ atque spado in navi altera in casteriis tuti essent; tum duos nautas delegavi qui post eos res, quibus indigerent, in lit-

tus eveherent. Hazael causam comminisci tentabat, ob quam sibi in navi manere liceret; sed quum me clamare audisset, "Nullo modo!" in scapham nullo amplius obloquio descendit.

Omnibus rite peractis, signoque a me dato, duæ scaphæ solvuntur. Bodmilcar, in puppi stans, tristi vultu nos prosequebatur, dum Himilco, a latere eius, bono animo atque iucundo nobis valedicebat.

Paucis remorum ductibus ad terram advehebamur. Sammai, moræ impatiens, nos præstolabatur, atque puellæ Abigail descendenti sollicitus aderat. In aridum egressi, iter protinus versus pagum flectebamus, qui in ficeto, vix ad duos iactus arcûs a castello aberat, bonamque cisternam habebat. Ante domum, quæ in pago longe optima esse videbatur, duo equi, atque fere duodeni asini stabant deligati. Equi satis commode erant frænis atque ephippiis, phalerisque ornati, capita autem eorum coccineis reticulis, cum pendulis tintinnabulis fimbriatis, atque coloratis rosulis erant operta, caudæ autem coccineis fascibus in sublime constrictæ, ac revinctæ. Iubæ caudæque asinorum more gentis, benná erant tinctæ, atque tam hi, quam equi, loris probe erant instructi.

"Domus ista," inquit Sammai, "Bichrii[1] est; is unus virorum est, quos comites itineris tibi adiungi vellem. Ipse iuvenis et fortis est, magnumque habet usum et arcûs, et gladii, atque scuti. Antea vineæ colendæ dabat operam in collibus, estque artis vina producendi longe peritissimus."

Eodem ipso tempore Bichri ipse ad nos salutandum prodiit; socium habebat secum alium quendam iuvenem cum muliere.

"Hic Barzillai[2] est," inquit Sammai, eum sistens, "unus e centurionibus decem, hæc autem sua uxor est, Milcha;[3] ipsa soror est amici nostri Bichri, claraque apud nos est ob liba, quæ ipsa præstantissima facit."

Tum Hannibal proponit ut Barzillai, suaque uxor, in comites expeditionis adoptentur; sed Sammai docebat nos hoc fieri non posse, ut hi ad iter maritimum suscipiendum permoveantur.

1. Nomen viri; n. 49.
2. Nomen viri; n. 50.
3. Nomen mulieris; n. 51.

Unum usque munus supererat, mempe domicilii pro mulierculis reperiendi. Relatum mihi est, domicilium pro illis in turri obtineri posse; item domum Bichri eis patere, ubi satis prope ad domum Barzillai essent, ut et societate uxoris eius, et præsidio militum fruerentur. Primum Sammai, ubi intellexit futurum non esse ut mulieres nos Hierosolyma comitentur, mussare cœpit; sed quum perspexisset consilium meum esse ut Abigail, cum hera sua unà, ibi, ubi essent, permaneret, sine verbo acquievit. Demandavi Barzillai, ne cui, præter spadonem, ullo sub prætextu permitteret, ut virginem Ioniam visum adiret; ipse autem, veluti in fidem, vaginam gladii percussit, se fidem non falsurum.

"Ubinam ego habitabo?" nunc spado quærit.

"Ubicunque videbitur;" respondi illi, "domi Bichri, si libeat."

"Quid? domi meæ?" obtestatur Bichri, "aliquis Syrus Sobanus[1] domi meæ? Nequaquam, Navarche, pace tua, id habere nollem, nec id fieri poterit."

"Eccur non?" indignabundus quærit spado; "num nos Syri vobis posthabendi sumus?"

"Haud secus. Syri servi sunt; rex noster vos ad Sobam, et ad Damascum profligavit; pulices estis, atque canes morticini."

"Verum, Hercle, est," Sammai adstipulatur, "Philistæi e Gaza et Ascalon hostes digni sunt qui superentur, at Syri, horum vel duodenos hastæ meæ fixos ipse possem in humero portare."

"Ha, ha!" risit Hannibal, "Sammai perquam amat iocari; ipse nos sub itinere multis iocis diversitabit."

Quærenti Barzillai, utrum mulieribus ambulandi subinde copia sit, respondi, posse Abigail, quippe quæ indigena hic esset, interdum cum Milcha ambulatum exire; attamen virginem Ionicam, usque ad meum reditum domi contineri oportere. Conventum est inter eos, uti sedulo ab iis opera daretur, ne virgini Ionicæ ad tempus iucunde agendum quidquam desideraretur,

1. Nomen loci; pars Syriæ; n. 52.


atque Milcha pollicita est se facturam, ut illa artem, liba aliaque bellaria parandi, interea discat.

Itaque cunctis ad tempus rite constitutis, introibamus domum, ut antequam iter ingrederemur, cibo nos reficeremus.


Visum mihi etiam est ut satis præsidii collocaretur, quindenos militum nostrorum militibus Barzillai addere, pro quibus ipse domicilia in pago comparaturum se promisit. Itaque Hannibal ad accersendos e navi quindecim sagittarios misit; ego autem eodem nuntio usus, Hamilcarem, quique cum eo erant, de iis cautelis certiorem feci, quibus efficaces obices me posuisse credebam, quominus Bodmilcar cum spadone quidquam molimenti comminisci posset.

Spado in epulis nostris participare renuit, et ad naves iracundus reversus est. Milcha virginem Ionicam in proprium domicilium deduxit, sed mox reversa est, secumque liba illa, quorum fama iuste percrebruerat, terna quibusque accumbentibus secum tulit. Verum Sammai, atque Abigail, tanta dulcedine conversationis inter se capiebantur, ut suam portionem plane negligerent, quam Hannibal minime fastidiens, absumpsit.

Bichri, epulis vix peractis, primus prodibat visum, utrum equi asinique parati essent; eum, salute inter nos et Barzillai Michaque utrimque data et reddita, paullo post ipsi sequebamur. Ut per se patet, tempus inter amatores ultimum vale dicendi æquo fere diutius durabat. Ut eram ad medullam usque Sidonius, magis assuetus iactationi navium, quam subsultibus equorum, equum vivacem, quem Iudæus ille mihi obtulerat, conscendere nolui, et satius existimavi quieto ac securiori asino insidere. Hanno, me suadente, hospiti nostro pannum coccineum dono dedit, uxori autem ego par inaurium ex argento donavi, quibus ipsa perquam delectabatur, pueris autem et puellis munuscula puparum fictilium dedimus, qui sursum deorsumque gremia nostra conserpebant. Sammai, qui novam cataphractam induerat, veterem autem Barzillai donaverat, multum nos morabatur, vel duodecies in domum recursans, frivolis causis prætextis, ut verum propositum, amicæ suæ iterum atque iterum valedicendi, celaret, quum demum consilium cepit equum conscendendi, quo



nec ego, nec Hanno equitare vellemus. Hannibal interea iam alium equum conscenderat, suamque equitandi peritiam circum nos discursando ac saltitando ostentabat. Sarcinas nostras quatuor asinis imposuimus; Hanno, duo nautæ, meusque servus, cæteris insidebant, Bichri autem, incessui duriori, utpote montanus, assuetus, exploratoris vice, agmen antecedebat.



CAPUT IV

Rex David.

POSTQVAM agros, segetibus lætos, præteriveramus, in devexa planitie, ubi passim ficeta, luci palmarum, arboretaque staturæ humilioris, quibus Iudæa abundat, interspersa vigebant, comasque umbellarum instar propansas habebant, denique montem per semitam angustam, terebinthis alternatim atque vinetis variantem olivetisque, ascendere cœpimus. Via hæc, umbris delectabilis, nos ad pagum Timnam, in iugo collis sitam perduxit, ubi Sammai nos ad incolam quemdam deduxit, qui nobis, iumentisque nostris, hospitium præbuit. Pagus Timna non exigua est, sed et nullo certo ordine posita; septa enim est caducis muris cum duabus portis, duodenisque turribus rotundis, domus autem unius contignationis sunt singulæ, seiunctæque item sunt, atque hortulis circumdatæ.

Iam hic incredibili multitudine pulicum obrui cœpimus, nimiumque quantum examen, quantaque sanguinis appetentiâ nos adoriebantur. Ingentes quoque muscarum turbæ nos insectabantur, atque Hannibal, qui interim suas cataphractas solverat, ut eo efficacius se scalpere posset, non sine iusta causa adnotabat se arbitrari incolas Iudææ Beelzebub[1] Deum muscarum, implorare oportere, ut eos a tanta plaga pestium liberaret.

Postridie prætervecti complura anfractuum prærupta, transscendentesque non pauca collium iuga, regionis cæteroquin sat sedulo cultæ, in conspectum veneramus vallis perquam profundæ, sterilis, atque desertæ.

1. Dominus muscarum; Deus muscarum abactor; n. 53.

In saxis, e quibus et fundus et latera constabant, ossa humana dispersa in sole candicabant. Versus Orientem vertices montium cernebantur, quorum in uno castellum eminebat, valles autem a Meridie eo acclines in iuga conscendere videbantur.

"Ecce Vallis Gigantum!" inquit Bichri, ut baculo, quem manu ferebat, calvariam in terra iacentem convertit.

"Satis bene cognitam habeo," respondet Sammai. "Adolescens solebam Benaiæ esse armiger. Benaia olim e potentissimis viris regis Davidis erat, centurio militum centenûm. Is quodam die leonem in fovea cepit et occidit; alias in pugna singulari gigantem Ægyptium prostravit, atque hac in ipsa valle Rephaim, me sub eo stipendium merente, Philistæos tanta clade affecimus, ut incolæ Asdod ad hunc usque diem nostri vectigales facti fuissent, et usque modo essent."

"Eius rei," addit Hannibal, "ipse adeo ego reminiscor. Philistæi ibi, supra, consistentes, a fronte nostra, munitiones per assultum expugnare conabantur; in declivi, medio circiter colle, rex adortus eos, ad sua præcipitia illos compulit. Acerrimum certamen in valle coortum est; sed internecio cruentissima in ascensu illius iugi, adversum nos, committebatur."

Ulterius progressis nobis Hannibal demonstrabat in superiori valle triginta palos, quibus rex principes Philistæorum alligari iussit; partes ossium usque illic hærere cernebantur.

"Rex noster optimus est;" fari cœpit Sammai; "filius eius Absalom in eum rebellavit, ego tamen in officio erga Davidem regem perseveravi."

"Ego quoque;" inquit Bichri, ac pergit: "tum pugnatum est; in qua pugna ego Othniélem, filium Tzíbá, interfeci: iaculo meo tempora eius uno ictu perfodi; balteus eius e bysso purpureo, quem me gerentem vides, ecce hic est."

Sic procedentibus Sammai, Hannibal atque Bichri, passim, ut quæque res memoratu dignior sese spectantibus offerebat, eventus auscultantibus narraverunt. Quoties vicos atque pagos præteribamus, incolæ animadvertentes nos Phœnices esse, ad nos, munusculis lactis, uvæ passæ, ficorum, vini, aliisque cibariis, confluebant, solliciti tamen sciscitantes, utrum merces haberemus venales. Bichri ubique sedulo explicabat illis nos Hieroso-

lyma iter facere, itaque si merces nostras visere vellent, eo, aut vero Ioppam, ubi naves constitissent, eos proficisci oportere. Subinde pastores, qui in saltubus eximios greges caprarum pascebant, ad nos accesserunt, nos tamen ab illis nihil præstinavimus, præterquam aliquot caseos præclaros, et hos paucis geráis emimus. Hos caseos sub umbra terebinthi edentibus, puellæ gelidam e propinquo fonte aquam nobis ministrarunt, quibus Hanno, in signum grati ob earum humanitatem animi, paucos vitreos ocellos donabat, quibus illæ magnopere delectabantur.

Paullo ante occasum solis diei secundi in conspectum Hierosolymorum, urbis munitissimæ, in fastigio præcipitis collis positæ, pervenimus. Conspectus urbis e longinquo animum miro modo afficit. Loci natura, ubi urbs iacet, editis collibus, et subvexis declivitatibus est iniqua, passim tumulis ac fastigiis interspersa. Muri albicantes, tectaque innumera, quæ inter oliveta, mœnia ambientia sese exserunt, animos viatorum necessariá quadam sui admiratione devincunt.

Viam, qua ex parte torrens Cedron præterfluit transgressi, qui ubi cursum a via deflectit, sese in deserto visui subducit, superavimus etiam ultimum collem olvetis virentem, ultimaque prærupta rupium prætereuntes, mox viam pavitam ascendere cœpimus, quæ ternis equitibus satis lata patebat. Domus hic utrimque lateritiæ erant, earumque hortuli maceriá argillacea septi erant. Interea nox appropinquabat, atque Sammai, qui prorsum quadrupedaverat (Bichri interea ductoris munus obiens), pro porta amplioris cuiusdam horti nos iam præstolabatur, cuius in medio nitida domus lateritia duarum contignationum stabat. Domus hæc sedes erat Iræ, ministri regis, cuius speciale munus erat legatos exterarum gentium excipere, eorumque indigentiis providere. Quamprimum advenimus, servi prodiverunt, ut iumentis nostris consulerent, nostrasque sarcinas in ædes comportarent. Primum in humile cubiculum ducebamur, ubi aqua ad lavandos pedes allata est. Paullo post ipse Ira nos salutatum, et ad epulas invitatum venit. Nomine meo huic indicato, causáque itineris patefactá, litteras regis Hiram ad regem Davidem ostendi. Has ipse in signum reverentiæ ad caput levavit,


pollicitusque est regem de meo adventu sine se morá certiorem facturum.

Epulis ex ordine peractis, dona mea pro rege Davide apparare cœpi. Ante omnia selegi tuniculam subternam hyacinthinam e sindone Ægyptiaca subtilissima factam; tum tunicam supernam purpuream, a collo et a manicis floribus acupictam, atque ex ora fimbriis argenteis præcinctam. His adieci balteum auro argentoque textum, quem caput leonis pro fibula aurea, cuius oculi e vitreato facti erant. Balteus hic exemplar erat scitissimi operis fabrilis Ægyptiaci, unus e quatuor balteis, quos ab artifice nativo in munusculum præstinaveram in gratificationem regibus quos me hoc itinere convenire oportebat. Tertium denique donum adiunxi argenteum scyphum, cum duabus ansis. Hic in speciem calycis basi nitebatur et scapo, cum ornamentis circum cælatis et auro infusis, in formam florum atque fructuum. Hæc igitur dona cistulæ, e ligno santalino ex Ophir imposui, quæ magna arte intestinaria aurea ac testudinea erat facta. Quum memor essem regem non modo musicá delectari, verum ipsum haud mediocrem esse musicum, insuper exquisivi harpam trium fidium, ex eodem santalino ligno factam, cirris coloratis, itemque aviculá aureá, cum rostro hiante, passisque alis, adornatam. Nullum instrumentum musicum, quod huic par esset, extra Phœnicen reperiri poterat; lignum autem ipsum, perinde atque cistulæ, ex Ophir importatum erat. Harpam autem a Cheles-Báal, Sidonio, comparavi, cui eadem a regina terræ Ophir in memoriam delineatarum navium, quæ ad navigandum altum pares essent, data fuerat.

Postridie, multo mane, quum Ira edoctum me venisset regem de meo adventu certiorem factum esse, quumque dona ei exhibuissem quæ regi oblaturus eram, summá devinciebatur admiratione, dixitque ea regi acceptissima futura, atque regem magno me videndi desiderio teneri.

Duas circiter post horas aliqui servi regii vitulum, panes, aliquot caseos, corbem placentarum ficique, hirneam olivarum, cadumque generosissimi vini ex Helbon ferentes advenerunt, quorum unus, postquam me ut legatum regis Hiram consalutasset, sic fatur:





[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

"Nisi admodum fallor, antequam negotia nostra cum eo explicuerimus, satis incommodi ab eo accipiemus."

"Haudquaquam;" inquit Himilco; "iam ego curabo ne id fiat. Antequam fucata ista bellua plus quam fas sit negotiis nostris se ingerat, funem circa calces sentiet, et capite aquis merso pendebit toto ab Ioppa ad Tartessum usque itinere. Ii profecto non sumus, qui instar asinorum se ludificari perferamus."

"Minime vero," assentior illi; "sed, fortasse, omnia prospere cedent; Moloch nostrum præsidium erit, nec Numen Astartes nos iam in alto versaturos, deficiet. Si verum me fateri oporteat, maior circa Hannonis cum Bodmilcare mihi simultatem sollicitudo est."

"Cæterum," excipit Himilco, "decet nos optima sperare; nam Bodmilcar in oneraria muneribus tenebitur, nos vero sedulo dabimus operam, ut Hanno in aliqua barca officio fungatur."

"Vera," inquam "memoras; enitendum nobis profecto erit, ut alter ab altero seiungatur. Quod vero ad postulata huius spadonis attinet, non, Hercle, perspicio, utrum satius ducendum sit casteriam pro eo in altera oneraria, utpote spatiosiori, fieri, an vero hic, in mea navi, ut eos perpetuo sub meis oculis habeam. Dii tam mancipium, quam spadonem istum male perdant!"

Hoc eodem puncto temporis Hanno accedit cum volumine papyri in manu, videbaturque sensum collocutionis nostræ per--episse.

"Quid rei est?" quærit ille. "Mancipium atque spadonem emdam nobiscum vectum iri audio. Cura eorum certe mihi venire deberet. Officium hoc genus semper scribarum esse let. Præterea, in studiis magicis ego iam non parum opera-osui; quin etiam ego plus quam magus q calleo horum indolem, quidque illi concupiscant, v rsentur, accurate teneo."

Contra hæc ego ostendi hos in Ægy erant, satis magorum inventuros, mihiqu iidem perpetuo ante oculos positi s

"Actum itaque est," inquit, "de meis propositis, eos calligraphiam, rhetoricam, vel quidquid aliud, docendi, oportebitque me" ridendo subiungit, "artem meam rationum non excedere."


His dictis, papyrum suum evolvit, computumque sumptuum, quanto manupretia nautarum ac remigum steterint, mihi præponit; item rationes pecuniæ, pro mercibus, cambio idoneis, erogatæ, exhibet.

Intellexi ex eo erogationem hactenus factam, summam, talenti[1] aurei, erga quod Rex mille siclos in antecessum dederat, iam longe excessisse; at vero quum me conducendo mihi demandasset, ut modum sumptibus nullum statuerem, pollicitusque esset se omnis iusti æquique dispendii curam habiturum, nulla sollicitudo me tenebat; quamobrem Hannonem minime dubitabam in regiam mittere, qui rationes exhiberet, atque, insuper, nova adminicula expeteret. Responsum munificentissimum datum.

Interea ego et Himilco haud segnes nos operi dedimus. Latera navium nostrarum e plancis abiegnis e Senir contabulari, malis quernis instrui, his vero antennas cedrinas suspendi curavimus.

Opus nostrum ex omni parte e voto cessit. *Gadita* fuit penitus refecta, undique renovata et instructa, tutela, ingens equus, oculis e vitreato[2] coruscantibus fuit illustris; latera, super atrum fundum, rubro colore erant distincta, ac, postremo, ab exteriori, duodenæ parmæ æneæ, rotundis umbonibus cupreis in medio, pendentes utrimque refulgebant.

Omnibus his ad amussim perfectis, facultatem impetravi ut *Gadita*, magno cymbalorum, tympanorum ac buccinarum choro, ad navalia in portu deduceretur. Pro re nata nactus sum a Suffete Navali velum purpureum, nonnisi in festis civitatis solemnibus adhiberi solitum. Duodecim nautæ armati, lanceis in manibus, pone æneas stabant parmas, bini et viceni autem remiges, veluti ad numeros, æquor verrebant, ut navis oloris instar, [illegible] per undas laberetur. Gisco, gubernator, e sua statione in



...00; n. 34.

...tallicum; n. 35.

"Nisi admodum fallor, antequam negotia nostra cum eo explicuerimus, satis incommodi ab eo accipiemus."

"Haudquaquam;" inquit Himilco; "iam ego curabo ne id fiat. Antequam fucata ista bellua plus quam fas sit negotiis nostris se ingerat, funem circa calces sentiet, et capite aquis merso pendebit toto ab Ioppa ad Tartessum usque itinere. Ii profecto non sumus, qui instar asinorum se ludificari perferamus."

"Minime vero," assentior illi; "sed, fortasse, omnia prospere cedent; Moloch nostrum præsidium erit, nec Numen Astartes nos iam in alto versaturos, deficiet. Si verum me fateri oporteat, maior circa Hannonis cum Bodmilcare mihi simultatem sollicitudo est."

"Cæterum," excipit Himilco, "decet nos optima sperare; nam Bodmilcar in oneraria muneribus tenebitur, nos vero sedulo dabimus operam, ut Hanno in aliqua barca officio fungatur."

"Vera," inquam "memoras; enitendum nobis profecto erit, ut alter ab altero seiungatur. Quod vero ad postulata huius spadonis attinet, non, Hercle, perspicio, utrum satius ducendum sit casteriam pro eo in altera oneraria, utpote spatiosiori, fieri, an vero hic, in mea navi, ut eos perpetuo sub meis oculis habeam. Dii tam mancipium, quam spadonem istum male perdant!"

Hoc eodem puncto temporis Hanno accedit cum volumine papyri in manu, videbaturque sensum collocutionis nostræ percepisse.

"Quid rei est?" quærit ille. "Mancipium atque spadonem quemdam nobiscum vectum iri audio. Cura eorum certe mihi obvenire deberet. Officium hoc genus semper scribarum esse solet. Præterea, in studiis magicis ego iam non parum operæ posui; quin etiam ego plus quam magus quisquam calleo horum indolem, quidque illi concupiscant, vel quid aversentur, accurate teneo."

Contra hæc ego ostendi hos in Ægypto, quo profecturi erant, satis magorum inventuros, mihique in animo esse, ut iidem perpetuo ante oculos positi sint. Tum ille:

"Actum itaque est," inquit, "de meis propositis, eos calligraphiam, rhetoricam, vel quidquid aliud, docendi, oportebitque me" ridendo subiungit, "artem meam rationum non excedere."

His dictis, papyrum suum evolvit, computumque sumptuum, quanto manupretia nautarum ac remigum steterint, mihi præponit; item rationes pecuniæ, pro mercibus, cambio idoneis, erogatæ, exhibet.

Intellexi ex eo erogationem hactenus factam, summam, talenti[1] aurei, erga quod Rex mille siclos in antecessum dederat, iam longe excessisse; at vero quum me conducendo mihi demandasset, ut modum sumptibus nullum statuerem, pollicitusque esset se omnis iusti æquique dispendii curam habiturum, nulla sollicitudo me tenebat; quamobrem Hannonem minime dubitabam in regiam mittere, qui rationes exhiberet, atque, insuper, nova adminicula expeteret. Responsum munificentissimum datum.

Interea ego et Himilco haud segnes nos operi dedimus. Latera navium nostrarum e plancis abiegnis e Senir contabulari, malis quernis instrui, his vero antennas cedrinas suspendi curavimus.

Opus nostrum ex omni parte e voto cessit. *Gadita* fuit penitus refecta, undique renovata et instructa, tutela, ingens equus, oculis e vitreato[2] coruscantibus fuit illustris; latera, super atrum fundum, rubro colore erant distincta, ac, postremo, ab exteriori, duodenæ parmæ æneæ, rotundis umbonibus cupreis in medio, pendentes utrimque refulgebant.

Omnibus his ad amussim perfectis, facultatem impetravi ut *Gadita*, magno cymbalorum, tympanorum ac buccinarum choro, ad navalia in portu deduceretur. Pro re nata nactus sum a Suffete Navali velum purpureum, nonnisi in festis civitatis solemnibus adhiberi solitum. Duodecim nautæ armati, lanceis in manibus, pone æneas stabant parmas, bini et viceni autem remiges, veluti ad numeros, æquor verrebant, ut navis oloris instar, placida per undas laberetur. Gisco, gubernator, e sua statione in

1. Circiter $1200; n. 34.
2. Pigmentum metallicum; n. 35.

puppi, Himilcone e prora dirigente, clavum scite administrabat, ego autem cum Bodmilcare, Hannoneque in catasta, ad puppim, locum tenebam. Cuncti nos festive eramus induti, plane conscii fruitionis, ex admiratione multitudinis nautarum, cæteræque turbæ spectatorum partæ voluptatis, quæ quidem turba nonmodo littora et crepidines, verum etiam gradus fastigiaque armamentarii stipabat, item Præfecturæ Navalis, et undique pompam nostram navalem acclamando spectabat. Ipse quoque Suffes Navalis unus spectatorum fuit. Hic enim in mœniano, supra fornicatam portam, sedebat, quæ porta officiosus ingressus erat, unde descensus per gradus ad crepidinem ducebat. Aspectu autem *Gaditæ* ita erat delectatus, ut huius officiales ad secum cœnandum invitaret, nautis autem nostris, ad festum parandum, ovem, grandem amphoram vini, duos corbes panum, qualos ficorum et uvæ passæ, et, denique, duodenos caseos, mitteret.

In Præfecturam pervenientes, angustas fauces intravimus, ac per opacos ambitus in turrim, versus Ortum progressi, in spatiosa aula constitimus, cuius e sublimi tholo fulgidum luminare æneum pendebat. Suffes plurimis laudibus nos extulit. Quum vero intellexisset nos instructionem omnem intra denos dies ad finem perducturos, facultatem mihi fecit ut postridie arma quoque, quibus expeditionem instaurare, adornareque vellem, pro arbitrio ex armamentario compararem.

Epulis peractis, navim e privata Suffetis crepidine conscendimus, ad nostra quisque domicilia reversuri; at Bodmilcar, subito, tanto *Gaditæ* desiderio se captum aiebat, ut solum se in ea pernoctaturum decrevisset. Ut interea navigium nostrum iter suum per canalem, terram bifariam secantem, insulamque efficientem, silentioso lapsu sulcabat, Hanno quadam lingua peregrina cantillare cœpit. Animum ad id dadvertens, sciscitabar ab eo, quænam ea lingua esset. Ionicam eam esse me docuit, mirarique se aiebat, quod eam nescirem.

"Equidem," inquam, "mihi ea plane ignota est. In iis enim plagis profecto, raro mihi navigare contigit. Usquene tibi quidquam negotii cum Ioniis est?"

"Hem," inquit Hanno, "non præsto est Bodmilcar, qui in furorem agatur, nec serva hic interest, quæ cantilená mea capiatur."

"Quid ais? serva?" attonitus exclamo; "ego vero minime putabam fore ut serva tuas cantilenas curet. Estne ipsa Ionica?"

Hanno nihil, nisi risit, nec mihi respondit; paullo tamen post, sollicitanti mihi cessit, ac totam rem ex ordine patefecit.

"Hazael, spado ille," pergit Hanno, "bucco bardus, et garrula pica est. Nam quum eum, haud ita pridem, colloquendi gratia adivissem, nullo negotio ex eo elicui, eam servam, circa quam sermo versatur, a quibusdam mercatoribus Chaldaicis fuisse præstinatam, primitus vero, e proprio loco natali, ab aliquo pirata Tyrio fuisse raptam, ita ut integra puellæ historia haud fuerit res hariolatu admodum ardua." Tum ego:

"Bodmilcari" inquam, "de his rebus, ne verbum quidem! Hinc etiam plus mihi cavendum arbitror, ut spado, suaque servula in meo gaulo contineantur, alioquin, ut facile patet, finem facinorum nunquam sumus assecuturi. Proinde, nec tu, neque Himilco, de hac re ne mu quidem usque eo facietis, donec hospites nostros molestissimos in iis terræ partibus, quo iter instituunt, sibi reddiderimus."

Uterque eorum se nihil omnino propalaturum disertis verbis confirmavit. Ex sua parte Hanno omni vehementia asseveravit si vel verbum sibi super ea re excidisset, linguam se sibi extemplo præcisurum esse, atque futurum, ut se Horo, Deo silentii Ægyptiorum pro reliquo vitæ tempore devoturus esset.

Quum interim ad domicilia quisque nostrum advenisset, loquelæ finem fecimus, quod etiam per aliquod tempus publicis officiis tantopere eramus obruti, ut nihil quidquam amplius de his rebus cogitaremus.

Post hæc summam curam et operam textoribus dedi, ut vela nostra ad amussim secundum normas a Dea Tamith traditas texerentur. Curæ quoque mihi fuit ut restes meæ accurate et plecterentur, et picarentur. Providendum etiam curavi, ut transtra in ordines tam arctos disponerentur, ut haud plus spatii

quam latitudo manus inter capita inferioris remigum ordinis, pedesque superiorum, intercederet. Malos quoque atque antennas, ultra consuetam stabilitatem, statis intervallis, loris deligari, ac firmari iussi, ac, postremo, navim undique laminis cupreis tegi, orasque tegmenti bullis æreis constringi.

Nunquam antehac naves tam præclaræ undis Maris Magni submissæ fuerunt.



CAPUT II

Astarti Sacra Fiunt

BIDVO ante solemnia Veris, quo festo initia navigationis celebrari solebant, quodque festum universæ genti sacrum erat, navigia nostra parata in navalibus steterunt, atque spatio trium horarum, nulla adversitate interveniente, pro itinere fluctibus committebantur.

Duæ onerariæ erant septuaginta duorum cubitorum communium (duorum et sexaginta sacrorum) in longitudinem, atque septemdecim in latitudinem. Gaulus cum carina ex una planca cedrina, solida, septem et sexaginta cubitos erat longus, et viginti latus, terna habebat constrata, quaternos cubitos edita, tum a puppi, tum a prora sublimiora, ita ut ex aqua sedecim cubitos exsurgeret, sed media navis tantum duodenos cubitos promineret, atque, ut dictum ėst, erat biremis. Onerariæ autem, ad summum oneratæ, ex æquore octo cubitos eminebant. Utraque ad centum quinquaginta nautas, et quinquaginta remiges ferendos accommodata erat; verum ego hactenus ducentos nonnonnisi nautas conductos habui; parabam nimirum centum milites et sagittarios conducere, qui sua portione e communi quæstu navigii contenti essent. Itaque manus gauli pleno erat numero; item *Gadita* suum habebat manunuum complementum, septem et triginta hominum; barcarum autem quæque octo. Quoniam hæ duæ naviculæ continuo remulcis erant ductandæ, gubernatoribus non egebant; sed in na-

vigiis maioribus duo in singulis erant gubernatores instituti: alter in puppi, in prora alter, quibus omnibus Himilco erat præpositus. In fastigio cuiusque mali corbes abiegni erant aptati, in excubitorum tutamentum. Sessibula remigum in costis fiebant paribus interscalmiis. Cuncta navigia, postquam ferruminata, picataque sunt, ut aspectu *Gaditæ* similia essent, nigro pingebantur, et rubro lineabantur. Hanno pro singulis naucleris elenchum fecit, in quo nomina manuum suæ navis, omnis rudentis supernumerarii, cum nomine una, ubi variæ eiusmodi res conditæ et asservatæ essent, litteris consignata fuerunt. Singulari curá monumentis litterarum cautum erat, ubi quæque arma, cataphractæ, vasa culinaria, aquaria, cæteraque eius generis reperiri possent. Item camæ lectulive cuiusvis nautæ ac remigis, secundum loca, accurate erant consignati, nominibusque eorum insigniti. Diætæ sub catasta puppis navarcho atque gubernatoribus erant attributæ, alteræ autem, sub catasta proræ, præfectis manús, militumque datæ. In cæteris quoque navibus eadem ratio habebatur ordinis, præterquam in gaulo, quem ipse mihi elegeram, in qua casteriam contabulari iussi bifariam divisam, singulisque fenestris collustratam, in usum spadonis, servæque regiæ in eius tutela.

Hannoni perquam cordi erat ut navibus nomina aptissima tribuerentur. Placuit ei ut oneraria, quæ Bodmilcaris suberat potestati, et inter nautas cuius haud pauci servirent Tyrii, nomine Melcarth, Dei Tyriorum, insigniretur. Alteri onerariæ nomen Dagonis[1] inditum est, ut quasi sub tutela Numinis piscium apud Philistæos posita esset; gaulus autem, quem nos eramus conscensuri, Astarti, Deæ Sidoniorum, cui nos singulari veneratione dediti eramus, sacer esset. In hac Numinum societate, utique, ne cogitandum quidem erat, ut *Gadita* suum priscum nomen servare posset; prohinc, Himilcone suadente, tum etiam quod classis eo duce usura erat, communi consensu, nomen *Cabirorum*[2] sortita est. *Bodachmon*, antistes Astartes, pro sua pietate, horum Numinum simulacris nos donavit, quorum sub tutela quodque navigium esset.

1. Deus Philistinorum, magnus piscis; n. 36.
2. Dii minores apud Pelasgos; Ursa Maior; n. 37.

Bodmilcar onerariæ *Melcarth*, suæque subsidiariæ barcæ, iussus est præesse; *Dagoni* Hasdrubal, Sidonius, præponebatur, *Cabiri* autem fidei Hamilcaris concredebatur, alterius Sidonii, qui vir erat admodum peritus, audaxque nauta habebatur.

In *Astarti*, navi mea prætoria, societate mihi iunxi Hannonem scribam, Himilconem, præfectum gubernatorum; Hannibalem vero Arvadicum, quem virum fortem audacemque cognoveram, præpositum classiariorum feci.

Ab antico, perinde atque a postico, cuiusque navigii Hannibal genus tormenti, suæ inventionis, quod *scorpionem* appellabat, collocavit singulis paribus, quibus, quum res postularet, frequentia tela in hostes coniicerentur. Itaque, præter *Cabiros*, quæ exigua navis actuaria erat, nec nisi binos scorpiones ferebat, cæteræ quaterna horum tormentorum, summæ facultatis, secum vehebant.

Totam noctem, posterumque tempus ante-meridianum convasandis disponendisque mercibus atque oneribus parvulæ nostræ classis, in interiori portu iacentis, arduo labore expendebamus; ibi et *Cabiri*, ut ipsa quoque suam oneris commeatusque portionem reciperet, se nobis adiunxit. Circa meridiem, denique, nacti sumus temporis spatium, quum liceret nobis cibo, potu, otioque recreari. Aliqui nostrum, postridianam profectionem anticipantes, sub tentoriis, in margine portus nobis paratis, frugale convivium celebrarunt. Tres naucleri, præfectus militum, gubernator princeps, modo mecum discumbebant, quum siparium tentorii sublevabatur, adventusque spadonis Hazael nuntiabatur.

Hoc facto, Hazael, solito gradu suo segni et lasso, comitatus sex servis cum corbibus, cistulis et manipulis, intrabat, eius autem in vestigio faber, malleum, serram, variaque fabrilia gestans, sequebatur. Foris, candidis insidentes asinis, duæ mulieres conspiciebantur, una arcte velata, altera sine velamine, cum mitella in vertice capitis, cumque vitta aurea, atque rica defluente, candida; quam de his, hirtisque capillis, item de acrioribus vultús lineamentis, facile perspexi gentis Iudaicæ esse.

"Venimus," inquit spado, vel absque urbanæ salutationis

simulatione, "ad camas nostras occupandas, et ad sarcinas nostras disponendas."

Hanno iam surrexit, quum ego, brachium eius prehendens, quæro ex eo, quid negotii sibi sit.

"Scilicet ut sarcinas eorum disponam," respondit, sed statim subiungit: "nisi tibi, Navarche, secus videatur."

"Satius tibi erit," respondi ego, "si eo, ubi nunc es, loco manseris; habeo aliud quod te agere velim; hoc munus Himilconi aptius obtinget. I, Himilco," dico huic, ad eum conversus, "daque operam ut sarcinæ Hazaelis recte disponantur, et ut res mulierculaurum tui proprie obeant."

Hausto poculo, nec sine avido versus urceum obtutu, quippe qui in medio nostrum relinquebatur, Himilco attegiá excessit. Hanno vero, qui modo supinus se in sedili incuriosum simulans reclinabat, a me percontatur:

"Quonam, rogo, me vis negotio defungi?"

"Tu," aio illi, "ad templum Astartes te conferes, sacrificia nostra crastina præparaturus; simul quasdam alites, nobiscum in navibus vehendas, comparabis, quæ, sævientibus tempestatibus, situm terrarum nobis indicent. Insuper, Suffetem Navalem adibis, eique elenchos nautarum atque onerum exhibebis, præsertim autem Fiscum Regium visum ibis, eique regesta cunctarum rerum ac rationum præstitues. Num hæc omnia tibi non sufficient?"

"Nihil itaque otii mihi superest," respondet Hanno, ut se proripit, volumine papyri raptim prehenso, confestimque procurrit. Mihi quidem per semipatulum aulæum tentorii prospicienti non videbatur versus fanum, quin potius versus devexa portús cursum flectere; attamen quum sub vesperum revertebatur, officiis rite ac summa fide functum reperi, nec res mihi amplius in mentem rediit.

Reducem eum quidam fani ministrorum comitabatur, in vertice capitis e culmis palmarum textas caveas ferens. Ipse Hanno minorem caveam cum quatuor columbis rarioris speciei secum ferebat, quarum in pectoribus cirri nitidi micabant.

"Nisi hæ aviculæ," ait ille, "optima nobis ominentur, aliæ

certe nullæ id facturæ sunt. Hæ enim rectá e fano Astartes sunt allatæ, mihique eas ipsa sacerdos porrexit, quæ a me sponsionem exegit sic a nobis fore tractandas, ut eæ sua præstantia mereantur."

Quisque nauclerus, quæ cuique aves obvenerant, accepit, præterquam Bodmilcar, qui suas contemptim recusavit.

"Anne tu aves aspernaris?" quærit ab eo Hanno, "eccur eæ displicent?"

"Columbas nolo!" refragatur Bodmilcar; "corvi mihi magis conveniunt, quorum iam satis magnam copiam comparavi."

Hanno tergum vertit; sed Himilco, cuius oculos res non effugerat, sic commentatus est: "Pro bona vectorum fortuna, illæ aves non in *Melcarth* servabuntur. Nam, ut mea fert opinio, auribus Ionicæ gemitus turturum, quam grocatus corvorum, multo erit acceptior."

"Ionicæ?" clamitat Bodmilcar pallens, "aisne tu servam illam esse Ionicam?"

Eodem ipso temporis puncto Himilco pugnum meum sub ima costa sua sensit, quo eum ad saniora revocaram; qui digito frontem pulsans significare volebat sese iam collegise. "O me vecordem!" inquit, "non Ionica ea sed Lydica est." Tum se ad me vertens, quærebat, utrum recte dixisset.

Ego gestu manus annui, existimans futurum ut Bodmilcar conquiescat, qui tamen usque agitabatur, atque quamvis nihil dixerit, paullo post discessit, aliquid inconditi secum mutiens. Vix eum tergum vertisse constabat, quum Hanno, qui interea papyros suos versans, alioquin compositus sedem tenebat, surgit, versus ianuam procedit, ac, præter suam consuetudinem, ritu tam solemni, ac profunde se inclinabat, ut Himilconem ad cachinnum movisset.

"Bodmilcar, amicus noster," sic Hannibal monet, "vir alioquin præclarus, morosum se quodammodo præbet."

"Minime quidem gentium; te certiorem esse volo," redarguit Hanno per ironiam, "vix quemquam hominem alacriorem, mansuetiorisque eo esse indolis noverim; nihilo tamen secius gratos nos fatis esse oportere arbitror, quod nobis eadem navi vehi non contigit."

Hannibal in assensum subrisit.

Iam tempus interea cubitum eundi aderat. Iuvabat tamen discessuros poculum vini haurire in testimonium spei nostræ cœpti prospere cessuri, quod nobis imminebat; nec parum animo affecti, quietem petituri, sospitem, faustamque inter nos noctem precati, valediximus, ut placido recreandi somno, perendinas cærimonias confirmati subiremus.

Postridie, prima luce, in armamentarium me contuli, ubi cæteram manum, quamque suum nauclerum stipantem, iam paratam reperi. Hannibali feliciter contigit cunctos sagittarios classiariosque collegisse. Ad quemque nauclerum suus adstabat classicus, tunica coccinea; tubicen autem militaris, cæteris, magnitudine tubæ, nempe alterum tantæ, præstabat.

Milites suos Hannibal conspicua disciplina in ordines constituit. Primum effecerunt viceni sagittarii candidati, cucullionibus lineis candidis, limbo coriaceo ac bullato cinctis, limborum laciniæ autem pone dependebant. Hi omnes balteis coccineis cingebantur, qui gladios, cum capulis eburneis, ferebant, pharetras autem e corio crudo, in collo, transversum humeros, gestabant, quæ bullis cupreis erant distinctæ. Quisque manu arcum Chaldaicum ferebat, quorum superiora cornua in speciem capitis anserini erant cælata. Hos alii duo ordines armatorum exceperunt, vicenum singuli. Hi sutis e lamellis cupreis tegebantur. Istis, a lævo, gravior pendebat gladius Chaldaicus, e balteo suspensus, a dextro autem pugio, cum eburneo capulo; in læva manu largiorem parmam gerebant, cuius in medio simulacrum solis e cupro fulgido erat effictum; in altera autem manu lancea erat cum spiculo æreo, gracili et acuto. Capita eorum cassidibus cupreis refulgebant.

Hannibal ante manipulum suum stabat. Galeam Lydicam cum argentea crista, coccinea pluma decoratam gerebat, simulacrum quoque solis in medio scuto suo argenteum erat, idque in orbem undenæ stellæ cingebant. Capulum gladii in speciem leonis erat cælatum, eiusque caput in culmen eminebat. Eodem prorsus modo quo militum sui manipuli, pedes sui cruraque ocreis erant munita, quæ obstragulis continebantur, calcei vero, more Iudæorum, ab anteriori resupini erant. Simul ac me appro-

pinquantem conspexit, gladium destrinxit, suus autem tubicen ter tubá cecinit; quod exemplum cæteri excipientes, pariter atque unisono ter cecinere; postea autem naucleri atque gubernatores progressi, me consalutarunt.

Nautæ nostri nec galeis, nec scutis, neque balteis instructi erant, sed infra chitonetas suas genus acinacum gestabant, in capite vero cuculliones in apicem desinentes, et in cervicem relabentes, quorum similitudines apud Sidonios creberrime visuntur. Hannibal hos quoque in ordines educendos, militarique ordine exercendos autumabat, propositum tamen mihi minus placebat, satiusque mihi videbatur, ut ii se ad arbitrium diversitarent, quum mihi persuasum esset, multo facilius, atque commodius, eos in navibus huic disciplinæ subiici posse, quum quisque eorum sua nova munera subiturus esset.

Hanno et Himilco, qui iussu meo, ad cognoscendum, utrum ad sacra facienda omnia rite parata essent, digressi erant, iam ad nos reverterunt. Hos subsequebantur duo bubulci, eximios ducentes buculos, tegetibus purpureis velatos, quorum cornua vittis, fasciisque pictis operta, tintinnabulis ornabantur, quæ motu agitata, lenem tinnitum edebant. Vestigia horum subibat servus meus, qualum malogranatorum in capite ferens, quæ mappulá erant operta, argento acupictá.

Postquam quaternos tubicines nostros Hannibal binis paribus pone suos constituerat, a me indicium se exspectare significavit, ut suos initium incessús facere iuberet. Itaque, quamprimum signum dederam, eo voce elata mandante, sagittarii, classiariique, in duplicem ordinem conversi, parique passu in frontem progressi, ea alacritate ac scientiá disciplinæ gradiebantur, ut omnium commendationem mererentur. Classici acerrimo tubarum clangore primi incedebant; hos sagittarii in paribus excipiebant; horum vestigia ipse Hannibal, suis militibus, cum hastis fulgentibus in humeris, ad numeros sequentibus, subiit. Mihi locus proximus obtigit, Hannone, Himilconeque comitantibus. Nos servus meus sequebatur, ac, postremo, agmen illi duo claudebant, qui buculos duos, mox in ara mactandos, ductabant; tum demum quatuor manipuli nautarum, uno agmine, nullo certo ordine, sed a suis naucleris et gubernatoribus

ducti, itabant. Hi manipuli novissimas agminis partes effecerunt.

Viæ, quibus procedebamus, utrimque festive ornatæ erant. Annua et summa festa Melcarth celebrabantur, quæ quidem solemnia undique ingentem populi multitudinem in urbem allici- ebant. Ædificia publica, perinde ac privata, ubique, quá viæ patebant, telis, tapetibus, linteisque purpureis, fulvis, viridibus, byssis variorum colorum, item, ingentibus ramis cedrinis, coronis, sertisque adornata, fluctuantem multitudinem delectabant. Quæque fenestræ suis nitebant ornamentis. Turbæ versus insulam, ubi Dei Melcarth splendida stabat ædes, catervatim fluebant; nobis tamen appropinquantibus, multitudo in porticus recedens, viam patefecit, unde speculati, alteri ab alteris, qui nos essemus quò tenderemus, quoque munere fungeremur, sciscitabantur. Quum vero intellexissent nos regios esse nautas, et ad sacra Deæ Astartes persolvenda ad templum tendere, ut eius tutelam in expeditionem Tartessum mox profecturi efflagitaremus, turba ingenti plausu et acclamatione nos consalutavit. Viri mirabantur nautarum et militum indumenta, armaturam ac disciplinam, item buculos sacrificiales; mulieribus ornatus præfecti, Hannibalis, et incessus militaris, perquam placebant; pueri, denique, fulgore armorum, et galeæ Hannibalis atque tubarum, item, colorum varietate, miro modo delectabantur; tubarum vero clangor militaris eos ad currendum, consequendumque agmen incitavit. Apud omnes, nullo infitiante, constabat nullam unquam urbem Phœniciam tam præclaram, tam speciosam, tamque opiparam expeditionem, in longinquas oras profecturam, instruxisse.

Ubi ordines sycomorum prætereuntes, earum sub umbra ad regiam perveneramus, ingentes populi turbæ, quæ ibi congregatæ processionem regiam præstolabantur, nobis sua sponte viam patefecerunt, quum regius tubicen, chorusque musicorum, in porticu stantes, concentu nos salutaverunt. Tum nuntius, a regia deorsum properans, conspiciebatur; ac mox cunctis compertum erat eo esse eum missum, ut nos consistere iuberet. Hannibal, proinde, suos frontem sine mora convertere iubet, nautæ

autem, sua sponte, idem faciunt, ego interim cum Hannone et Himilcone progredior in regionem fenestræ, ubi Rex, more suo, quum populo visui se præbere vellet, se sistere solebat. Hæc autem de auratura, de reticulatis aulæisque, quibus condecorata erat, facile discernebatur. Interea musici nostri, modulationis regiorum musicorum assecuti modum, iis concentu se iunxerunt, nobisque itantibus, ad gressum accinerunt. Hi iidem musicæ modi invicem ab aliis in area regiæ choris excepti erant.

Haud ita multo post Rex sese e fenestra populo visui obtulit. Minister, laute ac magnifice indutus, supra caput Regis aulæum purpureum acupictum, gemmisque refulgens, servabat, pone quem, coruscantibus cassidibus ac thoracibus custodes personæ Regis cernebantur. Rex, nulla allocutione, me protinus nominatim evocat. Ego primum summa reverentia ad terram usque proclino, tum, brachiis iunctis, coram eo erectus mandata eius excipio.

Hoc fere modo Rex fatus est:

"Mago, industria, solertiaque tua, quibus has res apparavisti, mihi perquam placent. Delector etiam modo, quo nautas tuos comparavisti, militesque gratia Regis Davidis, armorum socii mei, instruxisti. Ab hisce oris te mox in dissitissimæ Tartessi littora conferes. Dii tutelares te protegant! Hazael tibi litteras, propriá meá manu subscriptas tradet, quas tu ad varios principes, fœdere mihi coniunctos, deferes; item et volumina papyri eidem concredita sunt, in quibus, quæ fieri velim, litteris expressa reperies. Age nunc, sacrificium Divæ Astarti tuæ offerto. Ego quoque procedam, summoque Numini nostro Melcarth sacra persolvam. At vero in votis mihi est, sacris religionis peractis, me testem profectionis vestræ præbere; et certiorem te esse volo, ulterioribus me favoribus tibi non defuturum."

Auditis verbis regiis, me coram Rege iterum prosterno, qui discedens, facultatem mihi ad iter prosequendum fecit, atque procedenti mihi et tubicines ultro accinebant, et multitudo grato animo acclamabat. Vix interea iter flexeramus, quum ingentes portæ regiæ panduntur, innumeraque multitudo populi,

chorusque tubis, buccinis, tibiis, sistris, citharis, fistulisque concinentium, ducta choragiis, ritu solemni versus insulam profluere cœpit. Ibi enim summi Tyriorum Numinis, Melcarth, templum magnificum, celsis columnis innitens stabat.

Vixdum transgessi eramus aream regiæ, quum Bodmilcar, incitato gressu, ut me assequatur, properans, arcano veluti quodam modo me alloquitur:

"Magnum, potensque Numen Dei Melcarth est."

"Ita, profecto," assentior ego, consiliis eius minime perspectis.

"Magnum, profecto, insigneque Tyriorum Numen Melcarth est," repetit ille. "Melcarth enim, quam Astarte, ampliores hostias exigit; tantæ enim hæ sunt, quam quæ Deo Moloch immolantur; hodie scilicet aliquot proles illi immolabuntur."

Annui illi quidem, mentem tamen eius necdum perspectam habui; tum, paulisper hæsitabundus, sic fatur:

"Poterone abs te impetrare, ut ego, Tyriique mei, tua voluntate, ritui proprii nostri Melcarth interesse possimus?"

Non sine gravi perturbatione animi eius consilia cognovi. Ægre admodum intellexi numerum agminis nostri sensim diminutum iri; atque tolerandum esse, ut dignitas nostri ritus, quo Astarten prosequebamur, ullum detrimentum accipiat; nihilo tamen secius, quod haud aliud supererat, invitus illi indulsi. Acclivem interea viam assecuti, quæ ad fastigium ducit, ubi Baaltis-Astartes lucus situs erat, eoque quum ascendere cœperamus, loco iter nobiscum prosequendi, conspicor eum cum tricenis nostrorum nautarum secedentem, participemque fieri illius peculiaris ritus, et videoeum agmini adiungi, quod pilentum tectum, plumis struthiocamelorum adornatum, auroque refulgens, trahebat. Eo pilento vehebantur proles, quæ ut victimæ in sacrificio immolandæ erant. Ut nostri ad hanc turbam accedebant, magnus clamor, tubarum, cymbalorumque sonitus audiebantur indicia consalutationis, qua nostros exceperunt.

"Quam ego atrocem ritum proles immolandi exhorresco!" inquit Hanno.

"Nec ego aliter," assentior ego; "at vero, si Moloch et Melcarth id sic postulant, quid aliud superest?"

"Salvo honore Moloch et Melcarth," prosequitur ille, "iure gaudeo, quod Astarte Sidoniorum ritum idgenus sibi non deposcit."

Nunc iam semitam ingrediebamur, quæ per lucum ad Baaltis fanum ducebat. Æditüum plerique aberant, ut sacrificio in urbe, Dei Melcarth in honorem offerendo, interessent, nec præsto erant nisi seni sacerdotes viri, fœminæ autem quaternæ. Conspectus templi, ut sole oriente, per raram nebulam cernebatur, delectabilis perquam erat, nec sine levi ægritudine animi afficiebatur, qui sibi hinc mox discedendum esse senserit. Non tamen diffiteor mihi visum esse oportere eum, qui tam delectabilem locum diu incoluisset, sensim relaxatum, atque effœminatum iri, nec eum audacem, ac periculorum appetentem fore; atque mecum recolebam memoriam Phœnices, quippe quæ expers omnis luxus futura esset, nisi cives eius audaces pericula adire non dubitassent. Namque opes eius mercatus peperit, quæ quidem, si cives audaces et intrepidi exercere navigationem veriti fuissent, non modo nullæ essent, verum et ipsa civitas, præda regum, littora eius invadentium ac depopulantium, facta fuisset.

Hanno quoque, haud est dubium, quin eadem meditatus sit, menteque eadem tacitus secum volverit.

"Sic, sane," fatur denique, veluti fructus meditationum proferens, "ita quidem, me Castor; etiamsi Pharao, Melech David, Chaldæi, atque Assyrii omnes suas vires et copias in unum conferrent, et nos, Phœnices, adorirentur, ipsi naves nostras peteremus, iisque in alto occurreremus. Quin etiam si patriæ nos extorres facerent, naves pararent, et in Mari Magno nos impeterent, tamen usque nostra vigeret dominatio; dum enim Chittim, dum Utica, Carthago, Tartessusque superfuerint, quo nos recipere fas sit, totus terrarum orbis noster est."

"Vera hæc quidem quodammodo sunt," illi assentior, "terrarum orbem nostrum esse; verumtamen nihil prorsus id est, nisi nostra indomita virtus, quæ id peperit. Nulli enim nobis ad subigendas vicinas civitates duces præiverunt; nulli nobis imperatores victorias atque potestatem retulere, sed nostris propriis virtutibus innixi, ac tutelæ nostrorum Numinum confisi,

terras mariaque peragravimus ignota, atque opes, aliis incognitas conflavimus. Ac nunc demum nemo est qui nos assilire audeat, quin omnes gentes nos honore prosequantur. Nec quisquam iam est ita superbus, ut nostra auxilia flagitare se indignum sibi arbitretur, nec per se tam pollens, ut nostra opera uti aspernetur. Quisnam, obsecro, materiam Melech Davidi, quis aurum, quis argentum suppeditat? Quis, quæso Pharaoni balsamum, quis gemmas, quis cuprum, quis, denique, plumbum album subministrat? A quo, inquam, Assyrius requirit purpura, a quo vitrata? a quo ebur? a quo, postremo, acu picta? Quis tandem, omnium rerum, quæ luxui omnium principum, omniumque procerum inserviunt, procurator, proxenetaque est? Iure ergo meritoque quisque Tyrius superbiet, quum cuncta hæc pontivagis Sidoniis, principibusque mercatoribus civitatis Phœnices vindicaverit."

Tum Himilco, elata mea sententia accensus, rem orsam sic prosequitur: "Magna, profecto, merito magna est Tyri gloria. Utinam animus eius ardua audendi nunquam languescat! Quod quidem ad me attinet, modo gratiis Cabirorum mihi frui detur, veluti cœlesti signo, peregrinationum indice, capedulum hoc cacuminatum, chitonetamque hanc tritam, non pro tiara, liliis picta, ac pro chlamyde egregie acupicta, quibus rex Ninive superbit, cambirem!"

Interea dum genium nostræ gentis sic sermocinando extollimus, sacerdotes intus aras accenderunt, pelves sacris paratas partim aqua compleverunt, partim vacuas apposuerunt. Hannibal milites suos in fastigio graduum templi, in formam semicirculi statuit, quorum in extremis alis, geminis ordinibus, sagittarii stabant, in medio autem classiarii quaternis ordinibus consistebant, spatio pro me et comitibus intermisso. Buculi per posticam ianuam templi ad mactandum perducebantur.

Adventus noster sonitu tubarum a nostris tubicinibus significabatur, cui ex interiori modulis fistularum tibiarumque responsum erat. Pontifex obviam nobis progressus, sic me alloquitur:

"Accedat iam Sidonius Mago, filius Maherbalis. Dux ex-

peditionis huc se conferat, ut se Deæ sistat. Te, tuumque comitatum huc accedere iubeo."

Dicto audiens, servis meis comitantibus, gradus ascendo. A dextro mihi Hanno et Hannibal, a lævo autem Hasdrubal, Hamilcar atque Himilco adstant, a tergo caterva nautarum, remigum, universæque plebis stipati. Signo ab Hannibale dato, milites hastas, sagittarii arcus, ad humeros levant, fronteque simul conversa, per fores ædis a latere ingressi, in templo per ordines disponuntur.

Æditaus silentium mandat. Facto silentio, "Modum habeto!" idem clamat: "Mago, filius Maherbalis, bono suorum sacra facere parat."

Buculi dicto celerius adhibentur, e vestigio mactantur, et in frusta carpti, in aris adolentur, sacerdotibus ac ministris psallentibus, precesque ad Deam recitantibus. Dum hæc geruntur, alter servorum meorum malogranata vulgo dispertitur, eo proposito allata. Mox pontifex, secundum ritum, scapulam alterius victimæ mihi offert, cui ego, ut mos postulabat, crumenam cum senis siclis impono. Minister sacro fungens oblatum accipit, ac dum is munificum meum donum prædicat, scriba sacerdotalis nomen meum, sociorumque, præfectorum litteris diligenter consignat cum summa oblati una, cuncta in regestis templi prodenda. Deinde pontifex pectora hostiarum igni in ara candenti imponit, indeque fumus statim sursum in tholum, versus fenestram rotundam, ascendit. Sidoni Dea ipsa lapis ater est; sed hic, Tyri, simulacrum Deæ ipsius Astartes vicem agit. Vultu ad simulacrum Deæ conversus, sacerdos Divam precibus invocat, et psallendo Deæ laudes canit, usque dum cantica alto silentio absorbta sunt.

Interea dum sacri ritus et cærimoniæ celebrantur, reliquiæ tergorum labris maceratæ eluebantur, dein magnis lebetibus immersæ lixantur, partes autem in culina templi batillis, aliæ autem in luco sacro, sub dio, coquuntur. Nautas nostros minime piget auxilia præbere, nec in accendendis ignibus, cocisque in curandis ahenis opitulari dubitant.

Paullo post iterum accedit pontifex, mihique pectus unius hostiarum porrigit. Id ego sublatis in altum ambabus manibus

coram Deæ simulacro in sublime extollo, tum pontifici reddo, qui id ter circumvertit, quo facto, id Numini pro me dicat. Eodem ritu et Hanno obit pectore alterius hostiæ, nisi quod pectus, vice omnium nostrum septies circumagitur.

Quinis siclis, quos iam antea scribæ dederam, panes sunt præstinati; Hamilcar vero, ex parte naucleroram cæterorumque octonos siclos obtulit, partim ut inde vinum emeretur, partim ut Deæ donum tribueretur. Hæc ille rursus publice prædicavit. Nos deinde, alter post alterum, ante simulacrum Deæ nosmet prostravimus; tum pontifex brevi atque ultima prece Numen Deæ invocavit; quo facto, omnes nos læti, et animo recreati, e templo in sacrum lucum contulimus. Postremo, ab Hannibale signo dato, milites, qui in templo testes rituum muti atque immobiles adstiterant, solutis ordinibus, quaquaversum discurrerunt, partim nautis se miscuerunt, iisque in parandis epulis sedulo opem tulerunt.

Ego ad truncum patulæ cypressi sub umbra consedi, Hannone, Hannibale, Gisconeque circum me provolutis otiabamur, dum Himilco opus amphoram figlinam vino complendi administrabat. Servus meus interea scyphos apparavit, et super mensam instructam sic in orbem disposuit, ut meus, qui in labro caput leonis cælatum ferebat, medium locum obtineret, cæterorum scyphis in circuitu positis. Hannibalis scyphus cupreus, bracteatus erat, cum scapo, duabusque ansulis, cælato opere, in speciem racemi atque florum. Ministerio hoc persoluto, servus recessit, sed mox cum duobus militibus, grandem lebetem baiulantibus, ut ex molimine concussio æreorum suorum thoracum satis clare audiretur. Sublato lebetis operculo, panes ministrabantur discumbentibus e qualis, eo proposito allatis; dein cuiusque e balteo cultros, cochleariaque lignea deprompsit, ac, tandem, omnes ad uberes epulas discubuimus.

Scyphis iam dispertitis et oppletis, ego assurgo, sublatoque meo scypho, ad salutem bonamque convivarum fortunam propino.

Tum, in vicem, Hannibal, scypho sublato, sic fatur: "Potus hicce insignis est, meæ patriæ urbis, Arvad, genimen, quod se fruentibus vitam ac vires impertit; hinc intelligetis, quare Ar-

vad clueat viris, ingenio et fortitudine præclaris." His dictis, scyphum suum funditus haurit.

"Milites vero Arvad," excipio ego, ad centurionem conversus, "famam suam atque claritatem uberrime meruerunt. — Interim, unquamne tibi per bonam fortunam contigit ad littora Iudææ pervenisse? Nam cursum nostrum eo nos dirigere te non latere arbitror."

"Ita, Hercle, profecto," offá usque in ore hærente, excipit Hannibal; "ipse hic gladius, quem gero, cingulaque purpurea in humero, donum est Ioab, belliducis, consobrinique regis. Ibi enim, in pugna ad Gebam, in qua Philistini victi fugatique ad moretum fuerunt, ego vicenis sagittariis eius præfui. Nec hoc semel factum est, ut per annum, et amplius, cum copiis Nahary, armigeri Ioab, qui unus erat e triginta septem virorum fortium regis Davidis, in oppido Hamath præsidio interessem. Inde mihi revertenti contigit, ut militibus huius nostri Hasdrubalis navi vectis præessem, et hoc ipso eo tempore, quum naves Sidoniorum longæ ad classem Ciliciensem oppugnandam missæ essent."

"Recte, me Dius Fidius, memorat," ait Himilco, "famam eius expeditionis audivi, quum nos longe, Gadibus aberamus."

"Nos vero," inquit Hamilcar, "sub iis temporibus Pharaonis in exercitu stipendia fecimus, eramusque in littoribus Æthiopicis, ultra Mare Algosum navigantes. Et quas, Pol, testas, in se margaritas celantes, ibi invenire soliti eramus! Insuper et pisces ibi non erant rari, qui hominem integrum hauriendo pares essent.

Nostris sic verbigerantibus, quædam sacerdos e iunioribus ad eos accessit, Hannonique manipulum, telá obvolutum, tradit.

"Hoc," inquit illa, "simulacrum Baaltis est. Super eo aromata pretiosissima adolui; unguentis idem oblevi rarissimis; obtuli id etiam ipsi Deæ, quæ id propitia accipere non renuit. Tibi, Sidonie, nunc id concredo. Utinam simulacrum tibi, cunctisque expeditionis huius sociis, Diva adstipulante, bonam, faustam et fortunatam peregrinationem reddat."

Dein pontifex ipse cum simulacris cæterorum Deorum ac-

cessit, solo Melcarth dempto, quod Bodmilcar ipse, e templo, quo solus iverat, erat allaturus.

Eadem ipsa sacerdos sese viæ ad nostras naves comitem obtulit, ut simulacra in ipsa navi, antequam solveremus, lustraret.

Himilco facultatem sibi dari flagitavit simulacri Cabirorum ad marginem portus deferendi, antequam id fidei naucleri concrederetur.

"Quid nunc," interrogo eum, "de tuo voto vicenûm siclorum, uniusque buculi, quod Cabiris feceras?"

"Illud," respondet ipse, "usque eo differendum censui, donec nebulo ille mihi obviam fiat, qui me uno oculo privavit. Ecquidem minime dubito Deos mihi interea fidem habituros, nec solutionem, præsertim in antecessum, exacturos."

Interea Hanno suum simulacrum Astartes revelavit, idque utraque manu servans stabat, oculos in eo pascens summa admiratione. Erat autem simulacrum ex alabastro, ternis ordinibus ocellorum auratorum e collo pendentium, cacuminatoque capedulo, sub quo comæ copiossisimæ cernebantur.

"Vota," inquit Hanno, "Deæ meæ ego quoque nuncupavi; illa tamem respondit me tempus opperiri debere, et usque eo perseverare, dum compos propositorum fierem;" atque his dictis se proclinavit, ac Deæ simulacrum deosculatus est. Mihi tamen non satis constat, utrum falso mihi persuaserim, certe lenem frondium arborum susurrum, veluti responsum in eius vota, resonare me audivisse mihi videbar. Idem et sacerdos fortasse animadvertit, nam in me renidens, manum suam humero Hannonis leniter admovit, et,

"Nunc vero," inquit, "Navarche Mago, proficiscamur!" Tempus naves conscendendi iam adest, atque hora iter ingrediendi, ipsa Deá significante, propitia est. Age igitur, procedamus!"

"Ad naves! Ad naves!" impero ego magna voce; tum me ad templum convertens, "Vale, Baaltis, cœli Regina!" inquam, "sub vesperum in Mari Magno nos videbis."

Casside capiti repositá, Hannibal cantu tubæ milites nautasque convocari iubet. Hanno atque sacerdos ad idem latus me-

um accedunt, Himilco autem simulacrum Deæ ferens, ad alterum comitatus, eo ordine quo venerat, nobiscum, versus portum, per vias, utrimque decoratas, iter flectit. Viæ ad portum ducentes, totusque margo portûs, tanta hominum multitudine erat conferctus, ut arduo nonnisi conatu pervadere possemus. Turbæ autem ex omnium gentium varietate videbantur coalescere; nam, præter indigenas Phœnices, Syri quoque intererant, cum indumentis fimbriatis et clavatis; Chaldæi, cum plexis barbis; Iudæi, cum curtis tunicis, prolongatis calceis, pellibusque pantherarum per humeros transversis. Præterea et Lydii cum vittatis frontibus; Egyptii, quorum alii tonsis capitibus, alii cum ingentibus corymbis; Chalybæi quoque feroces aspectu, seminudi, ac, tandem, ingentis staturæ, roborisque Caucasii in turba versabantur. Plurimæ etenim gentes remotissimæ ad nostras Phœnicias urbes suos cives delegare consueverunt, veluti ad meditullium patriamque artium, industriæ fabricatoriæ atque mercatus. Hos inter cernebantur Arabes et Medianitæ, qui proceritatem ædificiorum videbantur mirari, nec minus frequentiâ ac multitudine hominum attoniti stupebant. Visi etiam Scythæ sunt ex Thogarmate,[1] quorum crura braccata loris ac fasciis erant circumligata, et hi tractim incedebant, mirarique videbantur et ingentem hominum concursum, et omnes omnino equos vectaculaque ex angustis viis abesse.

Fragor multi clamoris vociferationis atque cantilenæ aera verberabat, et hoc in diversissimis linguis. Turbæ hominum, humeris, cubitisque pressæ, sese confricando luctabantur, ut capitibus porrectis visum prætereuntium manipulorum caperent. Quisque chorus musicorum aliam, ac rursus aliam admiratorum turbam nactus erat; quodque sacerdotum prætereuntium collegium novam scrutantium et admirantium catervam allicuit. Regiæ quoque cohortes cum suis scutis, variis coloribus distinctis, novum spectaculum, admirationisque fomentum curiosis offerebat. Nostri denique classiarii et promiscui nautæ mirum quantum vulgo concursum concitabant; nosterque progressus præter armamentarium turbinis speciem referebat, ut iter no-

1. Pars Armeniæ; n. 39.

strum ad reservata spatia in margine portus flectebamus, ubi classicula nostra, puppibus versus terram destinatis, sub præsidio paucorum nautarum parata stabat.

Iam et Bodmilcar atque spado interim in navim Melcarth advenerunt, et in agea, quæ ad puppim ducebat, animoso quodam modo colloquebantur. Simul ac nos adventare vident, colloquendo subito finem faciunt; Bodmilcar sibilo nautas convocat, spado autem me conventum accedit.

"Omnesne sarcinæ tuæ comportatæ sunt?" quæro ex Hazaele.

"Ita sunt," respondet ille; "at ego perquam moleste fero camas nostras non in hac maiori navi paratas esse; in hac enim longe ampliori spatio, ampliorique commodo frueremur; tamen id parum refert: prima quaque statione id mutari poterit; hoc et Bodmilcari expedire videtur."

"Fieri id nequit," aio ego, "serva regia mihi concredita est, eamque sic manere oportebit. *Melcarth* est oneraria, nec ad nauclerum onerariæ quidquam de vectoribus attinet. Ne de hac re quidquam amplius! Rectene traditum teneo, tibi a rege litteras pro me esse concreditas?"

Ne verbo quidem in responsum prolato, spado cistellam santálinam mihi tradit, quá apertá, plures philyras papyri intus reperi, varia præcepta pro me complectentes.

Quum iam prope signum silentii tubá a me dandum erat, iamque verbum prolaturus eram, quum subito Bodmilcar accurrit, seque in brachia mea coniicit, et,

"Sacrificium Moloch obtuli," inquit, "vota Deo meo exsolvi, tibique iam animum sibi conscium pandere cogor. Veniam tuam, omniumque, si quos conscius, aut invitus, insolentiá, temeritateque offenderim, flagito."

Hanno illi incunctanter manum porrigit, certioremque eum facit, se, quidquid antehac perperam dictum factumque abs se in simultatem fuerit, prorsus oblivioni traditurum, in posterum vero eum omni humanitate prosecuturum. Ego autem, quum hos, cæterosque omnes, sic in gratiam rediviase cernerem, facile annui, gratoque admodum animo vidi nos omnes in amicitiam, pacem, atque concordiam conciliatos iter ingressuros.

Quisque interea nauclerus suas nauticorum manus congre-

gavit. Hannibal, suis ubique dispositis, denos sagittarios, totidemque classiarios, in nostra navi continuit. Tum sacerdos suum cuique navi Numen solemni ritu per simulacra dispertivit.

Priusquam solvissemus, domnædius noster, cuius sub tecto morati eramus, cum uxore, filioque una, viam sibi per præsidiorum ordines fecit, me appellavit:

"Amice, Mago," sic fatur, "ferre non poteram, quin ante tuam profectionem te iterum convenirem. Ecce tibi placentas, hic autem quasillum uvæ passæ attuli; præ cæteris autem aliis, ecce binos utres genuini nectaris. Accipe hæc, amabo, in signum bonæ in te voluntatis. Vale, hominum optime, atque Dii omnes Deæque prospere te navigare faxint."

"Vale, gubernator eximie," eloquitur domnædia, ad Himilconem versa, "tibi vero ego attuli hunc utrem Byblici, nam probe compertum habebam te nullum vinum huic anteponere."

"Summas tibi, domnædia, habeo, reddoque gratias," grato animo respondet Himilco, "nam ego, profecto, nullum vinum genimini claræ Phœnices comparandum censeo. Scito, matrona præclarissima, tui gratissimi muneris me immemorem nunquam futurum; atque, si bene ominato sidere usi fuerimus, largientibusque Cabiris, salvi reduces fuerimus, spondeo tibi tali munusculo me ad te rediturum, quod cunctas mulieres Tyrias in invidiam rapturum sit."

Filius coniugum, ephebus senum-denum annorum, singulari in Hannonem pietate ferebatur, nec facile dissuaderi poterat, ne se socium itineris adiungeret. Is amico fasciculum calamorum scriptoriorum dono tulit; atque hi animo admodum ægro alter ab altero divelli patiebantur.

In omni hac hominum turba vir quidam intererat, quem summo honore prosequebar. Eius litterarum scientia probe Divina existimabatur. Sacerdos is erat provectissimæ ætatis, nomine Sanchoniathon,[1] historiographus. Is, quamvis nulla itinera susceperit, rerum tamen notitiam totius fere orbis maximam inter æquales consecutus erat.

Is me his verbis appellavit: "Mago, fili mi," inquit, "scriba

1. Auctor Phœnicius; n. 40.

tuus Hanno munus sibi suscepit litteris cuncta comprehendendi, quidquid rari, mirabilis, in dissitissimis quas visetis orbis partibus, et quidquid usquam comperietis scitu dignum, ad me perscribendi. Ille quidem ingenio claro et alacri est, ætate tamen indomitus, et in ephebis est. Si ergo, salvo tuo commodo, liceat, rogatum te esse volo, ut pro tua diligentia caveris, ut promissis stare ille ne detrectaverit."

"Gratum mihi, pater, velim, existimes," respondet Hanno, "nihil quidquam a me præteritum iri, ut iuventutis temeritates frænem et compescam. Multis humanitatis officiis erga te haud ignoro me teneri; nec, si per vires possim, committere velim, ut præcepta disciplinæ, abs te mihi impertita, memoriá mihi dilabantur. Quamobrem, quantum viribus polleo, enitar, ut quæque memorabilia in nostris orbis partibus mihi innotuerint, meá operá, ad notitiam Phœnicum perferre possis, nec me discipulum tanto magistro indignum præbebo."

Tum grandævus Sanchoniathon nobis Deorum favorem efflagitavit. Vix hoc peracto, sacerdos Astartes a navibus huc pervenit. Ut ipsa Hannonem præteribat, eam dixisse clare ac distincte audivi:

"Ipsa tam proba est quam formosa."

"St!" ille se monebat, "oblivione mihi delenda est. Pharaonem fortunatum!"

Quum ad solvendum cuncta parata esse nuntiaretur, tubá ad conscendendum cani iussi, et omnes sedulo conscendimus. Primus qui pedem navi admoverat, Gisco fuit, *Cabirorum* gubernator, qui vulgo ut "Gisco Celta" cognoscebatur, vel, et hoc sæpissime, ut "Gisco Inauritus" memorari consuevit. Is navigationi ad Rhodanum octies interfuit; in una harum, ut famá accepimus, uxorem Celticam duxit, flavis comis, quæ hunc, in suis nativis sylvis usque adhuc exspectabat; alias eum a Siculis captum, ambasque eius auriculas ab iis præcisas esse tradunt. Puppim ascendens, capedulo agitato, lætus inclamat:

"Evove, nautici! omnes nautici præsto estote! Euoe! conscendite principes marium, Astartes soboles, præbete Navarcho aures! Tyrii et Sidonii, ad mare! ad mare! Navarchum Magonem Dii servent!"

Nautici interim ad naves properant; quisque suam conscendit, ac simul ego in catasta puppis locum meum ceperam, parasemum meum e malo *Astartes* in signum profectionis evolvi, exostram revelli iussi; tum marræ vi magna prorsum, littori figuntur, naves retrorsum cedunt, — — ac, tandem aliquando — profecti sumus.

Cabiri, cum suis binis et vicenis remigibus præibat; excipit eam *Astarte; Dagon* vectabat *Melcarth*, quæ ob nimiam magnitudinem vela in portu minus apte explicare poterat. Classicula nostra læte præterlabebatur frequentia navigia, crepidinibus hærentia, perinde atque innumeras barcas, lembos, liburnas, celocesque, huc et illuc meantes ac vergentes, quæ multitudines hominum, quod sacra Melcarth necdum cessarant, in insulam et retro vectabant. Tubicines nostri usque canebant; remi nostri salum, velut ad modulum, verrebant, atque voces undique acclamantium spectatorum aera verberabant.

E celsa catasta mea omnium navium tecta facile perspiciebam. Hic mihi adstabat Hanno, dum Himilco e prora gubernis[1] operam dabat. Hannibal classiarios sua scuta lateribus navis appendere iussit, eorum autem quisque locum sibi destinatum tenebat. Hazael quoque, cui nulla prærogativa obtigerat, in suam privatam casteriam se recepit.

Ostium portus mercatorii, cum suis geminis turribus speculatoriis, prætervecti, fauces penetravimus ad insulam ducentes, ubi multitudo naviculárum, aplustribus ornatarum morabatur, supra quas, e longinquo ædes Suffetis Navalis eminebant, quarum fastigatus ascensus, multitudine obsessus, tegetibus variis, vexillisque conspicuus, et hinc clare discernebatur. Alias, in media insula, tholum templi Melcarth conspiciebam, cuius e summo culmine fumus cæruleus celsa petere, suffimenta, sine dubitatione, sacrificiorum, haud obscure indicarunt. Quin, cœlo claro, etiam sonus tubarum et cymbalorum, cæterorumque choragii instrumentorum clangor ad aures meas perferebantur.

Gaulus regius, a gaulo suffetis comitatus, interim nobis occurrit. Supra puppim navigii regii catasta eminebat, quæ te-

1. *Guberni* sunt qui gubernant.

gete, auro argentoque picta, undique obducta, tamquam ex integro metallica, fulgebat. Superficies remorum ebore erant tectæ; vela filis argenteis erant intertexta, acuque picta, cum imaginibus Melcarth, Moloch, atque Astartes, velum autem in medio, hyacinthini coloris, in imitationem undarum, viridi erat intextum, quarum e medio Astarte, in tutelam piscium contra Dagon, exsurgebat. In confinibus proræ chorus musicorum concinebat, in stega autem formosæ mulieres, tiaris regni, monilibusque triplicibus decoræ, citharis laute pictis modulabantur, aliæ autem taleolas æreas, cum cirris purpureis ac languido-viridibus, atque tintinnabulis minutulis ornatas manibus gerebant, et horum tinnitui accinebant. In extrema puppi rex Hiram in solio reclinatus conspiciebatur. Caput eius mitra, cum insignibus infulisque regiæ dignitatis integebat, ut apud principes Phœnicios erat solemne; barbam Syrorum more hispidam, in lacertis autem geminas armillas aureas gerebat. Solium eius ex auro vitreatoque factum, micabat. Tergum solii in similitudinem navis cælatum, ancónes autem delphinorum in speciem erant efficti. Duo viri ministrorum officio fungebantur: alter scriba, iunctis brachiis adstabat, alter vero custos sigilli. Pone hos servi stabant, quorum alter velabrum regium super caput regis servabat, purpure aureisque fimbriis insigne; alter autem labarum regium, e sindone purpurea textum, in quo imagines solis, lunæ dimidiatæ,[1] stellarumque errantium erant filis argenteis expressæ, ferebat. Suffetes se in gaulo Præfecturæ Navalis tenebant, præsidio cincti custodum, quorum cassides Lydicæ, scutaque ar. gentea, et suta[2] solis splendore fulgebant.

Regio comitatu conspecto, remiges sistere remos, navesque teneri iussi. Navigatores regii idem facere statuerunt, suæque naves pariter substiterunt. Servi regii intra momentum temporis exostram ebeninam provehunt, eamque tapetibus pretiosis confestim consternunt. Rex Hiram consurgit, e solio degreditur, in nostram venit stegam, ubi mihi contigit honor eum per meam navim circumducendi. Ostendi illi itaque duplicatas stegas, dis-

1. Insigne regni; n. 41.
2. *Thorax*, metallum quod pectus tegit,

positionem mercium et impedimentorum, atque receptacula aquæ. Inde, sine comitatu, obibat casterias spadonis, atque servæ, postea autem, discessurus, per fiscalem suum bina talenta argenti mihi appendi iussit. Rege ad solium regresso, exostrá revulsá, signo a me dato, centum ac duo et viginti remi nostri sine strepitu aquis merguntur. Tubæ canunt, milites, nautæ, remiges conclamant, ego autem magna voce vagio:

"Vale mi Rex! Tyre et Phœnice, valete! Vos autem soboles Astartes, classiarii mei, facessite prorsum!"

Classicula denique nostra celeri lapsu prætervehitur turres, tutamenta ostii portús, quas die-noctuque excubiæ tenebant. Postremo, oculos retro, versus urbem, quæ tamquam candicans amphitheatrum, e plano in clivum sese attóllebat, angustis viis per intervalla múltifariam intersectam; item, versus molem flavescentis templi Melcarth; deinde, versus grandes ædes Præfecturæ Navalis, supra quas luculenti muri templi Baaltis eminere videbantur, tum, deinde, supra hæc omnia, iuga Libani in extremo horizonte, verticibus celsi in longinquo livescentibus, ut ea cœli convexa adumbrare videbantur. Istinc ad naves me converto, ut eæ proris æreis spumam sali ferventem sulcabant. *Cabiri* haud aliter quam delphinus, facili lapsu per undarum cristas ferebatur; *Melcarth*, iam non vectata, atque *Dagon*, propriis velis rapiebantur.

Vento secundo pulsi, versus Austro-Occasum ferebamur, quare et reliqua vela pandi iussi onerariarum, dimidiam autem remigum partem remos levare, sese autem quieti tradere præcepi. Ipse quoque consedi, et sic, meditabundus, oculos in æquore pascere cœpi.

Ac nunc demum iter versus dissita Tartessi littora vere carpsimus.



CAPUT III.

Sammai a Custode Servulæ Agnoscitur.

AD præternavigandum Promontorium Album, sinum ex Occiduo-Meridiano rectà traiiciendum statui, Tyro ad Septemtriones eius relictá. Ab Albo naviganti mihi in conspectum venturum esset promontorium Montis Carmeli; tum, evitando profundas aquas sinûs, istinc ad Septemtriones circumflectendo, secundum littora commode poteram versus Ioppam navigare.

Cabiri, prima navis, mille tercenta stadia quatuor et viginti horarum spatio facile emetiendo par erat; at gaulus, utpote qui tempestate ordinariá semper velis agebatur, magnaque onera vectabat, tantam celeritatem assequi non poterat; haud aliter onerariæ. Tamen effeci ut in primis quatuor et viginti horis mille stadia relinquerem, ita ut iam prioribus horis tribus circuirem Promontorium Album, cursumque ad Austro-Occiduum tenens, sub noctem terra e conspectu dispareret.

Circa mediam noctem Himilco me suscitabat, docebatque nos e regione Promontorii Carmeli versari. Satis claro lumine lunæ tantum quod summum eius cacumen discernere poteram; tum cursum nostrum ad Austrum flectendum iussi, cavique per signa, ut *Melcarth*, collectis velis, remis se concrederet, quod iterum terræ appropinquabamus. Sub primam lucem flabra citatiora in conspectum devexorum Palæstinæ littorum nos compulerunt, atque circa meridiem, e procerioribus turribus nos adversum Ioppam vergere cognovimus, quod et luci palmarum, atque ficulnearum circumiacentes prodiderunt.

Superato ostio fluvii, qui circiter quadragenis stadiis a por-

tu se in sinum effundit, *Cabiri* littus appropinquavit, dum *Melcarth*, duæque barcæ, quum aquæ nimis vadosæ essent, circiter uno stadio et semisse, in alto constiterunt.

Portus Ioppæ nullus fere est; neque enim alveum, nec navalia habet. Prope ad littora pauca gurgustia atque mappalia visuntur, inter quæ medium fere locum obtinet castellum quoddam, e congerie atque maceria, a rege Davide conditum, quum mercaturæ cum Phœnicibus viam paravisset, atque Ioppam portum constituisset, quò betulæ cedrique, in Libano succisæ, ratibus convectarentur. Quædam barca Phœnicia, unaque ærumnosa navicula Ægyptiaca, cum tutela, caput anserinum referente, subtus littus in luto hæserunt; in ipso autem littore nonnullæ scaphæ piscatorum Iudaicorum miserabiles iacebant.

Hannone et Hannibale mecum accitis, lintre terram petivi, ut centurioni, qui ei leviori præsidio hic loci præerat, honoris causá sisterem. Priusquam tamen longius processissemus, ipse centurio nos visum accessit, comitatus manipulo circa quinûm denûm militum, gladiis, lanceis quadratisque scutis armatorum. Hi linteo erant præcincti, cinguli eorum in latere corio convincti, politoque silice constricti. Comæ eorum, in nudis capitibus in minutos cirros erant plexæ; in pedibus ac tibiis calceos et vinctas ocreas gesserunt, in humeris autem, more Iudæorum, pelles pantherinæ erant circumiactæ. Centurio solus gerebat cuprea suta, haud affabre facta. Simul atque intra paucorum passuum spatium conveneramus, centurionem consalutavi, quod, vicissim, et ipse fecit, prodiditque se haud ignarum esse me legatum a rege Hiram missum venire.

"Pax sit vobis!" fatur ille. "Quoniam de tuo adventu certior factus sum, tibi obviam veni, ut tibi, Hierosolyma petenti, comitatum præstarem. Rogo tamen te, atque obsecro, ut in castellum nostrum venire, hospitemque nostri, cuiuscunquemodi convictús, te præstare ne fastidiveris."

Eá humanitate excipi nobis gratum erat, lubenterque comitabamur nostrum hospitem in munitiones, quò per fornicatam turris portam ducebamur. Pervenimus in aulam celsam et spatiosam, unde prospectus patet in mare. Ibi servos tabulatum satis asperum stragulis consternere iussit. Muri eius loci nullá

tectoriá erant rudes ac nudi, totaque structura omnis artis expers. Aqua, panis, fici passi, atque caseus erant nostræ frugales dapes, quibus tamen vinum satis potabile addebatur, cuius quidem obtinendi Iudæis, captá ab iis Syriá, ex Helbon[1] facultas dabatur.

Dum epulæ parabantur, varias inter nos vicissim quæstiones de ipsis nobis, deque regibus nostris agitabamus; simul tamen atque cibi apponebantur, præfectus Iudæus, os caseo referciens, edendi exemplum præbuit.

Subito, quum me circumspicere animadvertit, sic me affatur:

"O, utique, tu cogitare videris nos Phœnicum dexteritate ædificandi non pollere. Vestrá arte affabre sciteque res moliendi nos certe destituimur. Memineris tamen nobis et opes, et materias vestras deesse. Nec te præterire velim hunc misellum nonnisi pagum esse; at vero, es æquo animo, mox cernes frequentes nostras urbes, æquè ac læta rura antequam Hierosolyma pervenias."

"Terra Iudææ," respondet Hannibal, "mihi quidem haud ignota est. Iam eam peragravi, eamque fertilem atque opulentam esse perhibere possum; nam ferax ea est olivæ, dactylorum, vinique. Nec agricolas vos tantum, sed et bellipotentes esse superbitis. Quæque gens negotium sibi proprium sectatur. Nos Tyrii, atque Sidonii, plerumque cupiditate navigandi flagramus, ac mercátum, omnia audéntes, exercemus, tamen prædicare audeo nos belli quoque artibus florere; sic Arvad nullo pudore suos belliduces memorabit."

"Sic, sane," excipit alter, dum mirabundus oculis percurrit arma sutaque Hannibalis, "dubium nullum est, quin milites Phœnicii optime armati sint."

"Est," inquit ille, "quod tibi dicere possim, quodque tibi prorsus novum videbitur. Quamvis vobis exercitus constitutus nullus sit, nec quemquam peregrinum ad stipendia admittatis, tamen ego regis vestri stipendia feci. Id autem hunc prope in

1. Nomen oppidi, nunc Aleppo; n. 43.

modum evenit: — Admodum puer in oppidum Canaan delatus eram in hæreditatem filiorum Asher,[1] ut soboles eius tribûsc revi, iustoque tempore in exercitum vestrum conscriptus fui."

Centurio Iudaicus auditis miro modo delectabatur; surgens, Hannibalem amplexatur, et in pignus amicitiæ cyatho vini perfruuntur, qui cyathus mox ad Hannonem, tum ad me cessit. "Ego," inquit ille, "ad tribum Iudæ specto, cuius patrimonium, Hierosolyma profecturi, præteribimus. Rex quasdam copias proprio sumptu alit, atque ego centurio e vicenis unus sum. Missus eram huc, ut te advenientem exciperem; equi asinique pro itinere necessarii parati sunt, poterisque, quum libuerit, veluti hac vesperá, si videbitur, proficisci."

"Hodie id fieri nequit," respondi, "a navibus enim, antequam redeam, cunctaque in ordinem redigam, abesse non possum. At cras paratus ero."

Quum otium nobis non deesse videretur, quærit, utrum sibi naves visere liceat; quod, quum Phœnices simus, merces forte nobis venales sunt, quas ipsi præstinare liceret.

In responsum docui eum, nobis merces, quum in servitio regis essemus, venales nullas esse; nec alias res mercimoniales nobiscum tulisse, quam quas erga alimenta necessaria cambire possemus.

"Si sic se res habet," subiungit ille, "tibi fortasse prodesse potero; habemus enim greges caprarum, habemus balsama, olivas, affatim. Quibuslibet potero adiumentis, tibi adero. Sammai[2] ego sum, filius Rehaiæ; pater meus in hoc regno latissime cluet."

Assentior itaque ut naves nostras visere possit, quo nos et mox secutus est.

Dum ego abfui, nautæ iam exhibuerunt nonnullas merces piscatoribus in littore, atque pastoribus ibi congregatis, quas merces quisque suo beneficio secum attulerat, et iam arguta negotia inter se agitare cœperunt. In stega *Melcarth* merces mutatoriæ iam evasatæ erant, atque Hanno celeri manu efficie-

1. Una e tribubus Iudæorum Aseritæ; n. 44.
2. Nomen viri; n. 45.

bat elenchum mercium, quas ego libenter missas esse, atque earum, quas, vicissim, comparatas esse vellem. Penu meum, cuius incrementum maxime mihi cordi erat, frumenti copiá indigebat, item, duarum amphorarum olei, dolii olivarum, semisse balsami, senum qualorum fici passi, senum qualorum dactylorum, quinquagenûm caseorum; præterea Bodmilcarem, qui cambiis præerat, nonullas oves, atque hœdos comparare iussi, uti nostri copiá carnis recentis abundarent, usque dum in Ægyptum perveniremus. Aliæ quoque suppetiæ comparandæ erant, sed has a regis Davidis munificentiá exspectabam, perinde atque a facultatibus meis, quibus eas res Hierosolymis commercari poteram.

Concinnum ordinem, rationemque rerum in navi dispositarum, Sammai summis laudibus extulit; et, quoniam omnia pæne sibi prorsus nova esse oportebant, vix verba reperire poterat, quibus admirationem suam exprimere posset. Disciplina virorum, perinde ac plenitudo rudentum et copularum, æquæ dignæ suæ admirationis causæ erant. Ad cœnam a me invitatus libenter annuit, et in puppi *Astartes* sedentibus nobis, ex imo suspirans, exclamabat:

"Quantá gloriá vestram peregrinationem cumulatam esse oportet! Quam præclarum est divitias, quas maria celant, comparare posse! Hic, in montibus nostris, hircis imperitiores sumus. Fieri subinde potest, ut paucos vicos compilemus, sed leoninam partem prædæ duces sibi vindicant, quæ tamen plerumque tenuia et ieiuna sunt, cum lucro comparata, quod vos mercaturá conflatis."

Ego tamen eum commonefeci, ut intelligeret maiora quædam subesse commoda in mari periclitantibus, quam sunt meræ opes, veluti commodum videndi et experiendi mundi miracula.

"Ita, profecto," annuit ille, "sæpe mercatores vestros Phœnicios narrare audivi de immanibus colubris, ac de piscibus quinquagenos cubitos longis. Audivi fabulas eorum de vallibus, gemmis referctis, de fodinis auri argentique nunquam exhauriendis. Nec ignoro ab iis de gigantibus, deque montibus ignem fumumque vomentibus mira ac stupenda narrari."

"Nullum dubium," excipio ego, "tu satis intelligis viatoribus aliquid ob exaggerationes concedi debere; tamen prorsus constat peregrinatoribus haud raro miras res sub conspectum cadere."

"Nonne," ultro quærit ille, "etiam pugnandum vobis subinde est? Ego vero quoddam pugnandi periculum iam expertus sum; Moabitas etenim atque Philistinos[1] propriá iam manu interfeci. Pugnare scirem iterum; atque, siquando vobis pugnandum esset, libenter vos comitarer. Liceretne vobiscum ire?"

Hannibal humerum Sammai manu contrectans, sic eum alloquitur: "Vide sis Centurio, utrum id serio dicas; nam id fieri posset. Quadragenis etenim tyronibus sagitariis egeo. Possesne eosdem mihi comparare?"

"Possem, profecto!" avide assentitur ille, non sine solito iuramento, "per nomen *El,*[2] *Domino Exercituum.*"

"Compara illos igitur," interpono ego, "atque si quadragenos eiusmodi fortes, alacresque masculos, militiæ aptos comparaveris, sub Hannibale tu eis præeris." Insuper, additá pollicitatione præmii novorum sutorum pugioneque chalybæo, cum capulo eburneo, animum eius etiam magis incitavi.

"Dii servent regem!" clamat ille, gaudio accensus, dum Hannibal lætus, quod augendarum copiarum suarum consilium eum non fefellit, manus confricabat, atque cum orbe terrarum congredi, regnaque se subigere posse sibi confidebat.

"Quæcunque regna," nugatur Hanno, "ego subegero, cum incolis unà, e vestigio vendam; auctionabor eos omnes, vendamque licenti optimo, et e proventibus palatium præstinabo meum. Tu, Himilco, mihi eris in pocillatorem. 'Hirco hortulano pellium caprinarum cura committitur,' uti proverbium, tibi non ignotum, docet."

At Himilco: "Loco de tuis epulis disserendi," inquit, "satius arbitror ut animum in nostras advertamus," hisque dictis propius ad mensam accessit, in qua iam dapinatum erat.

Vix cibos degustare cœperamus, quum nauta, a Bodmilcare

1. Gentes minores Palæstinæ; n. 46.
2. Arnúpotens, Dominus exercituum; n. 47.

missus advenit, qui nuntiaret eum cuncta iam coemisse. Quærebam ex eo, cur nauclerus ipse in socium non venisset. Aliam causam ipse allegare non posse arbitrabatur, quam quod Bodmilcar spadonem ad secum cœnandum in *Melcarth* invitavisset.

Hanno expalluit.

"Spado ille perditus!" mecum mutio, postquam nauta tergum vertit; "sine dubitatione, aliquid improbi ac noxii molitur; speremus tamen mulieres nullius molimenti participes esse futuras."

Hanno tantum quod non actutum ad casteriam proruit, quum ianuá apertá, ancilla intrat, quam hera sua velata comitatur.

"Noli vereri Navarche," inquit illa, "evolet licet accipiter, columbæ non eum sequuntur."

"Numquid ille te sequi iussit?" quæro indignabundus.

"Parum instabat," respondet puella, "nos vero maluimus hic manere, nec lubebat in ea atra navi maiori sedes quærere."

His auditis certiorem feci puellam recte eam statuisse, meque Hazaelem severe obiurgaturum, si ad eas hinc subripere moliretur. Tum me roganti facile annui, ut in stega, gratiá auræ recentioris hauriendæ, libere obambulare possent; sed antequam ipsa se avertisset, Sammai, qui hactenus cum Hannibale de quibusdam rebus militaribus disceptabat, conspicatus vultum eius, exclamat:

"Hiccine tu, Abigail?"

"Tute ipse es, Sammai?" quærit ipsa vicissim, eodem puncto temporis manus præbent, sibique vicissim in oculos contuentes, singultare cœperunt.

Simul ac Sammai sese componere poterat, percontabatur ab ea, quí id factum esset, ut eam navis Phœnicia haberet.

"An nesciebas," quærit ea vicissim, "Philistæos in pagum nostrum Gedor descendisse, me Ascalonem[1] rapuisse, denique Tyriis me vendidisse?"

"Non, Hercle," respondit ille, "hæc omnia prorsus nova

1. Portus Philistæorum; n. 48.

mihi sunt. Nam ego in bello, contra regem Tzóbam, in Septemtrione eo tempore occupatus, nec ex eo tempore domi fui."

Haud ita multo post Abigail, prisco, solitoque animo læto et alacri recuperato, narrare perrexit, quemadmodum se rex Tyri præstinaverit, nunc autem in itinere commissa sit in Ægyptum, veluti comes virginis Ionicæ, quam rex Hiram eodem secum tempore emërat, quamque is Pharaoni in donum mittat.

Sammai autem, ex sua parte, certiorem eam fecit sibi facultatem esse concessam, ut se socium expeditionis adiungeret, et dolere se aiebat iter in Ægyptum tam brevi finem accepturum; addidit præterea: "Utinam peregrinatio non minus duratura esset, quam maiorum nostrorum quondam peregrinatio in deserto.

Mutuá hac agnitione motus, puellam, ut paulisper inter nos considéret invitavi; rogavi insuper Hannonem, qui gnarus linguæ Ionicæ erat, ut virginem etiam ad idem faciendum invitaret. Ipsa, gratá obsequentiá, in pulvillo sibi apparato consedit.

Cœna satis iucundo eventu cessit. Sammai et Abigail nos narratione suæ anteactæ amicitiæ, rerumque in pueritia gestarum, quemadmodum unà in pascuis suis nativis capras pavissent, oblectaverunt. Facere non poteram quin iis coram animi ægritudinem faterer, quod propediem ipsis iterum secedendum esset.

"At, fortasse," inquit Abigail, "Pharao me servare minus curabit, nam mei similes rex Pharao, sine dubitatione, millenas habet. En heram meam! ipsa illi mittitur; at, quod ad me attinet, me pro certo relegabit."

Sammai constrictis pugnis, veluti me appellans, me contuetur, ego tamen alio solatio subvenire haud poteram quam memorando mihi videri, puellam, itinere confecto, ab officio heram suam comitandi, absolutum iri.

"Præterea," subnectit Hannibal, "ipsa munere soluta, prorsus sola et derelicta esset. Parum referre, quod Hazael tanto nisu eam oblectare conetur."

Interea Hanno atque virgo Ionica colloquia inter se texere cœperunt, et hoc tantá inter se fiduciá, ut mihi iam gravius ad ferendum videretur; ut ergo modum rei ponerem, usus occasione, ubi scyphi complerentur, quæsivi ab Hannone, quum ipse psallendi gnarus perhiberetur, utrumne virgini persuadere posset, ut ipso chorago, quoddam carmen nativum præcinere vellet. Linguæ Phœniciæ paucillum gnara, ipsa pro se respondit, se et posse, et libenter velle, ut cuperem.

Cithará allatá, et in harmoniam redactá, ipsa, velamine revulso, vultum nobis exhibebat singulari gratiá venustum. Virgo more mulierum Phœnicum erat induta habitu purpureo, argento acupicto, in collo autem monilia trium ordinum aureorum ocellorum affabre factorum. Erat ipsa capite nudo, comá patrio more concinnatá, a fronte retro flexá, et in medio revinctá. Nos alto silentio circumsedebamus, veluti solo fixi, eiusque mirá venustate constricti.

Primum quam servus meus lychnis in latere navis eo paratis lucernas adaptasset, virgo Ionica, voce clará ac sonorá quandam cantilenam suæ patriæ fundere exorsa est. Linguæ quidem Ionicæ familiaritatem mihi nullam esse fateor, tamen, in peregrinationibus meis vagam quandam cognitionem eius comparavi ut satis intelligerem eam bella celebrare a civibus suis longe ab hinc cum Achæis, et contra Priamum, regem Troiæ gesta. Ut vox eius subinde in dulcedinem vertiginosam exsurgebat, oculi Sammai affectibus animi scintillare videbantur, digiti vero Hannibalis capulum sui gladii tentare. Quin et illi, qui sensum verborum non ceperant, tamen modulis ad ima cordis capiebantur, æquè ac venustate eximiá cantatricis. Finitá cantilená, virgo exsurrexit, pedesque non aliter quam ipsa Diva Astarte id factura esset, per undas præterlabens, cum gratia retraxit.

Postquam virgo discesserat, Hanno protinus ad oram navis se recepit, ibique stans, animo non parum turbatus, fluctus contuebatur. Quum eius suavi conversatione diutius carerem, ad eum accessi, quæsivique ex eo, quid rei esset.

"Nihil quidquam," respondit, "quod non brevi prætereat."

"Tibi suaserim," moneo eum, "nequid ex his, quæ hac ve-

perá hic dicta gestaque sunt, Bodmilcari enuntietur; equidem nec illi, nec spadoni fidem habeo."

"Nihil refert," respondet ille, "quid Bodmilcar fecerit. Quod ad me attinet, promissis meis stabo. Modo ego Tartessum perveniam, ibique audacius quid agendi facultatem reperiam. Nec despero quin nauta usque evadam aptus, Navarche mi;" et dum sic loquebatur vox aliquantum rauca clarescere cœpit. Manus eius tum prehendi, veluti fidem eius confirmaturus. Nescio quo pacto, in diem iuvenis mihi gratior et acceptior esse cœpit.

Quum ad cæteros reverteram, Sammai sic reperi, quasi in siccum redire mallet.

"Fausta felixque sit tibi nox, Sammai," alloquor eum, "cras mane iterum conveniemus."

"Faustam ac placidam tibi precor noctem, mi Navarche, vobisque omnibus!" inquit ille in responsum, et quam primum in navi erat, clamavit; "Vale Abigail, blanda columba mea, nox tibi fausta et placida esto!"

"Tibi quoque, agnelle mi!" respondet illi Abigail, pervicax e casteria sua prospectans.

Eodem ipso tempore spado advenit. "Lurco ille bonis est pulmonibus;" contemptim animadvertit præteriens; "verum ego dubito utrum Pharaoni valde gratum fuerit sua mancipia toti orbi ostentui exhiberi."

"Sic, profecto; nec si resciverit eandem lautitiis a Navarcho et scriba eius celebratam fuisse," addit Bodmilcar, pede interim e pulvillo excutiens citharam Hannonis, quam hic casu, discedente virgine Ionica, ibi reliquerat.

"Quæ tu hic agitas, mihi perquam ingrata sunt;" respondeo ego loquelæ eius voce severiori; sed Bodmilcar sermoni meo verbis acrioribus incidit: "Hazael, fretus auctoritate regis, de mancipiis ad suum arbitrium, ut lubet, statuet."

Verba hæc me non parum exasperarunt. Ferendum non erat ut spado Syrius, ipse mancipium, suam meæ auctoritati anteponere præsumat, meque, hominem liberum, navarchum Sidonicæ classis, sibi posthabeat. Bodmilcarem itaque obtutu rigido et constanti contueor, quod is minus videbatur intelligere

quid dixerit; sed ipse, simultate quadam mihi obtutum temere reddidit.

Tum ipse voce elatâ pergit: "Iuvenca ista Ionica mea quondam fuit, sed mihi a latronibus erepta erat, qui eam regi vendiderunt. Rex eam regi Pharaoni in donum mittit; quum itaque obnitor, quominus donum regis in manus incidat scribæ tui, officio meo satisfacere arbitror."

Contra, ego, firma voce respondi: "De cunctis his rebus meum erit hic iudicare. His in navibus auctoritas mea de omnibus rebus sola valebit; et væ illi qui eam in dubium vocare ausus fuerit."

"Præclare dictum!" adstipulatur Hannibal. "Disciplina atque obedientia potissima sunto!"

"Tum *sic* faciam!" clamat ille voce raucâ, furore subacto; ego tamen tranquille perinde ac firmiter subiunxi: "Quin facies quod ego iussero; redibis in tuam navim, nautasque tuos curabis. Ego a die crastino quinos dies abero."

Ipse pedes versus navim retraxit, minas et maledicta inter eundum mussans, quæ tamen ego flocci feci.

Postquam ille discessit, Hazael sic fatur: "Nunc vero ego ibo, puellamque eam castigabo."

Hoc audito, ut eum a proposito deterrerem, manum illi inieci, sed ipse mihi se eripuit, et iam ad ianuam casteriæ accessit, quum subito, fortissimis brachiis, Hannibal eum prehendit, totumque eum circumvertit.

"Eho! quod scelus te agitat?" balbutit ille, me prius, tum Hannibalem contuitus, qui eum usque prehensum tenebat. Ego brachiis iunctis, oculisque in eum defixis, stabam.

"Audi!" aio illi, "audi quæ dicam! Leges navium Phœniciarum hæ sunt: 'Quicunque mandatis navarchi refragari audeat, fune ex antennis ter aquæ mergitur.' Tenesne?"

Formidine agitatus spado, in assensum caput quasstiva.

"Præterea," addidi insuper, "huius rei memento; nec minus alterius legis memineris: 'Siquis alteri maledicat, is ad malum devincitur, ac flagellis cæditur, atque quinas et vicenas plagas sustinet;' etiamne hoc tenes?"

Iterum capite nutat.

"Nec denique oblitum iveris," ulterius eum moneo, "puellam Abigail lingua pollere loquaci, me autem auribus acutis. Nunc autem, Hannibal fac eum missum!"

Hazael se ad casteriam sine verbo contulit. Hannibal se a risu vix continere poterat. Tandem sic me affatur: "Eximie factum, Navarche! Optime statuisti! Res ex integro fieri præstat. Namque in navi refragari, perinde est ac rebellare in castris."

Postridie, primo mane, Bodmilcarem acciri iussi.

"Bodmilcar," eum alloquor, "tu vetus nauta Phœnicius es; fides tibi haberi deberet; at ego vereor, ne spado ille te ab officiis avertat. Ipse non diu nobiscum versabitur; confido futurum, ut quum ille cum mulierculis discesserit, tu ad saniora reversurus sis; interea tamen postulo abs te, ut fide interpositá, mihi pollicearis, pacem atque disciplinam abs te servatum iri."

Ipse tentabat negare discordiam se fovisse; mihi tamen verba dari non poterant, nec a proposito discessi, vet fidem ultro dandam exegi, quo denique facto, hæc visum est mihi eum monere:

"Nunc mandata mea animadverte. Dum ego Hierosolyma profecturus abfuero, te præfectum classis constituo. Hanno et Hannibal me comitabuntur; sed Hasdrubal, Hamilcar atque Himilco apud te manebunt, atque milites tibi præsidio erunt. Cordi nobis futurum est, ut commeatum in interioribus regni comparemus, nec ea de re te sollicitari volumus."

"Sed quid de duabus mulierculis fiet?" quærit ipse.

"Hoc meum erit curare;" respondeo illi, "daboque operam, ut iis in littore provideatur. Nos vero statim viam ingrediemur; itaque officiis tuis adesto, teque bene valere iubeo."

Hannonem igitur atque Hannibalem scapham degredi iussi, misique servam cum duobus nautis sarcinas portantibus, qui eos comitarentur. Ut Hanno Bodmilcarem præteribat, animadverti hunc torvo vultu eum contueri, atque exspuere. Hanno nihil nisi humeros quatiebat.

Priusquam ipse in scapham degressus essem, cavi, ut mulierculæ atque spado in navi altera in casteriis tuti essent; tum duos nautas delegavi qui post eos res, quibus indigerent, in lit-

tus eveherent. Hazael causam comminisci tentabat, ob quam sibi in navi manere liceret; sed quum me clamare audisset, "Nullo modo!" in scapham nullo amplius obloquio descendit.

Omnibus rite peractis, signoque a me dato, duæ scaphæ solvuntur. Bodmilcar, in puppi stans, tristi vultu nos prosequebatur, dum Himilco, a latere eius, bono animo atque iucundo nobis valedicebat.

Paucis remorum ductibus ad terram advehebamur. Sammai, moræ impatiens, nos præstolabatur, atque puellæ Abigail descendenti sollicitus aderat. In aridum egressi, iter protinus versus pagum flectebamus, qui in ficeto, vix ad duos iactus arcûs a castello aberat, bonamque cisternam habebat. Ante domum, quæ in pago longe optima esse videbatur, duo equi, atque fere duodeni asini stabant deligati. Equi satis commode erant frænis atque ephippiis, phalerisque ornati, capita autem eorum coccineis reticulis, cum pendulis tintinnabulis fimbriatis, atque coloratis rosulis erant operta, caudæ autem coccineis fascibus in sublime constrictæ, ac revinctæ. Iubæ caudæque asinorum more gentis, henná erant tinctæ, atque tam hi, quam equi, loris probe erant instructi.

"Domus ista," inquit Sammai, "Bichrii[1] est; is unus virorum est, quos comites itineris tibi adiungi vellem. Ipse iuvenis et fortis est, magnumque habet usum et arcûs, et gladii, atque scuti. Antea vineæ colendæ dabat operam in collibus, estque artis vina producendi longe peritissimus."

Eodem ipso tempore Bichri ipse ad nos salutandum prodiit; socium habebat secum alium quendam iuvenem cum muliere.

"Hic Barzillai[2] est," inquit Sammai, eum sistens, "unus e centurionibus decem, hæc autem sua uxor est, Milcha;[3] ipsa soror est amici nostri Bichri, claraque apud nos est ob liba, quæ ipsa præstantissima facit."

Tum Hannibal proponit ut Barzillai, suaque uxor, in comites expeditionis adoptentur; sed Sammai docebat nos hoc fieri non posse, ut hi ad iter maritimum suscipiendum permoveantur.

1. Nomen viri; n. 49.
2. Nomen viri; n. 50.
3. Nomen mulieris; n. 51.

Unum usque munus supererat, mempe domicilii pro mulierculis reperiendi. Relatum mihi est, domicilium pro illis in turri obtineri posse; item domum Bichri eis patere, ubi satis prope ad domum Barzillai essent, ut et societate uxoris eius, et præsidio militum fruerentur. Primum Sammai, ubi intellexit futurum non esse ut mulieres nos Hierosolyma comitentur, mussare cœpit; sed quum perspexisset consilium meum esse ut Abigail, cum hera sua unà, ibi, ubi essent, permaneret, sine verbo acquievit. Demandavi Barzillai, ne cui, præter spadonem, ullo sub prætextu permitteret, ut virginem Ioniam visum adiret; ipse autem, veluti in fidem, vaginam gladii percussit, se fidem non falsurum.

"Ubinam ego habitabo?" nunc spado quærit.

"Ubicunque videbitur;" respondi illi, "domi Bichri, si libeat."

"Quid? domi meæ?" obtestatur Bichri, "aliquis Syrus Sobanus[1] domi meæ? Nequaquam, Navarche, pace tua, id habere nollem, nec id fieri poterit."

"Eccur non?" indignabundus quærit spado; "num nos Syri vobis posthabendi sumus?"

"Haud secus. Syri servi sunt; rex noster vos ad Sobam, et ad Damascum profligavit; pulices estis, atque canes morticini."

"Verum, Hercle, est," Sammai adstipulatur, "Philistæi e Gaza et Ascalon hostes digni sunt qui superentur, at Syri, horum vel duodenos hastæ meæ fixos ipse possem in humero portare."

"Ha, ha!" risit Hannibal, "Sammai perquam amat iocari; ipse nos sub itinere multis iocis diversitabit."

Quærenti Barzillai, utrum mulieribus ambulandi subinde copia sit, respondi, posse Abigail, quippe quæ indigena hic esset, interdum cum Milcha ambulatum exire; attamen virginem Ionicam, usque ad meum reditum domi contineri oportere. Conventum est inter eos, uti sedulo ab iis opera daretur, ne virgini Ionicæ ad tempus iucunde agendum quidquam desideraretur,

1. Nomen loci; pars Syriæ; n. 52.

atque Milcha pollicita est se facturam, ut illa artem, liba aliaque bellaria parandi, interea discat.


Itaque cunctis ad tempus rite constitutis, introibamus domum, ut antequam iter ingrederemur, cibo nos reficeremus.

Visum mihi etiam est ut satis præsidii collocaretur, quindenos militum nostrorum militibus Barzillai addere, pro quibus ipse domicilia in pago comparaturum se promisit. Itaque Hannibal ad accersendos e navi quindecim sagittarios misit; ego autem eodem nuntio usus, Hamilcarem, quique cum eo erant, de iis cautelis certiorem feci, quibus efficaces obices me posuisse credebam, quominus Bodmilcar cum spadone quidquam molimenti comminisci posset.

Spado in epulis nostris participare renuit, et ad naves iracundus reversus est. Milcha virginem Ionicam in proprium domicilium deduxit, sed mox reversa est, secumque liba illa, quorum fama iuste percrebruerat, terna quibusque accumbentibus secum tulit. Verum Sammai, atque Abigail, tanta dulcedine conversationis inter se capiebantur, ut suam portionem plane negligerent, quam Hannibal minime fastidiens, absumpsit.

Bichri, epulis vix peractis, primus prodibat visum, utrum equi asinique parati essent; eum, salute inter nos et Barzillai Michaque utrimque data et reddita, paullo post ipsi sequebamur. Ut per se patet, tempus inter amatores ultimum vale dicendi æquo fere diutius durabat. Ut eram ad medullam usque Sidonius, magis assuetus iactationi navium, quam subsultibus equorum, equum vivacem, quem Iudæus ille mihi obtulerat, conscendere nolui, et satius existimavi quieto ac securiori asino insidere. Hanno, me suadente, hospiti nostro pannum coccineum dono dedit, uxori autem ego par inaurium ex argento donavi, quibus ipsa perquam delectabatur, pueris autem et puellis munuscula puparum fictilium dedimus, qui sursum deorsumque gremia nostra conserpebant. Sammai, qui novam cataphractam induerat, veterem autem Barzillai donaverat, multum nos morabatur, vel duodecies in domum recursans, frivolis causis prætextis, ut verum propositum, amicæ suæ iterum atque iterum valedicendi, celaret, quum demum consilium cepit equum conscendendi, quo

nec ego, nec Hanno equitare vellemus. Hannibal interea iam alium equum conscenderat, suamque equitandi peritiam circum nos discursando ac saltitando ostentabat. Sarcinas nostras quatuor asinis imposuimus; Hanno, duo nautæ, meusque servus, cæteris insidebant, Bichri autem, incessui duriori, utpote montanus, assuetus, exploratoris vice, agmen antecedebat.



CAPUT IV

Rex David.

POSTQVAM agros, segetibus lætos, præteriveramus, in devexa planitie, ubi passim ficeta, luci palmarum, arboretaque staturæ humilioris, quibus Iudæa abundat, interspersa vigebant, comasque umbellarum instar propansas habebant, denique montem per semitam angustam, terebinthis alternatim atque vinetis variantem olivetisque, ascendere cœpimus. Via hæc, umbris delectabilis, nos ad pagum Timnam, in iugo collis sitam perduxit, ubi Sammai nos ad incolam quemdam deduxit, qui nobis, iumentisque nostris, hospitium præbuit. Pagus Timna non exigua est, sed et nullo certo ordine posita; septa enim est caducis muris cum duabus portis, duodenisque turribus rotundis, domus autem unius contignationis sunt singulæ, seiunctæque item sunt, atque hortulis circumdatæ.

Iam hic incredibili multitudine pulicum obrui cœpimus, nimiumque quantum examen, quantaque sanguinis appetentiá nos adoriebantur. Ingentes quoque muscarum turbæ nos insectabantur, atque Hannibal, qui interim suas cataphractas solverat, ut eo efficacius se scalpere posset, non sine iusta causa adnotabat se arbitrari incolas Iudææ Beelzebub[1] Deum muscarum, implorare oportere, ut eos a tanta plaga pestium liberaret.

Postridie prætervecti complura anfractuum prærupta, transscendentesque non pauca collium iuga, regionis cæteroquin sat sedulo cultæ, in conspectum veneramus vallis perquam profundæ, sterilis, atque desertæ.

1. Dominus muscarum; Deus muscarum abactor; n. 53.

In saxis, e quibus et fundus et latera constabant, ossa humana dispersa in sole candicabant. Versus Orientem vertices montium cernebantur, quorum in uno castellum eminebat, valles autem a Meridie eo acclines in iuga conscendere videbantur.

"Ecce Vallis Gigantum!" inquit Bichri, ut baculo, quem manu ferebat, calvariam in terra iacentem convertit.

"Satis bene cognitam habeo," respondet Sammai. "Adolescens solebam Benaiæ esse armiger. Benaia olim e potentissimis viris regis Davidis erat, centurio militum centenûm. Is quodam die leonem in fovea cepit et occidit; alias in pugna singulari gigantem Ægyptium prostravit, atque hac in ipsa valle Rephaim, me sub eo stipendium merente, Philistæos tanta clade affecimus, ut incolæ Asdod ad hunc usque diem nostri vectigales facti fuissent, et usque modo essent."

"Eius rei," addit Hannibal, "ipse adeo ego reminiscor. Philistæi ibi, supra, consistentes, a fronte nostra, munitiones per assultum expugnare conabantur; in declivi, medio circiter colle, rex adortus eos, ad sua præcipitia illos compulit. Acerrimum certamen in valle coortum est; sed internecio cruentissima in ascensu illius iugi, adversum nos, committebatur."

Ulterius progressis nobis Hannibal demonstrabat in superiori valle triginta palos, quibus rex principes Philistæorum alligari iussit; partes ossium usque illic hærere cernebantur.

"Rex noster optimus est;" fari cœpit Sammai; "filius eius Absalom in eum rebellavit, ego tamen in officio erga Davidem regem perseveravi."

"Ego quoque;" inquit Bichri, ac pergit: "tum pugnatum est; in qua pugna ego Othniélem, filium Tzíbá, interfeci: iaculo meo tempora eius uno ictu perfodi; balteus eius e bysso purpureo, quem me gerentem vides, ecce hic est."

Sic procedentibus Sammai, Hannibal atque Bichri, passim, ut quæque res memoratu dignior sese spectantibus offerebat, eventus auscultantibus narraverunt. Quoties vicos atque pagos præteribamus, incolæ animadvertentes nos Phœnices esse, ad nos, munusculis lactis, uvæ passæ, ficorum, vini, aliisque cibariis, confluebant, solliciti tamen sciscitantes, utrum merces haberemus venales. Bichri ubique sedulo explicabat illis nos Hieroso-

lyma iter facere, itaque si merces nostras visere vellent, eo, aut vero Ioppam, ubi naves constitissent, eos proficisci oportere. Subinde pastores, qui in saltubus eximios greges caprarum pascebant, ad nos accesserunt, nos tamen ab illis nihil præstinavimus, præterquam aliquot caseos præclaros, et hos paucis geráis emimus. Hos caseos sub umbra terebinthi edentibus, puellæ gelidam e propinquo fonte aquam nobis ministrarunt, quibus Hanno, in signum grati ob earum humanitatem animi, paucos vitreos ocellos donabat, quibus illæ magnopere delectabantur.

Paullo ante occasum solis diei secundi in conspectum Hierosolymorum, urbis munitissimæ, in fastigio præcipitis collis positæ, pervenimus. Conspectus urbis e longinquo animum miro modo afficit. Loci natura, ubi urbs iacet, editis collibus, et subvexis declivitatibus est iniqua, passim tumulis ac fastigiis interspersa. Muri albicantes, tectaque innumera, quæ inter oliveta, mœnia ambientia sese exserunt, animos viatorum necessariá quadam sui admiratione devincunt.

Viam, qua ex parte torrens Cedron præterfluit transgressi, qui ubi cursum a via deflectit, sese in deserto visui subducit, superavimus etiam ultimum collem olvetis virentem, ultimaque prærupta rupium prætereuntes, mox viam pavitam ascendere cœpimus, quæ ternis equìtibus satis lata patebat. Domus hic utrimque lateritiæ erant, earumque hortuli maceriá argillacea septi erant. Interea nox appropinquabat, atque Sammai, qui prorsum quadrupedaverat (Bichri interea ductoris munus obiens), pro porta amplioris cuiusdam horti nos iam præstolabatur, cuius in medio nitida domus lateritia duarum contignationum stabat. Domus hæc sedes erat Iræ, ministri regis, cuius speciale munus erat legatos exterarum gentium excipere, eorumque indigentiis providere. Quamprimum advenimus, servi prodiverunt, ut iumentis nostris consulerent, nostrasque sarcinas in ædes comportarent. Primum in humile cubiculum ducebamur, ubi aqua ad lavandos pedes allata est. Paullo post ipse Ira nos salutatum, et ad epulas invitatum venit. Nomine meo huic indicato, causáque itineris patefactá, litteras regis Hiram ad regem Davidem ostendi. Has ipse in signum reverentiæ ad caput levavit,

pollicitusque est regem de meo adventu sine se morá certiorem facturum.

Epulis ex ordine peractis, dona mea pro rege Davide apparare cœpi. Ante omnia selegi tuniculam subternam hyacinthinam e sindone Ægyptiaca subtilissima factam; tum tunicam supernam purpuream, a collo et a manicis floribus acupictam, atque ex ora fimbriis argenteis præcinctam. His adieci balteum auro argentoque textum, quem caput leonis pro fibula aurea, cuius oculi e vitreato facti erant. Balteus hic exemplar erat scitissimi operis fabrilis Ægyptiaci, unus e quatuor balteis, quos ab artifice nativo in munusculum præstinaveram in gratificationem regibus quos me hoc itinere convenire oportebat. Tertium denique donum adiunxi argenteum scyphum, cum duabus ansis. Hic in speciem calycis basi nitebatur et scapo, cum ornamentis circum cælatis et auro infusis, in formam florum atque fructuum. Hæc igitur dona cistulæ, e ligno santalino ex Ophir imposui, quæ magna arte intestinaria aurea ac testudinea erat facta. Quum memor essem regem non modo musicá delectari, verum ipsum haud mediocrem esse musicum, insuper exquisivi harpam trium fidium, ex eodem santalino ligno factam, cirris coloratis, itemque aviculá aureá, cum rostro hiante, passisque alis, adornatam. Nullum instrumentum musicum, quod huic par esset, extra Phœnicen reperiri poterat; lignum autem ipsum, [illegible] importatum erat. Harpam au- [illegible] ravi, cui eadem a regina ter- [illegible] um navium, quæ ad navigan- [illegible] rat.

[illegible] Ira edoctum me venisset re- [illegible] factum esse, quumque dona ei [illegible] eram, summá devinciebatur ad- [illegible] eptissima futura, atque regem [illegible] ri.

[illegible] ui servi regii vitulum, panes, [illegible] um ficique, hirneam olivarum, [illegible] Helbon ferentes advenerunt, [illegible] egatum regis Hiram consalu-

"Rex David te, tuosque comites me ad se perducere iussit; fac confestim me sequare."

Cistulam cum donis ferendam duobus nautis meis dedi, cæterosque meos comites ad me accersivi. Hannibal galeam suam atque cataphractam induit; Hanno officii insigne, cornu atramentarium, cingulo appendit, ac sine mora parati eramus. Sammai, perinde ac Bichri, se nobis comites præbuerunt. Hi læto erant animo, præsertim Bichri, qui, tametsi subditus regis Davidis esset, regem nunquam conspexit. Sub itinere hic talia memorabat:

"Rex David erga tribum nostram Beniamin inique egit; sed malum suá in propinquos Saulis humanitate compensavit. Ipse, revera, tribuum gloria est; aspectu eius multum delectabor, nunquam enim eum contuitus sum."

"At, profecto," obtestatur Sammai, "ipsi non erat in animo in tribum Beniamin severius animadvertere; indoli suæ id repugnabat. Perpende, præterea, suum in Iónathán amorem, suum in Míchál, quam uxorem duxerat, affectum, quum tamen Iónathán Míchálque proles Saulis fuissent. Item, memineris, quemadmodum mortem Saulis ultus fuerit. Non est illi in posteros Beniámin iniquus animus."

"Quin rex fortis ille est," subiungit Hannibal, "fortis quoque est bellidux suus, nepos ex sorore Serúia, filius. Is, cum Ióáb una, est miles, famá suá dignus."

Dum hac verbigeratione tempus terimus, iter nostrum inter angustas acclivesque vias facimus, prætereuntes utrimque domos unius, ac duarum contignationum, horticulis cinctas. Incolæ, quum animadverterent nos servorum regis ministerio duci, quippe quos de candidis vestibus, cum purpureis clavis facile cognoverant, undique effluere, nosque salutare cœperunt; quod certo indicio erat, quanta in æstimatione rex a populo haberetur.

Interea transibamus partem urbis, quæ nomen Millo ferebat, et ad canalem pertingebamus, qui cursu versus apertiorem partem regionis tendebat, cui editior locus, nomine Tzijjón, imminebat. Spatium omne inter hunc locum Millonemque, domus regiis sumptibus recens structæ complebant. In mœnibus us-

que videbatur hiatus, ubi rex David, quum urbem a Iebusæis cepisset, murum perfregit. In vertice Tzijjón arx conspicitur, cuius in area interiori regium palatium stat exstructum. Regia ab architectis Tyriis concepta, atque e lapidibus cæsis structa, lignis santalinis interpositis, in medio tholum fert, atque hortis undique circumdata est. Ex utroque latere portæ duæ, columnæque æreæ visuntur. Ad dextrum ab altera harum columnarum parieti innixum solium stat, ubi rex ius dicere consuevit, atque hinc non procul abest patibulum, in quo capitis damnati pœnam dare solent. A tergo sunt horti alii, item ædificia, quæ mulieribus præbent domicilia.

Ira ante porticum regiæ nos præstolabatur, statimque post nostrum ingressum in amplum conclave quadratum nos induxit, admodum lucidum, tapetis, varias species florum aviumque ferentibus contectum. In extremo conclavi suggestus trium graduum e ligno sandalino, sed planus, omninoque expers omnis cælaturæ ornatusque aurei, et ad pedes eius pellis leonis erat strata. A dextro stabat Ióáb, bellidux regius, galeatus, ac loricatus, parumque a tergo armiger cum gladio regis, hasta autem eius parieti innitebatur, aliqui autem regii ministri in gradibus adstabant, ac, denique, ante regem custodes prætorii, quatuor viri robustissimi, fortissimique, strictis gladiis securitati regis consulebant. Rex ipse, vir provectioris ætatis, staturæ mediocris, corpore gracilior, tamen cum omnibus indiciis mobilitatis, atque vigoris, in solio sedebat. Barba eius plana, minime hispida, penitus cana erat, comæ autem, ad morem civium suorum erant concinnatæ. Vestitu utebatur simplici. Nec vitta, nec corona caput eius ornabat; nec armillas in brachiis et carpis, neque digitis manuum pedumque hærere solitos annulos deprehendere poteramus. Vestitus autem erat tunicá candidá, cum purpureo clavo, atque crepidis, more montanorum, calcibus, more regum editioribus. Nihil profecto eum, ratione indumentorum, ab aliis hominibus communibus discernebat; nec quidquam, nisi oculi cæsii, obtutu acutissimo ad homines regendos natum esse prædicabat.

Quum comitatus meus pone me in ordine constitisset, ego me ante solium prostravi; tum, surgere iussus, iunctis brachiis,

coram stans exspectabam dum rex me alloqueretur. Mox me salutando rex fari incepit, percontando, utrum iter nostrum huc prospere cessisset, tum multis verbis de regibus Tyri atque Sidonis, deque eorum subditis sciscitabatur. Responsis meis optime contentus, litteras regis Hiram ad se datas postulat. Papyrum consignatum cuidam ministrorum tradidi, is autem sigillo coram refracto, litteras apertas regi porrexit. Rex datá operá eas attente perlegit, tum ad me conversus, subridens sic me affatur:

"Mago, fili Maherbalis, te coram cernere posse, mihi gaudio est. Qui sunt ii qui te comitantur?"

Rege sic iubente, comites meos singillatim stiti.

Sammai Bichrique inter comites meos conspicatus, rex sic fatur:

"Minores natu meæ gentis peregrinari, libenter video; ita enim fit, ut et fortitudine animi, et sapientiá, et, denique, experientiá, iám se ditent et augeant. Perinde placet militibus tuis Hannibalem, virum peritum præesse; bene eius memini. Nunc autem Iosaphat, tabularius elenchum omnis materiæ parabit, quas a te mihi comparari postulo, quarum præstinandarum curam tuæ fidei discretionique concredo, facultatemque tibi facio, ut quæque curiosa, raraque sub itinere tibi sub oculos ceciderint, et quæ usui fore arbitraberis, pro me compares. Meum vicissim est inquirere, quibus suppetiis profecturus egeas."

Consilia itaque mea regi aperui, velle nimirum me quadraginta ulterius homines, qui usum rei militaris habeant, copiis Sammai addere, item, satis frumenti, vini, oleique, et aliarum suppetiarum, quæ in penu non corrumpantur, victumque nobis præstent, comparare.

"Æqua et iusta postulas," respondet rex. "Ióáb seliget pro te quadraginta homines, qui Sammai Hannibalique obtemperent, ærarius autem meus pecuniam tibi tradet, ut habeas unde eos solvas. Ira te ad armamentarium conducet, ubi suppetias omnes, quibus egeas, obtinere possis, item asinos comparabit, qui onera ad naves devehant. Tuum erit dicere tantum quibus rebus egeas, et eæ tuæ erunt."

Post hæc, coram rege me iterum prostravi in testimonium grati animi, oravique eum, ut munuscula benigne accipere vellet, quæ mihi, ut ad regem deveherem, tradita essent. Ipse magnopere delectari videbatur, seduloque inquirebat originem cuiusque doni, ut quodque illi exhibebatur. His peractis, in cubiculum contiguum ducebamur, ubi vinum nobis erat paratum. Rex oblatum a me cyathum clementer accepit, hausitque. Tum allato post eum solio, in eodem cubiculo illi insedit, et a me diligenter sciscitabatur de diversis regnis gentibusque quas visissem. Curiositas eius responsis meis etiam aucta est; nam, inter alia, quærebat etiam, utrum in partibus occiduis asini quoque ac pavones reperirentur. Respondens certiorem eum feci hæc animalia ab Ophir importari solita, itemque, indulgente eo, futurum esse, ut illam regionem redux visitem.

"Impavidus tu, profecto, vir es," inquit rex, "iam consilium alterius itineris tecum volvitas, antequam prius absolvisses. Miror tuam fortitudinem, fateorque regem Hiram sapienter statuisse, quum te huic cœpto præstituisset. Nunc lubebit tibi locum ostendere, ubi mihi in votis est templum condere.

Sic fatus, gressu alacri, prorsusque iuvenili, rex nos e palatio in tumulum, ubi area trituratoria patebat, eduxit. Nomen collis erat Moria.[1]

"Hanc aream trituratoriam," inquit rex, "modo præstinavi ab Arauna, Iebusæo, item aliquot boves, quinquaginta siclis argenteis. Meo quidem arbitratu locus æque idoneus est pro templo ac pro castello."

Hanno adnotabat: "Memoratum audivi regem plura castella expugnasse quam exstruxisse; itemque suum gladium optimum esse suæ gentis præsidium."

"Adularis, scriba," respondit rex leni risu, "verumtamen et ego in ea sententia sum, securius præsidium situm esse in cordibus intrepidis, quam in cumulis lapidum."

"Equidem minime adulor, rex clementissime," respondet scriba, "nec nisi animi regii sum interpres. Felicem arbitror gentem, cuius fiducia securitasque in rege positæ sunt."

1. Nomen collis, ubi rex Salomon templum condidit; n. 54.

"Si idgenus sermone uteris adversus mulierculas," iocabundus respondet rex, "futurum est ut filiam alicuius principis ducas."

Hanno erubuit; rex autem risit, et, ad me conversus, dixit me scriba uti præclaro.

"A, rex," inquit Hanno, "regiones petimus, ubi eloquentiæ nullus est usus. Venti, fluctusque Magni Maris leni dulcique sermoni Canáan non præbent aures. Barbari regionum occidentalium linguam asperioris generis exigunt. Assentationibus duri Tartessenses non moventur."

Rex, sine dubitatione, Hannone multum delectabatur, dixitque illi gratum sibi futurum, si litteris mandata sibi afferret, quidquid sub itinere memoratu digna videret; interrogabat præterea ab eo utrum aliud quid ab eo litteris conditum fuisset, secumque haberet. Hanno protinus exprompsit volvellum papyri, carminibus ad virginem quamdam inscriptum, illudque regi porrexit. Postquam rex, ipse poeta primi ordinis, versus dulcisonos admiratus esset, scripturæque pulchritudinem collaudasset, quædam suorum carminum Hannoni donavit.

"Est alterum genus poeseos,"[1] inquit Hanno, "styli severioris, quod rex in valle Raphaim, aliisque haud paucis campis dimicando scripsit; vereor ut illud nobis dare possit."

Hoc audito rex ictu oculi tollit gladium ab armigero, et "Hic," inquit, "penna est, quæ ea scripserat: accipe eam; forte potestate donabit te, ut id genus versus pangas, quales ego in Valle Gigantum in Deum meum scripsi."

Iam tempus interea instabat quum benigno generosoque regi ultimum vale diceremus. Itaque, secutus Iram, in armamentarium profectus sum, Hannibal autem, atque Sammai et Bichri Iōáb comitabantur.

Summum promptuarium longum ædificium lateritium erat, ad quod aditus per tramitem pavitum, utrimque sycaminis consitum patebat; erat autem more Phœnicum exstructum super dividiculam, cui ex utraque parte regia stabula, rhedarumque subgrundia adiacebant, ultra hæc autem pascua erant pro regio pecore. Hanno conscripsit elenchum commeatús procurandi,

1. Genitivus Græcus singularis.

transcriptum cuius regi tradebatur. Poscebamus centum modios frumenti, quinquaginta congios olei, quinquaginta urnas vini, dena centupondia cassei, fici, uvæ passæ, ac, denique, bina millia siclorum pro carne salsa, et arida, quibus, pro rata parte, addenda erant sal, fabæ, lentes atque dactyli. Ira autem suscepit munus muliones asinosque comparandi, ut postridie omnis commeatus ad naves convehi posset.

Rex David famá munificentiæ clarebat. Pervenientes ad domum Iræ, plures servos regios, qui nos antecesserant, ibi reperimus, pro singulis nostrum dona ferentes. Pro me quidem scutum, lanceam atque pugionem, securimque militarem Ægyptiacam tulerunt; pro Hannibale clavam Chaldaica arte factam; pro Bichri arcum, pharetram atque cingulum sagittarium; pro Hannone, denique, alterum gladium, præter eum, quem iam acceperat.

Sub vesperum Hannibal reversus nuntiabat numerum suorum militum se explevisse; venit Iosaphat quoque cum litteris regis, quæ mandata principis ultima mihi denuntiarunt.

Postridie mane, quum surgerem, reperiebam domum circa, totumque vicum, asinis oneratis, eorumque mulionibus pæne conferctum, qui commeatum nostrum baiulabant; nec proinde quidquam supererat, nisi ut hospiti nostro valediceremus. Itaque, phialas odorum illi in munuscula pro uxoribus tradidi, nec ultra morati, iter versus Ioppam retrorsum ingressi sumus.

Iter hoc nullo eventu fiebat memorabile. Bichri quandoque exempla nobis suæ iaculandi peritiæ, perdices novo arcu iaculando, exhibebat, quum eas, aliasque aves, inter volandum peteret; interea Hanno (gladio, more Iudæorum, intra cingulum condito), se facetum, lætumque præbebat, tædium itineris canticis iucundis discutere conatus.

"Nemo est," sæpius ipse repetebat, "quin regem Davidem loco vatis habeat; quum autem ego gladium Davidis possideam, recte mihi autumare videor, quum orbem terrarum me subigere posse putem."

"At vero," dico ego contra, "liceat mihi sperare tibi regem Pharaonem interficere in votis non esse;" mirá enim eius bellandi cupiditate non parum eram perculsus.

"Va!" clamat ille, "Domina mea Astarte, regina cœli mariumque est. Ipsi licebit tam Pharaonem, quam Bodmilcarem derisui habere."

Tum Bichri, perdicem afferens, quam modo deiecerat, nos interpellabat: "Poterisne, ó Navarche, mihi dicere, utrum Tartessus vitis ferax sit?"

"Pro summo colonorum Phœnicum incommodo," respondi illi, "nullæ omnino ibi vites nascuntur."

"Fieri itaque poterit," pergit ille, "quoniam ego aliquot taleas mecum attuli, ut inde haud parum commodi percepturi sint. Cœlum nimirum Tartessiorum haud minus calidum est quam nostrum; atque sic quis facile augurabitur, utrum ipsi mox non æque generosa vina procreaturi sint atque ipsi nos?"

"Eximium cœptum tuum est, sagittarie!" respondi illi, "optoque e corde, ut propositum e sententia cedat."

Turris Ioppæ, malique navium nostrarum, in dissito horizonte vix nobis in conspectum venerant, quum e longinquo Abigail versus nos appropinquare conspicabamur. Quum in eum locum pervenimus, Sammai ex equo desiliens, eam amplexu ardenti excepit.

Postquam interrogavi ab adveniente 'quid novi' esset, intellexique ab ea cuncta salva et incolumia vigere, amatoribus per se relictis, sine mora in littus ire contendi. Primus qui mihi obviam factus erat Barzillai fuit, qui me certiorem fecit spadonem, ex quo ego discesseram, in pago non fuisse, nec quemquam virginem Ionicam convenire tentasse. Mox post Hamilcar, cæterique cum Bodmilcare unà, me salutatum venerunt; atque simul statuimus suppetias modo allatas in naves comportare. De tyronibus statui, ut omnes in gaulo meo disponerentur; et sic integravi numerum ducentorum et decem hominum, quorum quinquaginta erant remiges, septuaginta nautæ, octuaginta milites, denique decem officiales erant.

Dum muliones, collatá cum meis operá, asinis exonerandis vacabant, quidam eorum, homo insuetæ magnitudinis ac roboris, propius accessit, brachia oscillans, me intuebatur. Figura atque statura plane erant insolitæ: collum, veluti vacerra, inter humeros demersum videbatur taurino simile, longa cæsaries vil-

losa ex capite undique pendebat, quæ cum demissa barba vultum pæne ad oculos usque operiebat, et cum comis miscebatur.

"Mene vis?" interrogo eum.

Voce stentoriá reclamat: "Ionas[1] sum, e pago Eltecé, tribús Dan."

"Ecquid id attinet?" quæro ex eo.

"Tecum proficisci volo," clamat ille, "eò ubi feræ vivunt velim migrare."

"Quid ita? Quid faceres si eò pervenires?"

"Eò proficisci volo;" instat ille.

"At tu nullius rei es gnarus: quid te nobiscum ferremus?"

"Volo proficisci!" usque perstat.

Inops consilii, sciscitor ab eo, utrumne quidquam, quod nobis in navibus usui esse posset, præstare sciret.

"Fortis sum," respondet, "prosapia Samsonis; par sum ferendo in humeris bovem; scio et tubá canere," quibus dictis, pectus vehementer pulsat.

Hannibal, qui interea hominem oculis peritis scrutabatur, hæc adnotat: "Mihi non videtur nos cataphractam huic lurconi idoneam reperire posse; non tamen ineptus tubicen esse existimandus est." Tum ad eum conversus: "Vide sis, vir bone," inquit illi, "tubicinem iam habeo bonum; sed Navarcho Magone indulgente, certamen instituam tubicinum, ut comperiam, uter vestrum tubicinii peritior habendus sit."

E mea parte utique nihil obstabat; proinde tubicen Hannibalis in medium arcessebatur. Itaque e promptuario ingens tuba deprompta, traditaque Ionæ est, sicque tubicines rivales, curiosa turbá circumstante, sibi sistuntur.

"Macti, igitur, tubicines," sic fatur Hannibal, "e sententia canite! quis alterum virtute superet!"

Uterque ergo tollit tubam suam in sublime, aptat ad labia, simulque clarum acutumque edit clangorem, qui usu crescente animo ut inflantibus colla buccæque tumescebant, acrior atque vehementior esse cœpit. Post satis longum temporis spatium

1. Nomen viri; n. 55.

quo neuter alteri cedere videbatur, tandem oculi tubicinis Hannibalis ex imis radicibus prorumpere, viresque eius labascere; at Ionas, tametsi venæ eius in crassitudinem digiti tumescerent in collo, usque sonitum edebat, qui tantum quod auditorum aures non rumpebant, qui quidem sonitus etiam acrior eo videbatur, quo tuba rivalis sui sensim plus languescebat. Tandem, post circiter quadrantem horæ, ultimo edito modulamine querulo, classicus Hannibalis, elinguis, spiritûsque orbus, corruit, in proximo lapide prostratus. Ionas, nullo indicio fatigii aut discriminis, loco suo stabat, alterá manu coxæ innitente, alterá tubam in sublime efferente, in signum triumphi modulabatur.

"Satis! Satis!" universi clamavimus.

"Efferto amplissimam quam habemus tunicam coccineam!" imperat Hannibal; "bucco ille diei victoriam reportavit."

"Possumne ergo proficisci?" quærit Ionas.

Hannibal docuit eum facultatem a me ad id concessam esse, eumque coccineam tunicam induere iussit, quæ quidem in singulis neminibus inter induendum discindi videbantur. Interim Himilco eum circuire, veluti oculis eum dimetiretur, cœpit consilii non parum inops.

"Interius hunc nebulonem videre malim," inquit ille, "id-genus pulmones ego certe nunquam vidi."

"Sitio!" nunc vagit novus hic gigas.

Cyathus vini illi offerebatur, quem ille protinus siccavit.

"Haustumne hoc vocabis?" quæritat ille, "tantundem pupillis meis minimis darem; annon potero ex urceo vel ex urna potare?"

Himilco cyathum iterum implevit, porrexitque Ionæ. Ipse mirabundus, propeque terrore perculsus, secum mutiebat: "Balatro prorsus singularis; certe hunc non vili alemus."

Cunctis mercibus nostris comportatis et in navibus dispositis, Barzillai nostro, uxorique ultimum vale diximus, Ionica animo multum commota. Milchæ, quæ eam summá, quá par erat, hospitalitate affecerat, valedixit. Abigail ultima littus reliquit, oculos in littore montibusque paterni soli diu, multoque affectu, pascens et circumferens.

Alto potiti, Promontorium Pelusium, quod a planitie circum per lucos palmetorum facile discerni poterat, vesperi diei insecuti superavimus. Mare satis tempestuosum haud paucis vectorum, náuseá plerumque illatá, magno erat incommodo. Postridie, circa meridiem, in conspectum veneramus aquæ turbidæ, ex quo intelligebamus nos prope ostia Nili, cuius effusio hæc erat, versari.



CAPUT V

Pharao Sero Advenit.

HAVD ita multo post in eam partem ostii Nili vergebamur, quæ Tanaitica appellatur, secundum quod ostium e longinquo obelisci urbis Tanis cernebantur. Sedimenta, quæ flumen ipsum secum verrit, item vis venti fluctuumque, quá promontoria afficiuntur, iunctim eo tendere videntur, ut hunc Nili fluxum obruant et impediant. Itaque, quum *Cabiri*, quæ præmittebatur ad vada cognoscenda, reverteretur et nuntiaret aquam ad alvam navigationem *Melcarth* haud concedere, consilium cepi, ulterius, usque ad ostium Medecium navigandi, utpote quod longe amplius est, quodque, præterea, rectà Memphin ducebat. Quum tamen nunc iam nox immineret, nec in tenebris cum fluctibus in contrarium currentibus congredi consultum putarem, satis mihi videbatur intra arcûs iactum a littore anchoras iacere, ibique pernoctare.

Interim Hazael ad me accessit, petivitque ut sibi noctem cum amico exigere liceret. Mihi quidem quodammodo et ipsa natura ac modus ratioque humilis petendi insolita videbantur. Tamen, quum compertum haberem Ionicam in sua casteria, Abigail autem cum Sammai in stega morari, facultatem dandam censui.

Quum apud gentem peregrinam versaremur, quacum hactenus nulla nobis fuisset consuetudo, enixa cautelá usus, Hannibalem excubias duplicare iussi, atque singulari diligentiá vigilare. Naves interim nostras hoc ordine collocari curavi; a dextro ad extremam Meridiem *Cabiri* consistebat; *Astarte* ad

pilam quamdam, ad spatium dimidii iactûs arcûs retro destinabatur; *Melcarth*, atque *Dagon* in adversa ripa consistebant, ubi aqua altior erat. Minorum barcarum una apud me, altera apud *Melcarth* continebatur.

Sursum, secundum ripam fluminis, plures naves Ægyptiacæ in anchoris stabant, aliæ autem haud paucæ erant in siccum subductæ. Mirum mihi videbatur, quare eo loco, ubi anchoratio non esset, tantæ constitissent; paullo tamen post comperiebar Pharaonem classiculam coegisse, quá mox ad rebellionem, quæ Pelusii[1] eruperat, opprimendam discessurum. Duo regii officiales cum manipulo militum, partim securibus armatorum, iam navim meam conscendebant ad cognoscendum qui nos essemus, quidque hic vellemus; mea tamen explicatione contenti, dicesserunt. Ubi umbræ noctis augeri cœperunt, lumina duarum actuariarum circinantium in alveo fluminis apertiori conspiciebantur, quum subito alius præfectus ad nos accessit, nostraque lumina exstingui iussit; quod protinus factum est.

Nox summo calore æstuabat; urensque auster, arenis deserti onustus, veluti per ructus impetuque flans, nullum sublevamen afferebat. Cœlum erat nubilum, ideoque nox, quamquam non caliginosa, opaca tamen adeo erat, ut præter ignes, quorum lucificæ flammæ e castris, in adversa ripa positis, nihil prorsus cernebatur. E longinquo, in ripa utraque, subinde incerta lumina pagorum percipiebantur. Prope ante nos, faculæ duarum actuariarum, ut iam memoravi, usque micabant; sed præter hæc, si demas raras emicationes quarumdam navium, casu prætereuntium, totam regionem undique tenebræ operiebant.

Circa mediam noctem, post horas quinas aut senas ex quo anchoras ieceramus, munus vigilandi Himilconi concredidi, ipse quietem petens. Ut versus camam itabam, oculos ad dextram ripam converti, atque in opaco minus clare aliquot navigia ibi animadverti; cæteroquin silentium cuncta tenebat, sicque in subternum descendi.

Vix dimidiam horam dormiebam, quum Himilco me propere suscitat, me acclamans:

"Soluti flutamus!"

1. Nomen loci.

Extemplo in pedes consilio, et ad retinacula proruo. Ea præcisa reperio.

"In stegam! Lumina! Accendite lucernas!" clamavi omnibus viribus; eodemque tempore animadverto lumina ad lævum, audioque vocem a longinquo clamantem: 'Ad *Astarten!*' 'Retinacula nostra scissa sunt, et fluitamus!' Reclamavi ad eos, iussique illos ad nos accedere; satis enim certum erat alteram quoque navim nostram idem ac nos fatum sortitam esse.

Interim omnes manus in stegam concurrunt, signa accenduntur; remiges se ad transtra recipiunt, navemque, ut iussi erant, leni motu retro agunt, ac dum cæteræ naves adventent, in eo motu continent. A tergo, ad quaternos circiter iactus sagittæ, animadverto *Cabiros*, lumina extollentem, vocesque nautarum satis clare excepi. Eodem momento temporis remorum ictus *Dagonis*, ad latus nostrum appropinquantis, exauditur. Acclamo Hasdrubalem in stega stantem:

"Ubinam est *Melcarth?*"

Quum nullum proprium responsum accepissem, naves tres ad lævam ripam procedere iussi. *Dagon* flumen rectà transit; secutus ego sum oblique; *Cabiri* autem præcedens, parum ad austrum tendebat, mox ad Septemtriones revertitur, et quam poterat proxime ad ripam.

Dum nos transversum vehimur, Hannibal omnes suos arma capere iubet, quoniam sollicitudo nos incessit, quod quum nos tantopere agitemur, Ægyptii nec videri usquam, nec audiri possent; lumina enim eorum exstincta erant, circitorum autem nullum vestigium. *Cabiri* interea ad nos redivit, nec se quidquam vidisse mihi significavit. Ac ne tum quidem ullum cerni poterat navium Ægyptiacarum vestigium quum vel bina stadia in flumine descenderamus; nec antea quam in auditum ruentium in ostio fluminis aquarum pervenissemus, quum prope illideremur atræ cuidam moli, quæ in tenebris nobis imminebat.

"Retro ad vestras stationes, Phœnices! flumen noctu non relinquetis!" vox nos lingua Ægyptiaca acclamat.

"Nec nobis in animo est," respondeo illi, "ut tamquam fu-

res aufugiamus. Verum oris scissis naves nostræ abreptæ flutant, una autem omnino disparuit."

"Tum novas quærite stationes," responsum est, "ad mane usque expectabitis. Iussu Pharaonis, hac nocte discedere non poteritis."

Nihil supererat, nisi ut obsequamur. Missis itaque nautis in scapha ad ripam, aliam stationem quæsitum, qui et locum idoneum repererunt, quo deinde appulimus. Vix tamen in iis locis constiteramus, quum vox e medio flumine, linguá Phœniciá ad aures nostras pervenit: "Subveni! Subveni!"

Scapham itaque ad eum locum, unde vox audiebatur, submittimus; vox tamen propius accessit; paucis vero momentis post, scapha iuxta nos adstitit, et unus meorum nautarum, aqua madens, in stegam *Astartes* sublevatur. Is aspectu miserabilis erat: in capite plura vulnera hiabant, totusque vultus cruore erat perfusus.

"Proditi sumus! Bodmilcar nos prodidit!" gemebat miser, nec præterea quidquam efferre valebat, nam viribus exhaustus, titubans corruit, omnino præter se, ac semimortuus. Hominem prostratum, allato stragulo, recondi iussi, dum Abigail vultum eius lavabat, unguentoque perfricabat, Himilco autem admoto ad labia cyatho vini, eum recreare satagebat. E verbis hominis equidem satis intellexi quare mihi magnopere cavendum esset, et ob eam rem lumina exstinxi, unamque lucernam et unam faculam in singulis navibus contineri satis habui, excubiis autem singularem diligentiam demandavi.

Interea misellus ille ad se rediit, atque Hanno, Hannibal, Himilco, Sammai, necnon ego, eum circumstetimus, ut siquid enuntiaret, exciperemus. Unus nautarum caput eius levabat et suffulciebat, ut quo facilius eloqui posset. Abigail autem atque Ionica in genibus viro unguentis adstabant.

"Hac vesperá," incipit nauta saucius narrare, "amicum quemdam visum ad *Melcarth* accessi. Ut vobis notum est, cuncti fere nautæ ibi Tyrii sunt. Bodmilcar cum pæne omnibus egit. Ipse secreto cum duce Pharaonis collocutus, vos omnes speculatores, et cum rebellibus fœdere iunctos asserebat, qui

Pelusii tumultuari cœpissent. Asseruit, præterea, vos in navi etiam mancipium celare, quod ipse Pharaoni tulisset, quodque ad vos perfugisset. Sui me quoque hortabantur ut me suæ coniurationis participem facerem, quod quum ego me facturum negassem, in me omnes, necem minati, impetum fecerunt. Ego pedem retraxi, meque in flumen præcipitem dedi. Ibi scapha Ægytiaca me insectabatur. Bis mihi ictu remi caput ferierunt. Aquæ me submergendo certam mortem evitavi, nam ipsi, sine dubitatione, inde me iam mersum colligebant, nam ab insectando destiterunt. Edictum igitur est, ut prostridie omnes caperemur. Cras, itaque, nos adorientur, ut ad Pharaonem captos deferant. Plus quod dicam habeo nihil."

Quum ad hæc narranda nimiá virium contentione uteretur, misellus nauta, artubus solutus intermortuus est. At ego, auditis commotus, ad regias litteras confugere volebam, atque nullá morá eas quæsitum processi, sed stupens, et attonitus reperi eas mihi furto ereptas esse, quod me Hierosolymis versanti evenisse verosimile est. Omnes terrore eramus perculsi. Primus Hanno cœpit loqui:

"Omnis hæc res," inquit, "plane est perspicua. Fur Bodmilcar est. Ut compertum habetis, Hazael annulum regis signatorium habet. Furciferi hi litteras aperuerunt, sensum immutarunt, deinde, signaculo regis iterum sigillarunt. Bodmilcar eas sumpsit, regique submisit, se præfectum huius expeditionis simulans, nosque proditionis accusavit. Fides illi habetur. Quid vero inde secuturum sit? Fato certius futurum esse scio ut capiamur. Abigail autem, utique, ad Pharaonem mittetur."

"Non usque eo," interclamat Sammai, "dum ego gladium ad eam tuendam habuero."

"Sic, profecto!" firmá voce ait Hanno; "Abigail sine dubitatione Pharaoni tradetur, Chryseis autem venusta, Bodmilcari, in præmium, ob suam fidem et constantiam, donabitur."

Hanno gemitum edidit, Hannibal autem mystaces irritatus orsitabat.

"Haudquaquam dubito, Hanno," interloquor ego, "quin cuncta quæ præsagis, eventura sint. Tamen nunc ante tempus

esset desperare. At vero tu apud nos, veteres nautas, fortasse non satis diu versatus es, ut cantilenam nautarum de Ægyptiis discere potuisses."

Quamobrem ego sibilare cœpi cantilenam, Himilco autem læto risu sic canere cœpit:

> "*Gentem bucephalam mira arte eniti necesse est,*
> *Antea ut capiant, quem plectere morte minentur.*"

Omnium animi protinus conversi sunt. Præ gaudio omnes mei amplexibus me prope enecuerunt. Hanno genua, alterumque brachium amplectebatur; Abigail alteram manum prehendit et deosculabatur; Hannibal ex uno latere cataphractam meam vellicabat; Sammai ex altero idem faciebat. Iam non procul aberam quin ab iis suffocarer. Ionica, quæ mea verba etiam satis intelligebat, suas gratias oculorum nictu significabat.

Ut primum amplexus meorum eluctari poteram, ostendi illis in longinquo opacum cumulum Ægyptiacarum navium, quæ in diluculo vix cerni poterant.

"Si quinis-senis non plures essent illæ testæ dulcium aquarum," inquam, "nostræ tres naves viam illis ad fundum Nili cito ostenderent; at nunc tanta earum turba est! Præterea, illis armatæ copiæ in ripa præsto sunt, nec flumen ad eos effugiendos satis latum est; Bodmilcar quoque suá operá iis aderit, qui pontivagus veteranus est, et quamvis sua navis ad certamen instructa non sit, ipsa Tyriis instructa est. Quidquid tamen sit, cedendum non est. Duremus paulisper. Cæterum mihi confidite!"

"Tui sumus!" ait Hanno, "ad mortem usque!" Hannibal dentibus pressis mutiebat vindictam, si quis mandatis defuturus esset. Sammai amplexu tenebat Abigail, vovens caput cum spoliis cuiuscunque, qui cum eo congressus fuisset, ei allaturum, si ipse adeo Pharao is esse contigisset.

Sub idem tempus Hamilcar et Hasdrubal, hic cum suo gubernatore Giscone, ad mandata mea accipienda accesserunt.

"Tyrio illi," fatur Hamilcar, "nunquam fidem habui; mihi

ergo perquam placebit rem cum eo potius gladio dirimere; idem et nautæ mei sentiunt."

"Ha, ha! Himilco," ridebat Gisco inauritus, "iam licebit diversari!"

"Sic, Me Dius Fidius, ó te vetusculum Celtam," regerit in eum Himilco, "docebimus scordalos natare."

Manibus trium virorum prehensis, gratias ob fidem eorum dedi, dein ipsi ad naves reverterunt. Multo iam die, oculos in flumine circumferens, situm navium hostilium deprehendi. Infra, secundo flumine, conspicabar Ægyptiorum triremes in itinere positas. E regione nobis, a lævo, circiter quadraginta lintres, cum quaternis remigibus, quinisque militibus erant congregatæ, a dextra autem ripa circiter centum sagittarii properantes videbantur. Adversum flumen prospectans circa duo stadia, senas triremes animadverti; duas onerarias, cum suspensis stegis, vidi sub velis, ad lævam ripam, secundo flumine ferri; medio autem flumine, cum celsis lateribus, editá prorá, agnovi *Melcarth*, ut retractis remis, velisque convolutis, ab helciariis monoremis trahebatur. Castra, quorum ignes in tenebris videbamus, nimium aberant, quominus interdiu sub oculis caderent. Ripæ undique humiles erant, sine arboribus, sed agri, trifoliis consiti, item segetibus pro messi prope maturis læti circum patebant. In ripa læva, intra iactum sagittæ, agger erat satis arduus, cuius in summo via ducebat, ut contra eluviones annuas tuta esset. E longinquo albi muri urbis, ad Meridiem, cernebantur; ad Aquilonem gilvo-albidæ aquæ, aggerem fluminis transcendentes, et cum glauco æquore miscentes, videbantur.

Ab ostio fluminis vix stadia sena aberamus. Tam Eurus, quam fluctus nobis favebant, ita ut, si semel alto potiri nobis datum esset, nihil nobis verendum erat. Consilium itaque cepi Ægyptios adoriendi, priusquam *Melcarth* nos antevertere posset, quod sciebam admodum difficile fore, iam propter ingentem eius molem, eam evitare, si nobis præcurrere posset, unde etiam telis nos facile obrueret, quin propter celsitudinem laterum non modo nostri eam invadere nequirent, sed ipsi nos sine negotio invadere et opprimere possent.

Primum itaque meum stratagema erat, solvere retinacula,

meque in medium fluminis cursum collocare, ita ut extra ictum sagittarum a ripa essem. *Dagon* proram ad Aquilonem convertit, ac dimidium iactum sagittæ infra me iacebat, *Cabiri* vero a lævo mihi, cum prora ad Austrum. Vela cuncta convoluta erant, remiges autem aquam tenerrime verrere iussi erant, ut naves nihil nisi in loco continerent, et quisque viæ dux iuxta gubernatorem paratus adstabat. Hannibal sagittarios suos a fronte, et a postico instruxit, milites autem circum malos collocavit. Ego et Hanno proram scandimus, insequente classico. Herculeus Ionas apud Hannibalem mansit. Ei persuaderi non poterat, ut seu loricam indueret, seu hastam caperet, sed cum tuba in manu observabat, ut nos ad certamen nosmet parabamus.

Iam scorpiones iaculis erant oneratæ, et in singulis navibus plures testæ erant cum sulphure piceque ad succendendum paratæ. Fecimus etiam pro re nata rates flammiferas e tabulis, quibus clavos trabales impuleramus, his autem pelles caprinæ pinguedine illitæ ad facile incendendum alligatæ erant.

Diu nobis exspectandum non erat. Paullo enim post acuti soni tubarum Ægyptiorum clangere audiebantur, navesque militibus scatere cœperunt. Satis clare poteram fuscos et imberbes vultus Ægyptiorum militum discernere, itemque eos securibus esse armatos, triangulariaque scuta gerentes. Cernere etiam poteram sagittarios, nudis cruribus, e cingulis pugiones penedentes, ut iuxta navium latera dispositi stabant. Remiges plus quam seminudi erant, nam præter amiculum circum lumbos, plane nullum vestimentum gerebant, atque remos suos, secundum morem gentis, stantes agebant. Super constratum *Melcarth* Bodmilcar facile discerni poterat; cuidam officiali Ægyptiaco, admodum agitatus, negotiisque intentus, aliquid explicare videbatur. Hic, viridi indutus, ingenti corymbo, vultu, brachiisque minio tinctis, secundum morem hominis eius dignitatis.

Milites scaphas stipantes haud aliter quam remiges erant induti, in cingulis pugiones gerentes, armati vero erant securibus atque iaculis, utroque extremo præacutis, quibus Ægyptii mira dexteritate uti cognoscebantur. Quamquam omnes naves

militesque magnopere agitari videbantur, neutri accedere tentabant, sed universi expectatione quadam teneri parebant.

Res mox palam fuit. Linter maiuscula e cætera multitudine se explicare videbatur, ac secundo flumine ad nos tendere. Remiges octo in editiori prora, ac versum puppim stantes, navim impellebant, et duodeni milites, quadratis cataphractis æreis in pectore, armati lanceis, pugionibus, atque acinacibus, stabant in medio, inter quos regius quidam minister altioris ordinis stabat. Is duplici tunica erat indutus, in pectore altera alteram obvolvens, utraque e reticulato lineato, cingulo vitreatis lamellis ornato cinctus, e collo autem figura aurea ac vitreata pendebat, cum alis passis, catená aureá avis suspensa. Operculum capitis celsa tiara erat, cum vitreata lamella, nomine Pharaonis, litteris hieroglyphicis inscripta. Barba eius telá rubrá complexa erat, manu autem securim militarem auratam librabat, cuius manubrium intestino opere animalium symbolorumque aliorum speciem ferenti, erat exquisite ornatum. Ad unum latus hius viri tam laute ornati, sacerdos, vel scriba stabat presse tonsus, omnino candidatus, qui manu atramentarium, voluminaque papyri ferebat; ex altero autem latere, Syriacis loricis indutus, vetus noster amicus, Hazael, adstabat. Non poteram lenem risum cohibere, quum in navi cumulum catenarum compedumque conspiciebam.

Audito clamore officialis regii, quo significabat se mecum colloqui velle, facultatem ei feci, ut navim suam ad latus *Astartes* appelleret. Ille, comitante scriba, quinisque militibus, non sine arrogantia conscendebat. Hazael, satis providus, loco, quo stabat, mansit. Ipse, magnatem regium cum omni honoris officio excepi, ac secundum morem regni eum consalutavi; at ille hæc omnia non modo flocci fecit, verum omni proterviá ac procacitate in hunc modum nos verbis lacessere cœpit:

"Ad genua, ad genua, vos fures Phœnicii, et misericordiam Pharaonis flagitate!"

Quum intellexissem hunc esse tenorem verborum eius, austero modo illi respondi:

"Fures non sumus, nullam Pharaoni iniuriam intulimus;

quin tantum abest ut Pharaonis misericordia a nobis efflagitanda sit, ut eius tutelam mereamur."

"Apage sis ista mendacia!" clamat furens Ægyptius. "Numquid non ipsá hac nocte effugere tentavistis?"

"Non!" regero acrius; retinacula nobis per fraudem abscissa erant. Veri fures apud vos sunt. Sycophanta ille Bodmilcar, isteque spado scordalus, surreptis a me regiis litteris, eas ad te detulere."

"Tace!" furioso impetu clamat Ægyptius, "doli vestri nobis luce clarius constant. Protende manus! compedes parati sunt, et tu, atque mancipium, quod Pharaoni ereptum erat, ad Pharaonem procedetis. Noli dubitare quin æqua vobis iustitia fiat."

Iam scriba atramentarium calamosque apparare cœpit, ut nostra nomina litteris consignaret, quum ego, mei plane impos, in cachinnum erupi:

"Num tu nos insanire arbitraris?" eum inclamo, "Tune, Hercle, existimas futurum, ut nos naves nostras deseramus, teque comitemur, ut elenchum mendaciorum in nos effictorum auscultemus? Non, per omnes Deos Deasque faciemus, sed ubi sumus, perseverabimus!"

Ægyptius furore tripudiabat. "Fures! Patibula! Furciferi!" vociferabatur delectus regius, "quisque vestrum tormentis morietur!"

Dum hæc apud nos geruntur, sollicito animo oculos ad classiculam supra nos, adverso flumine, converto; quum autem viderem eam iam in motum actam, omnino posthabito tripudio furentis ministri regii, tubicinem meum "ad arma" canere iussi. Ægyptius, hoc audito, insequente scriba, ad suam lintrem pedes retrahere cœpit, milites autem sui, ad tuendum eius regressum, hastas per transversum pone eum iunxerunt. Sammai, Hannibal atque Hanno hunc militum motum in malam partem interpretati, quasi impetum in me ab iis intentari, destrictis gladiis eos adoriuntur, atque Herculeus Ionas, missá tubá, in medium irruit tumultum, extortáque hastá e manu unius militis, humeris eum prehendit, caputque eius semel iterumque cancellis navis llidit. Ægyptii vulgo creduntur genus durioris capitis, fateri

tamen cogor calvariam huius miselli instar melonis ruptam esse.

Interea Hannibal alterum militem iugulat, Sammai autem tertium gladio perfodit; ego vero conabar lanceam quarti e manibus extorquere, quum numero meorum perterritus, conversus, exemplumque secutus unius sodalis superstitis, se in flumen præcipitem dedit, ac more ranæ navit. At salutem reperire non tam vili stabat; nam Bichri, qui prope cancellos morabatur, alterum eorum sagittá percussit, alterum vero remiges ita remo percusserunt, ut intermoreretur, mersusque esset. Sic his quinque deletis, veri certaminis initium tantum fecimus.

Simul atque Ægyptii tumultum fieri animadverterant, a recta ripa triremis solvitur, magnoque impetu in nos fertur, totumque examen navicularum conglobatum sagittarum imbrem in nos pluere cœpit, ita tamen, ut sagittæ partim lateribus navis inciderent, partim vero innocuæ supra caput evolarent.

Ictu oculi facile perspiciebam consilia hostium. Ut prævideram, navim *Melcarth*, secundo flumine, ad rectum vectabant eo manifesto proposito ut præterire tentantes nos, eá nobis obiectá, ab effugio prohiberent. Primum itaque, ut vera consilia celarent, utque nos deciperent, et animum nostrum averterent, duas maiores na ves versus nos impulerunt, atque classiculam lintrium ad nos agebant, ut imbre sagittarum nos impeterent. Iussu meo Hannibal sine mora catapultas apparavit, et mox magnam copiam lapidum, testarumque, pice ac sulphure plenarum, transversum *Cabiros* in venientes naves iaculari cœpit. Tunc *Cabiros* atque *Dagonem* a dextro et lævo in contrarias partes moveri iussi: *Cabiros* quidem ad Aquilonem versus actuarias viam nostram obruentes; *Dagonem* vero in triremem, quæ *Melcarth* vectabat.Bodmilcarem in prora magnæ onerariæ satis clare cernere poteram, ut Ægyptios perniciem suam docere gestiebat, hortarique remiges, ut remos aquis mergerent; at ea iam erant sero. Motus nostri ipsis inopinati erant. *Dagon* enim impetu in examen obsistentium navium celeriter et expedite facto, eas partim obtrivit, partim autem evertit et depressit, viamque sibi exaravit, *Astarte* autem, discessu *Cabirorum* spatium nacta, naves, quæ nos præterire tentabant, commode cohibuit; denique *Cabiri*, missis rati-

bus igniferis, quæ secundo flumine prorsum vergentes, duas triremes, quæ ostium fluminis custodiebant, suæ securitatis sollicitas, pæne innocuas reddidit.

Nostra prœliandi consilia prorsus efficacia comprobabantur. *Astarte* unam navim Ægyptiacam celeri concursu ita arietavit, ut ea in medio rumperetur, mergereturque; altera autem igniferis vexata ratibus, voragineque alterius in discrimen vocata, ipsa de industria in scopulos pessum iit. *Dagon* autem, postquam helciariam, tamquam vas ligneum, putredine exesum intudisset, ad me reversa est; et, postquam non sine vindicta v-idissemus oras a nautis Bodmilcaris rescindi, animum ad barcam convertebamus, quæ ex conflictu ad *Melcarth* revertebatur. Eodem tempore, ex utroque latere arctissime eam prætervecti, utrumque ordinem remorum detersimus, imbremque sagittarum illi immisimus, tum præterlapsi, nos summo nisu cum *Cabiris* coniunximus. Hæc interea mittendis ratibus igniferis in actuarias usque erat occucupata.

Certamen nostrum breve, sed efficax fuit. Spatio quam hora breviori *Melcarth* sui impotem reddidimus; duas naves Ægyptiacas depressimus, tertiam in scopulos misimus, ac, postremo, quindenis haud pauciores e lintribus Ægyptiacis obtrivimus.

Aquæ circa nos ruderibus fractarum navium erant constratæ, inter quæ nec pauci homines luctari videbantur. Hac pugná nostrá, assultuque necopinato reliqua Ægyptiorum classis perturbata, in medio flumine aliæ aliis illidentes, ipsæ sibi impedimento fuerunt, nec ulla navium poterat, aut volebat, *Melcarth*, ut helciaria, opem ferre. Itaque, quum palam esset, eas me nihil curare oportere, animum ad triremes ante nos converti, missisque denis vel duodenis ratibus igniferis, quas nautæ *Cabirorum* paraverant, marrisque in viam egerant, eas dissipare tentavi. Triremes pedetentim cesserunt. Quum vero satis in tuto essem, nec periculum imminere sentirem, ad eas Aquilonem versus ire contendi, hostibus nostris in sua perturbatione ob incommodum acceptum, a tergo relictis, quos inter erat Bodmilcar, in puppi navis suæ impotis furens. Bichri se ægre ferre aiebat,

quod aliquot sagittas in eum mittere non posset; at hoc nihil modo attinebat, quod nunc iam nimis longe ab eo aberamus.

"Pugna infecta!" inquit sagittarius intrepidus, ut a puppi prorsum venit.

"Sane quidem," illi assentior, "hodie scordalus ille malá fortuná usus est; at vero ille aliam quæret occasionem; cum illo necdum omnino egimus."

"Ita et ego spero," interloquitur Hanno, vindictam spirans

Sub hoc idem tempus motus quidam inter naves Ægyptiacas cerni poterat, ut tres earum ex ambagibus explicatæ, iter ad nos prosequendos aggrediebantur, compluribus naviculis comitantibus. Eodem tempore in ripa, secundo flumine, turmas equitum citato cursu ferri conspicor: atque, ut oculos in via aggerata circumfero, animadverto nubem pulveris, ex qua semel iterumque fulgor carpentorum æneorum et auratorum emicabat. Nullum supererat dubium, quin rex ipse appropinquaret, ut testis eventuum esset, propriisque oculis, quemadmodum caperemur, videret.

At Pharao potentissimus sero advenit.

E quadragenis vel quinquagenis ratibus igniferis, si non plures, duæ dumtaxat metam attigerunt; nam una triremum iam flagrabat, et manus perterritæ, morem Ægyptiorum secutæ, triremem pessum egerunt. Illa vero navigia, quæ ad nos insectandos venerant, minimum duo stadia nobis a tergo erant, sicque satis spatii suppetebat ad congrediendum cum unica triremi, quæ nostrum effugium intercludere conabatur.

"Conscendamus! conscendamus eam!" conclamabant fere uná voce Hannibal, Hanno, atque Sammai.

"Otium non suppetit, nec ipsa navis pretium operæ est," respondeo ipsis, "mergamus eam."

"Mergatur ergo, tamquam lapis!" ait Himilco.

Cabiri, quod illi nusquam resistebatur, nec experta erat nisi paucos lapides, vagasque sagittas, quæ illi raræ et innocuæ incidebant, iam ad proram triremis attigit, velisque passis, mari imminebat. *Dagon* quoque iam secutura erat, sed signo a me dato, Hasdrubal invehebatur in posticum triremis, ego autem a latere illi incurri, et sic captam triremem bifariam diffregimus.

Triremis a vasto gurgite circum spumante hausta fuit. Ultima igitur obice discussá, vela ventis dedimus, moxque alto potiti, tubæ nostræ victoriam cecinerunt.

Interim e tergo nobis raucus sonitus, clamor atque maledicta intonuerunt; nos tamen iam securi ferebamur. Nullo prorsus fieri poterat modo, ut hostes naviculis suis, putaminum nucum instar, istis spumantibus fluctibus, quos nos "ære ruebamus," se committere possent, vel auderent; quumque iam æquor teneremus, proris ad Occiduum versis, ut in devexis oris oculos circumferebam, satis clare vidi malos Ægyptiorum nequaquam moveri. Nullum itaque dubium erat, quin Bodmilcar iis persuasisset, ut a persequendo desisterent.

E nostris quindecim erant vulnerati, plerumque leviter, duo autem occisi; ex hostium vero numero, cum iis unà qui a sagittariis interfecti erant, quique undis hausti igneque interempti fuerunt, haud pauciores quam tercenti interierunt. Sic enim ex cadaveribus, in undis sacri sui Nili fluitantibus, æstimare debebamus.

Damna, a nobis perpessa, haud multo labore reparavimus. Paucis remis fractis, tam in *Astarti*, quam in *Dagone*, e suppetiis novos substituimus; stegæ abluebantur, rudentes firmavimus, cæteros funes sarsimus, sagittas, quæ lateribus navis, cancellis, antennisque hæserant, evulsimus. Saucios intro subveximus, cadavera trium Ægyptiorum, spoliis exuta, in mare præcipitavimus. Nostri quoque duo cæsi, invocatis prius Menetho, Hocco, Rhadamanthoque, iudicibus inferorum, fluctibus erant commissi. Minus trium horarum spatio cuncta in pristinum ordinem erant revocata, quasi nihil unquam nobis accidisset. Chryseis atque Abigail, quæ, quandocunque res postulabat, suá operá præsto erant, suá lætæ fruebantur libertate; perinde atque Hanno, semper constans, atque Sammai, suæ felicitatis participes erant.

Interim Hasdrubalem ad me vocari iussi, ut mecum, atque cum Himilcone, de futuris nostris propositis in consilium veniret. Postquam convenimus, sic eos alloquor:

"Mihi quidem," inquam, "vestra pace dixerim, dubium nullum subesse videtur, quin hostes nos prosecuturi sint. Fore

enim existimo, ut ostio ad Orientem, sive Canopico, sive Phanitico ramo fluminis enim ascendere poterunt, ascensuri sint; atque mihi æque certum videtur regem tum ad Pharum, tum ad Canopum naves paratas habere. Hæ nostrum adventum anticipare possunt: præterea, cras mane veredarii terrá accurrere expectandi sunt, nos vero summá virium contentione eo vix circa meridiem perventuri sumus. Insuper, quum etiam aqua nostra pæne ad fundum usque exhausta sit, alicubi terram petere nos oportebit."

Himilconi, cui copiá vini in hoc rerum statu subveniri nobis posse videbatur, vulsu humerorum respondi, et sic pergebam:

"In animo mihi erat hac ipsá vesperá hydrias nostras aquá recenti replendas curare, sed pugna ista propositum meum frustravit. Terram petere nobis utique omnino necesse erit; atque hoc mihi potissimum arridet consilium: iterum intrabimus flumen ostio Sebennitico, quod modo nobis proximum est; non enim suspicabuntur nos tam mox littora petere ausos esse; nec fortasse ipsi ibi erunt; sed si sint, vi nobis utendum erit, nam aquam comparare omnino debemus."

Placuit propositum sociis; hi tamen de proxime futuris sollicitabantur.

"Equidem," inquam, "propter amissam onerariam expeditio nostra ipsa reliquenda mihi nequaquam videtur. Futurum est ut Ægyptii, si nos nec ad Canopum, nec apud Pharum deprehenderint, in ulterioribus littoribus nobis insidientur; atque tandem Bodmilcar, cui consilia nostra nota sunt, subsidiis a Pharaone impetratis, nos Tartessum usque persequatur. Certum interim est fore, ut in eum serius aut ocius incidamus. Vulturnius flat, qui nobis secundus est; iter adverso sole sequentes interdiu, Cabiros autem parum ad lævum tenentes noctu, minime dubito effici posse, ut summum quinum dierum spatio littoribus insulæ Cretæ potiamur."

Himilco et Hasdrubal mirabundi, stupentesque me contuebantur.

"Ab Ægypto ad Cretam! Per pelagum vastum! Res prorsus inaudita; fierine id potest?"

Hi propositum meum eiusmodi exclamationibus exceperunt.

"Quin," prosequor ego, "cœpta etiam magis ardua perfici queunt. Verosimile haud est ut ventus ante novilunium proximum mutetur; verumtamen, etiamsi mutetur, nec Cretá potiamur, nihil nisi ad littora continentis perferemur, aut vero in aliam quandam Archipelagi insulam. Illinc, deinde, circumferemur promontorium Maleam et Siciliam, a Sicilia autem Carthaginem, illinc autem rectá Tartessum veniemus. Istud nimirum iter nostrum est."

"Per Deam Astarten, propositum tuum certe præclarum est," exclamat Hannibal, "dum interim scordali Ægyptii circinabunt circa Syrtes."

"Eas autem," inquit Himilco, "satis procellosas experientur. Annis ab hinc binis illic pæne mersus eram. Liceat nobis sperare futurum, ut Bodmilcar, suique sycophantæ Tyrii, Dii eos perdant, illic, ut meruerunt, suum scelus luant. Quam gestio illos singulos, veluti pisces e bronchiis, pendentes e fune cernere!"

Haud longo cursu ad oppidum Sebennys pervenimus. *Cabiri* erat ad littus præmissa, quæ, cuncta quieta renuntians, iam redivit. Solito tributo proconsuli Ægyptiaco soluto, aliquot nautas expedivi, ut, quanta necessaria videretur, aquam compararent. Eadem operá, usi opportunitate, aliquot corbes cæpullarum, necnon satis carnis recentis, ibidem sagaces nautæ coemerunt. Priusquam is dies ad finem vergere cœpisset, terræ illi terga vertimus, iter nostrum, discriminum plenum ad Aquilonem et Occasum fleximus.

"At nunc," dico meis, "tandem aliquando promite lances et patinas, haud enim mediocri fame urgeor."

In postico, loco idoneo, discubuimus, ubi Chryseide, quoque et Abigail participantibus, sat frequens nostrumerat multitudo. Quotidiano nautarum et militum victui vini quoque cyathum, in gratiam victoriæ matutinæ, adiecimus.

"Propositum iter," fatur Hanno, "mutatum esse video; anne Cretam tendimus?"

"Ita, profecto," respondi, opinione subiunctá eam regionem Chryseidi venustæ iam notam videri.

Tum Sammai sciscitabatur, utrum locus ille non idem esset atque Chittim.

"Non idem locus est," respondi, "ista insula montibus est aspera, in quibus capræ, cum patulis cornibus, ut in Arabia, scatent, incolæ autem ut funditores et sagittarii celebrantur."

"Licebit itaque Bichri sibi æmulos et pares reperire," iocatur Sammai, "sed cuius gentis sunt illi?"

"Phrygii sunt, atque Dores," explico illi, "viri helvi ac proceres, venusto vultu, habituque corporis rite ordinato. Hi oppida condiderunt, in quorum nonnullis nostri mercatores Sidonii sedes fixerunt; hi autem eò per Chittim, ac per Rhodum pervenerunt. Chryseis eádem quá Dores linguá utitur."

Sammai, qui constanti affectione erga Chryseidem ferebatur, libenter audiebat eam in mediam ituram esse gentem cuius linguá uteretur, esseque eiusdem prosapiæ; quæritabat tunc, utrumgens etiam bellicosa esset. Chryseis, Hannone iuvante, tunc explicuit Dores, non secus atque Ionios, insularum incolas, item Achæos in continente, artium belli peritissimos esse, eorumque famam, ob gentes ab eis subactas longe lateque celebrari.

"Quam vastum, quamque ingentem necesse est hunc mundum esse!" mirabundus suspirat Hannibal; "En nationem gloriá belli cluentem, cuius vix vel nomen mihi cognitum est! At vero, annon Creta est, unde nos gladios Chalcidicos obtinemus?"

Subridens ob eius errorem, explicui illi gladios Chalcidicos ex ære fieri insulæ Chalcidis, atque Phœnicios nusquam alias æs reperire posse, quod sic temperari patiatur.

Hannibal per Hannonem et ulterius sciscitabatur a Chryseide de natura artis militaris, quá Ionii uterentur, item, quæ stipendia solverent.

"Tune reverà arbitraris nos mulieres rerum eiusmodi gnaras esse?" subridens redarguit Abigail; "mulier, quum populares suos peritos pugnandi intelligit, quum valorem prædæ sibi e bello reportatæ iudicare novit, satis scit; sed quid, obsecro, de arte belli eam intelligere arbitraberis?"

Chryseis haud parum delectabatur vivido ancillæ suæ responso, atque nomina celeberrimorum patriæ suæ ducum recita

e cœpit. Audivi nomina Achillis, Aiacis, tum cuiusdam regis Agamemnonis; intellexi etiam eam duos reges patrios, nomine Iasonem atque Ulyssem, qui famá itinerum fuissent illustres.

"Itinera maritima!" derisione quadam obvertit Himilco. Equidem facile hariolor genus navigationis eorum, ut sint soliti repere secundum littora, terrisque hærere, stadia singula quoque die progressi, nunquam ultra continentes discedere ausi. Tum etiam naves cuiusmodi habuerint! Fortunatum me censeo quod me nulli earum vel a Sidone ad Chittim concredere debeo."

Chryseis hæc quidem non negabat; naves enim tales, quales Phœnicum, in sua patria certe nunquam viderat, nec addere dubitabat pontivagos Phœnices veros Deos marinos sibi videri.

"Tunc te," fervido animo, in blandimentum Chryseidi, interponit Hanno, "eorum Deam Marinam videri convenit."

"A, ephebe," oscitabundus monet Hannibal, "suavia dicteria tua linguá Ionicá aptius extuleris, alioquin virgo non te intelliget."

At vero virgo, capite cum gratiá converso, hilarique cachinno, probá Phœnicitate respondit se, quid gestum dictumque fuerit, optime intellexisse.

"Assentatiunculas probe intelligere, mulieri semper fidem habueris!" iocatur Hannibal.


"Vellem equidem scire," nugatur Himilco, "quo eventu uxor Gisconis uncta Hannonis vocula exceptura esset; dialectus enim sua Celtica cornicationi corvi Bodmilcaris haud absimilis est."

Interim iam tenebrascere cœpit, et usque sermocinabundus Himilco ad proram, locum suum, concessit, ego autem in puppi excubatum ivi. Totá eá nocte, dieque insecuto, flabra in ventum increverunt; qui tamen, quoniam nobis secundi erant, gratum existimavimus; attamen, quum vectores nostri omnes conscii essent nos longe a terris abesse, et in mari alto versari, nec circum se nisi cœlum atque æquor cernerent, pavor quidam eos incessit; et, quum navis modo in vertices ingentium undarum eveheretur, proximoque temporis momento in ima voraginum, quasi sine fundo, rapi viderentur, artus eorum formidine pæne iguerunt. Appetentia cibi fere cunctos deseruit, frequentesque

Numina invocare cœperunt. Insecutá nocte ventus in procellam, ac, postremo, in tempestatem increvit, denique, diluculo ad Austrum se circumegit, nosque mille octingentis in die stadiis versus Aquilonem rapuit.

Boná fortuná, licet magná per æquora rapiebamur celeritate, naves se vicinas continebant. Versus crepusculum ventus aliquantum cessit, postridie, denique, qui erat dies quartus, tranquillitas rediit, cœlum serenum emicuit, ac, tandem, summo omnium gaudio, excubitor, qui in corbe, prope ad verticem mali excubabat, terram in conspectu esse proclamavit. Ego ad Himilconem in prora stantem accessi, atque nostrum uterque prorsum spectans, sole oriente, aliquot dissitissima montium cacumina livescentia conspicabamur. Post meridiem terra iam omnibus conspicua fiebat, et antequam stellæ comparuissent, littus circumnavigavimus, quod præ rupibus accedi non posse videbatur.

Media nox iam pridem elapsa erat, antequam locum ad iaciendas anchoras idoneum repereramus; tamen, postremo, sinum patentem invenimus, ubi fluvius in mare dilapsurus fundum sabulosum candicantemque percurrebat. Versus Ortum densum arboretum cerni poterat, supra quod celsa iuga nivea e longinquo eminebant. *Cabiri*, prope ostium fluminis in siccum subducebatur, oneraria autem et barca, quum aquæ satis altæ reperirentur, magnis scopulis, in arido prominentibus, destinabantur. Littora omnino deserta esse videbantur, nec ulla habitacula humana usquam conspici poterant.



CAPUT VI

Creta, atque Cretenses.

SIMVLAC naves in stationibus requieverunt, ego et Himilco, quippe qui quaternas noctes superiores vigilando expleveramus, insomnio fatigati et exhausti, ad quietem, optime meritam, capiendam, dormitum recubuimus, nec prius evigilavimus, quam sol celsum cœli fastigium ascendisset.

Littora usque prorsus deserta erant. Saxosa montis latera undique pæne ad perpendiculum e mari exsurgere videbantur; vallicula autem rivi, haud procul, in præcipiti anfractu, myrteto, ilicetoque umbroso, operta disparebat.

Nihil mihi antiquius erat, quam nautarum manipulum deligere, qui circa littora aquam recentem quærerent, ac repertá, utres doliaque nostra replerent. Dein præsidium militum atque sagittariorum, pro quolibet eventu rite paratum, in littus descendere iussi, atque Bichri delegavi, ut adscitis denis sagittariis, anfractum intraret, regionemque exploraret. Quoniam satis ligni circumiacebat, consultum duxi ignes in littore accendi, atque ientaculum coquendum curari. Insuper et tentoria tendi iussi aliquot, in quibus partem mercium nostrarum venum exponi curavi, si quo casu Bichri in incolas hac in insula incideret. Hoc in rerum statu Ionas se suis servitiis celebrem reddidit. Ipse enim humeris suis satis ligni supportavit, quibus tres homines onerari possent, doliumque aquæ nullius ope sublevavit, faceteque animadvertit, siquis ei vinum in eo dolio ad potandum dedisset, alterum tantum libenter se baiulaturum fore.

Circa meridiem, labore regionem lustrandi fessus, opere ta-

men ante-meridiano satis contentus, Bichri ad nos reversus est. Nimirum in montibus in aliquot aborigines incidit, qui viso eo diffugerant; sed quum et ipse monticola esset, per rupes ac præcipitia eos insecutus, unum eorum intercepit. Cæteri e longinquo lapidibus eum impetebant, quin tamen læsissent ullum; atque ut ei a me iussum erat, ne armis, nisi in sui tutelam uteretur, nullam vim illis intulit. Captivus, quem secum adduxerat, iuvencus erat fortis et indomitus, comatissimus nigrá, fulgidáque cæsarie, tamque fuscus vultu, quam Midianita. Oculis erat nigris, fereque oblique sitis, vultu lato, ossibusque iugalibus paululum editioribus, mentum autem eius in acumen eminebat. Præter pellem caprinam sylvestrem, quá per humeros ad lumbos usque erat amictus, cinguloque præcinctus, nullum indumentum gerebat, sed in nudo collo, atque in lacertis, monilia armillæque, e cochleis colligatæ, pendebant. Ascicula quá ad se defendendum utebatur, erat illi a Bichri e manibus extorta, quæ quidem e politissimo lapide viridescente facta erat, cui manubrium ligneum erat infixum.

Barbarus ad me deductus protinus gesticulari sermoneque uti cœpit, ex quo ne verbum quidem percipere quibam. Ad eius animum conciliandum asciculam illi reddidi, simulque frustum panni rubri ei donavi. Sibi se restitutum videns, extemplo prosiluit, versus montes cucurrit, et mox e conspectu disparuit.

Vix binis horis post, aliis hominibus, ut ipse, seminudis, hastis, atque arcubus barbará arte factis, quæ erat omnis sua armatura, ad nos rediit. Ad passus circiter centum substiterunt, frondesque myrteos agitabant. Ego nostros idem facere iussi; tum, accito Hannone, eos conventum eo, simul rubrum pannum, ocellosque vitreos filis pensos illis exhibui. Barbari pedetentim audaciores facti, persuaderi poterant ut accederent, ac, tandem, tentoria intrarent. Erat inter eos certus quidam, qui princeps et interpres esse videbatur. Is primum digito cœlum indicabat, exclamabatque "Britomartis," tum autem montes indicans, "Phalasarna, Phalasarna," dictitabat. Certum mihi videbatur eum Phœnices non nunc primum conspexisse; nam, quamprimum naves nostras conspexit, clamabat: "Sidon! Sidon!" vestes vero nostras attrectans, eas "chiton" appellavit.

Itaque eum antiquá chitonetá donavimus, inter socios autem ocellos vitreos distribuimus, qui, vicissim, sylvestres capras aliquotque coturnices, quas "hamallas" vocabant, nobis attulerunt.

Sub vesperum alter aliquis ex eorum numero, senecio quidam, ad nos accessit, qui sub pelle caprina chitonetam gerebat, atque crepidas in pedibus. Is parum etiam Phœnicice callebat, sicque ex eius verbis intelligere poteramus eum e gente Cydonica esse, quæ prima insulam possidebat, donec Phrygii, atque Leleges eos bello superassent, quo facto, superstites in montanos recessus avios sese recepisse, ibique ad Ortum, et ad Occasum, refugium reperisse. In præsenti omnes oras maritimas, omnemque regionem montanam mediam, item, fertiles valles ad Septemtrionem atque Meridiem a victoribus teneri; his postmodum coloniam Dorum se iunxisse, sicque factum esse, ut Cydonios, ab utrisque pressos, exterminassent. Nunc primum intelligere cœpi quí id evenisset, ut quum ego Cretam semper ab Aquilone, per Cariam et Rhodum adiissem, nullos alios incolas quam Dores convenissem, quum alii navarchi Phœnicii, qui extrema insulæ ad Orientem visissent, ubi fodinas haud magni pretii condidissent negotiaque in terris æriferis non admodum fructuosa agitassent, semper cum Cydoniis res gessissent.

Senecio præterea docuit nos gentem suam supra, in montibus, oppidum Phalasarna habere; item, suam Deam Britomartis vocari, quod "mitem virginem" sonet. Vino, quod ei præbueram, perquam erat delectatus, et, quum in donum pauca spicula, monileque ex ocellis argillaceis vitreatis accepisset, pollicitus est in posterum diem tantum carnis recentis, quantum vellemus.

Oborientibus tenebris, barbari se in montes suos receperunt. Hannibal cautus excubias suas duplicavit; tota tamen nocte minime molestabamur.

Postridie Cydonii, ad nos reversi, plures capras nobis tulere.

Quandoquidem Cydonii agros nequaquam colunt, frumentum, aliasque fruges, nobis suppeditare non poterant; harum loco fructus agrestes, mellaque tulerunt. Tum imaginem bovis illís exhibui, conabarque illis explicare, me eius generis animal ab iis comparare velle; sed hi certiorem me fecerunt idgenus animal

in suis montibus nullum esse, nec in sua insula, donec Phrygii attulissent, fuisse omnino ignotum.

Vesperi, quum lunam bicornem illis indicassem digito, barbari eam Britomarten, suam Deam venationis esse dixerunt. Chryseis asserebat Deam istam nomine Artemidis sibi esse cognitam, unde mihi verosimile videbatur Cydonios cultum eius Dores docuisse, qui, vicissim, Ionios idem edocuissent. In honorem huius Deæ cervæ atque damæ in sacrificium offerri consueverunt; verum fando audivi in aris eiusdem etiam iuvenes mactari solitos; at hanc famam meram esse arbitror, nec quidquam certi de ea re tradere ausim. Persuasum etiam mihi est quamquam Deam hanc lunam esse scio, eandem cum Dea Astarte non esse, alioquin non satis esse arbitrarer hos eam venationem tantum docuisse, verum etiam artem navigandi.

Cydoniis præterea etiam Curetum, Corybantumque, tribuum Phrygiorum, Deus cognitus est, quæ tribus in hac insula oppidum Onossum habent, ibique templum condiderunt. Deus hic taurus albus est, quamquam haud ignoratur eum subinde speciem hominis induere. Doribus solemne est hunc esse istius insulæ Deum primigenium ; at Cydonii hanc doctrinam respuunt, docentque hunc Deum a Curetibus inventum fuisse. Ipse de hoc Deo nihil unqum audivi. Credere eum cum Api Ægyptiorum, aut cum nostro magno Moloch eundem esse, nequeo. Chryseis ait se hunc sub nomine Zeus cognitum habere, creditque ipsum quondam fretum inter Pontum Euxinum Mareque Ionicum, venustam virginem in tergo ferentem transisse. Cæterum staturá procerum, ac singulari maiestate esse eum credunt, quem Phrygii Cretenses choræis, clamoribus, musica ac tympanis celebrare solent. Sacerdotes eius e tribu Corybantum, e progenie Corybis sunt. A Chryseide dictum audivi reginam quamdam Pasiphae, huius insulæ, a tauro uxorem ductam fuisse, ex qua, monstrum ex parte hominem taurum ax alia, ipsum suscepisse, sed monstrum a quodam rege Dorico, aut Ionico interfectum fuisse. Vix mihi persuadere queo taurum hunc et Zeum esse eundem putandum, ac satius mihi videtur rem totam in numerum fabularum relegandam esse atque victoriam quandam eá significari Ioniorum de mixta gente

Phrygiorum, qui coloniam suam in hac insula perpetuam fecissent.

Tandem palam edixi mihi hunc Deum eundem cum nostro Moloch esse non videri; Deum Moloch quovis Deo Ioniorum potentiorem esse, longe, profecto, potentiorem, quam ut suum populum a peregrinis superari siverit. Fieri sane poterat ut Phrygii suum taurinum Deum Iovem, eo quo par erat honore non prosecuti sint, eum autem irá accensum illos in vindictam hostibus suis tradidisse; at hunc nullo pacto nostrum Moloch esse, nec unquam Moloch fuisse.

"Dii! Dii!" clamitat Sammai, testis auritus sermonum nostrorum; "qui, obsecro, isti Dii sunt? At vero unus solus Deus est, eiusque sacerrimum nomen *Él* est. Habet is quidem et aliud nomen, sed *illud* nomen enuntiare nobis fas non est. Eius in conspectu Moloch, Zeus, Artemis, Melcarthque prorsus nihil sunt. Semos sane Moabitas adversum nostros exercitus tueri non poterat; nec Dagon valebat Philistæos Gazæ et Ascalon servare; nec Nisroch valebat Syros ad Sóbam victoria donare; Adrammelech par non erat Damasci victoriam reportare; nec, denique, Báalim gratiá Amalecitarum superior evadere valuit. Hi omnes nihil sunt. Unus nonnisi omnipotens *El,* Dominus Exercituum, cœli terrarumque Factor, qui solus Deus est. Ipse nos Ægypto extulit, Ipse nos in præclaris terris nostris posuit; Ipse est Deus oculis subductus, ac verus, Deus vindictæ, potestatisque.

"Quantumcunque vellem tibi assentiri," inquit Hannibal, interpellans Sammai serio obtestantem, "tamen quædam, quæ doces, in dubium voco. Fieri utique potest ut El vester potens sit Deus montium ac planitiei; quis tamen negabit Astarten, nostram Deam, oceani esse potentem? Videdum, obsecro, quantas ipsa nobis, Sidoniis, victorias comparaverit, nosque dominos marium fecerit! Numinibus Moloch, atque Melcarth ne minimum quidem honorem tribuo; existimo tamen Báal Diisque Arvad, in iis dumtaxat regionibus, quarum cura ipsis cordi erat, honores tribuendos esse.

"Nec nostros magnos Cabiros prætereundos velim," interpellat Himilco; "quid omnes nostri gubernatores Tyrii sine eorum opera ductuque proficerent?"

"De gubernatoribus," inquit Sammai, "nihil compertum habeo; ex meá parte satis habeo, dum Ēl, nostrum Dominum omnium rerum potentem, terrá-marique revereri queam."

Sic itaque, disputationi finis factus, ac, postquam singuli sua quisque Numina invocassent, ad capiendam quietem sese contulere.

Interea, quoniam haud ullum amplius cum Cydoniis negotium exspectandum videbatur, postridie mane, post emptas iterum paucas minutias, ad profectionem omnia paravi. In propositis mihi erat occiduam insulæ oram ad Aquilonem circumnavigare; quod conspexeram geminas Cytheras, statui secundum oras continentis navigare, usque dum ad ostium Acheloi veniremus, ubi sperabam hydrias nostras iterum aquá recenti complere posse, simul etiam cum aboriginibus negotia fructuosa transigere, tum prætervecti Zacynthum et Cephalleniam, exspectabam facere posse, ut transfretaremus inter continentem atque insulam Siculorum; semel eá potitus, a Septemtrione eius Lilybæum usque navigarem; a promontorio eius autem Carthago non plus tercenta octuaginta stadia aberat. Istud erat meum navigandi propositum. Verum enimvero, sive Diis nobis ob disceptationem superioris vesperæ iracundis, sive quod quid naves nostræ robore ac firmitate possent experiri vellent, certum est a Diis decretum fuisse, ut iter nostrum a proposito admodum discreparet.

Nam interea cœlum in gravius et obscurius mutari cœpit. Ab Himilcone monitus, ex Occiduo Meridiano luridas nubes cogi animadverti.

"Nihil morandum nobis," respondeo illi, "nisi enim tempestatem, quam illæ nubes parturire gestiunt, antevertere poterimus, futurum est, ut in his littoribus nullum suffugium præbentibus, scopulis illisi intereamus. Ad oras Septemtrionales, ubi loca anchoris iaciendis idonea nos exspectant, omnibus viribus nobis contendendum est, antequam turbo erumpat."

Aer interim præter modum erat tranquillus; mihi tamen satis constabat oportere naves omni remigum nisu adigi; quo facto, celeri cursu Occasum versus ferebamur. Mihi duodenum horarum spatio non minus quadringenta quinquagínta stadia emensos nos esse videbamur, insulamque omnino superasse; ta-

men cœlum interea nubibus opacis sensim magis obruebatur, nimbique ex alto pendebant, ac tempestatem instare dubium nullum erat. Interim naves, procul terris, diligenter in alto tenebam, nec hoc perperam; nam sub secundam vigiliam, quum ab arido, ut opinor, circiter stadia centum quinquaginta aberamus, tempestas cum omni sævitia nos assecuta est. Turbo Austro-Africus erat, quapropter mihi satius videbatur nos eius furori concedere, et ab eo ad Aquilonem prope, inter Cretam, minoremque Cytheram insulam rapi, quo consilio et alterum velum pandi iussi, ut procellá ad arbitrium raperemur.

Totá eá nocte nesciebamus ubi versaremur. Imbres urceatim ruebant. Fluctuum alter alterum celeriter urgebat, montesque aquæ stegæ nostræ illidentes effecerunt, ut gubernatores ex omnibus viribus sibi connitendum existimarent, ut naves suas sub sua potestate conservare possent, nec sua latera procellis obiicerent.

Interim tonitrua pæne sine ulla intermissione crepebant; fulmina perpetuo lumine aera percellebant, quibus coruscantibus, spumantes undarum cristas, ad sidera iactatas, perspicere poteramus perinde atque atros inde hiantes voragines cum vertigine gliscentes.

Quamquam naves furore maris continenter iactabantur, mirá tamen constantiá quæque earum salum sulcabant. Remiges, militesque aquam irruentem situlis exhaurire iussi, qui, Hannibale, præfectisve remigum, partim amicis verbis, partim duris flagellis operas hortantibus, opus suum concordi voluntate perfecerunt.

Tempestate summa vi furente, voce, quá poteram maximá, quæ sonitum fragoris superabat, Sammai inclamavi, nunc instare tempus ad suum Deum invocandum. Bichri roganti, utrum periculum vere exitiale esset, respondi, me in Syrtibus peiora quoque expertum fuisse, in oceano autem, ultra Fretum Gaditanum, etiam sæviores tempestates, quippe ubi fluctus etiam ferociores turgescant et tumescant, pertulisse, quum hic undæ breviores, mansuetioresque essent, naves autem multo constantiores, et cursum facilius tenere posse videri.

Chryseis atque Abigail in casteria sua sese amplexatæ tene-

bant; Sammai et Bichri, quamvis mari insueti, vixque pedibus consistendo pares, rerum statum satis æquo fortique animo ferebant, et intrepidi, nautis, rudentes administrantibus, quidquid in eis auxilii erat, ferebant, atque muniendis embolarum præsidiis opitulabantur. At pæne fidem excedebat terror robusti Herculeique Ionæ, qui incredibili formidine captus, sese in cavo navis in tabulatum prosternens, tamquam ingens pannorum manipulus, ad quemque motum navigii huc et illuc volutabatur.

"Væ mihi! ó me infortunatum! quid ego huc veni?" gemebat velut præ terrore in exitii articulo, "quid veni? curnam pagum meum reliqui, quum plus satis et ultra haberem? Pereundum nunc mihi est in mari; mox mergar, cibus piscium. Actum de me est!"

"Apage, magna bellua!" inclamat eum Hannibal, costas eius calce pulsans; "surge! nequid hic volutando aliquid subverteris ac fregeris, nam et me tantum quod non supplantavisti. Heus, nautæ! accedite, erigite dementem hunc nebulonem, et ad malum eum ligatote!"

Herculeus ille, ut præceptum erat, tamquam trabs, a nautis ad malum volutatus, illi alligabatur.

Ad posticum concedens, invenio Himilconem, ut gubernatorem pro viribus instituebat. Fatebatur mihi se *Dagonem* omnino non vidisse. Eo loquente, ingens unda raptá *Cabiris*, eam tantum non lateri nostro illidebat, eodemque momento temporis fulgor emicans collustrabat Hamilcarem et Gisconem, suis nautis vehementer gesticulantes.

"Præclara itineris nostri initia!" clamat Gisco prætervectus.

"Sustine, Gisco, et persevera! iam eluctabimur!" magná voce reclamavi in solatium. Hannoni vero, qui fune se sustinens oculos in furenti mari pascebat, hæc dixi:

"Esto animo forti, Hanno!"

"Satis mihi fortitudinis superest," inquit ille bono ánimo, "quæ et mihi et Chryseidi sufficiat; fatendum tamen mihi est tempestatem hac deteriorem me nunquam, quod sciam, expertum esse."

Hoc eodem temporis puncto vagitus Himilconis nos terrore perculit:

"Vela! vela! cerne vela!"

Nautæ ad antennas ruunt. Tantum quod non eversi eramus! Ingens mons aquæ latus navis nostræ ad ventum converterat, vela autem ad malum flexa vento ad perniciem usque inflabantur. Simul fulgur, cæteris acrius, ac prope excœcans, eodem ictu oculi, navigium rotundum, non procul ante nos, collustrabat.

"*Melcarth!* Bodmilcar!" Himilco et Hanno unà conclamant.

Alterum fulgur. Nullum iam erat dubium quin id *Melcarth* esset atque Bodmilcar, qui stans in puppi, vento et undis imperare videbatur. Tertium denique emicuit fulgur, tonitrubus pæne continenter crepentibus; cæteroquin præter furentes ac subsultantes aquas nihil dignosci poterat: *Melcarth* in tenebris disparuisse videbatur.

"Chusor Phta illic, in sublimi, malleo suo operatur," inquit Himilco;" pulset tamen ut velit, Cabiri nostras partes tuentur, non oberit nobis."

Inde, horæ circiter spatium admodum solliciti egeramus. Quantum mihi constabat, procella nos ad Septemtriones rapiebat, nullo tamen pacto certe ac definite, quo in loco versaremur exploratum habere poteram. Quælibet unda lateri navis imminebat, exitio nobis fieri parebat, atque *Cabiri*, quæ prope nos incedebat, quandoque in sublime elata, capitibus nostris impendere videbatur, alias in ima rapta subter pedes vehi apparebat. Cum Himilcone super casteriam in puppi stabam et cum duobus gubernatoribus unà, quum mons aquæ, omnium quos hactenus experti eramus longe maximus, stegam universam obruebat. Ego celeriter cancellos apprehendi, sicque ictum excepi. At vero, quum undá fere excœcatus, sed mei compos, ad me redii, Himilconem, unumque gubernatorem, disparuisse comperi. Pro bona fortuna gubernaculum ereptum non erat, proinde omnibus quæ supererant viribus connisus, clavum converti, navimque iusto cursui restitui; tunc clavum nautæ, modo e cavo a-

scendenti tradidi, ac, proclinis trans cancellos clamitare cœpi: "Himilco! Himilco!"

Interea dilucescere cœpit, et in semiopaco, ac tantum quod Sammai discernere poteram, ut ante ianuam casteriæ se pronum prosternebat, precatus Deum Israël, ut vitis dumtaxat duarum mulierum parceret, etiamsi cæterorum vitas eripere decrevisset.

Hanno, quum vocem meam tremere animadvertisset, ad me ucurrit, et animo perquam commotus intellexit aliquid mali probo gubernatori accidisse. Cœpi illi narrare quid compertus fuerim, meque vereri dixi ne ille undis abreptus esset, quum a tergo vox insonuit:

"Ecce me salvum, Navarche! præceps cecidi;" his verbis Himilco, utrem, e pelle caprina, manibus gerens e cavo navis ascendit.

Eum salvum scire magno mihi sublevamini fuit, præsertim quod plane incolumis evasisset.

"Aquæ me per gradile rectà præcipitarunt, sed pro bona mea fortuna, caput huic utri illisi, sicque mortem evasi. Miror quod uter non displosus fuit tanto ictu. Cabiris bonis grates sunto, quod ita me custodiverunt. Sed quid de Cadmo factum est, qui clavum tenuerat?"

Ego nihil, nisi tristi vultu mare indicaram. Himilco sensum capere videbatur, sed nihil respondit. Tum in puppi consedit, seque ex utre reficere cœpit.

Extemplo Bichri ad me properat, meque paucis velle dicit his me allocutus verbis:

"Nauta quum non sim, fortasse æquum esset ut rem alienam agens veniam a te peterem; verum acies mihi acutissima est, quæ mihi ad dextrum a puppi montes indicare videtur."

Himilco protinus exsurgit, quin utrem vini mitteret, et luscus eam cœli plagam scrutari cœpit, quam Bichri indicarat. Mox sic fatur:

"Sagittarius, profecto, non fallitur; etiam meus oculus raro fallit; sub recto, præter dubium, terra cernitur."

Tametsi pluvia usque ruebat, per nebulosum opacumque pone nos, ad rectum, montium iuga satis distincte percipere poteram. Quoniam mihi omnino constabat versus Aquilonem nos rapi, minime dubitandum putabam eam terram, quæ nobis in conspectu esset, oras Septemtrionales Cretæ esse; quod et eventus comprobabant.

Primum itaque nostrum negotium esse videbatur, procellam eluctantes, ad littora contendere. Hoc consilio *Cabiris* signum dari iussi, numerum remigum, cuique addendo singulum militem aut nautam, ut æquatis laboribus omnes conferrent operam, duplicari. Tunc embolam inspexi, lætusque reperi parum mercium loco dimotum esse.

Paucis horis ventum plane effugimus, ac, paullo post, e scissis nubibus iubar solis emicuit, lumineque et cursum nostrum perfundere, et corda animosque in spem et gaudium erigere cœpit.

"Numen nos eripuit!" suspirat Sammai; "ego profecto fateor me ingenti pavore esse liberatum."

Himilco interea chitonetam ex aqua expressit, statuitque, facultate a me impetrata, Bichri, utpote qui terram primus repererat, e culleo, quem necdum missum fecit, haustum vini donare. Annui, utpote optime merito.

Mulierculæ nunc iam facile persuaderi poterant ut prodirent, quamquam metum, usque tremulæ, haud omnino deponere potuerunt, tamen lætitiá renidere videbantur.

"Ecce mulierculæ!" ait Hanno, eas in stegam educens; "non absimiles tempestati sunt: iam subrident, iam lacrymantur."

Sammai malle se aiebat denis armatis, quam cum uno furente mari contendere. Tamen ego eum certiorem feci mirá animi fortitudine eum se gessisse, tametsi nunquam antea tempestatem in mari expertus esset; monui tamen eum, ut in posterum sibi caveret, nequid de Diis temere, ac minus reverenter disputaret.

Tum Hannibal, galeam uná, cataphractam alterá manu

gestans, e cavo egreditur, nosque, accedens, his verbis alloquitur:

"Totá nocte tam strenuo detinebar labore curandi ut vulgus remigum ad sustinendum modum adigerem, ut cataphracta mihi omnino negligenda esset; quin eam prorsus in frusta comminutam esse putavi; sed sive Astartes, sive cuiusvis Deorum voluntate, eam salvam, illæsamque reperi. Cæteroquin gaudeo, mulierculæ, vos salvas, incolumesque conspicere posse. Etiamque sperare me posse arbitror, vobis et metum iam esse excussum, et cibi appetentiam ad vos revertisse. Mihi quidem orexis prorsus salva est."

Quum vero animadvertisset Himilconem Bichrique succo utris se recreare, sine mora eorum societati se adiunxit.

Tempore ad post-meridiem vergente, nubibus penitus pulsis ac dissipatis, sol iterum effulsit, glaucumque æquor parum agitatum resplendebat placidá diversitate a virore instantium littorum, a quibus vix tricena stadia aberamus. Locum itaque ad iaciendas anchoras idoneum quæsitum *Cabiros* præmisi, ubi a laboribus nostris requiescere, damnaque accepta sarcire possemus. Interim in stega *Astartes* dum sedentes apricaremur, levique merendá, quæ pane infermentato, passis ficis, crudis cæpullis, haustuque vini conficiebatur, animadvertimus *Dagonem* e longinquo versus nos contendere. Procella illi antennas cum velo unà eripuit, itaque ipsa tempestate acta, remisque freta, sua incommoda satis feliciter eluctata est. Pro communi fortuna, vela supernumeraria satis superque habebamus, ac damna haud magno labore reparare poteramus. *Cabiros* ad linguam promontorii prærupti in mare excurrentem, nos præstolantem assecuti sumus, et exinde reperimus in meridiano declivi idoneum esse sinum in ostio fluvii, e valle admodum fertili huc dilabentis. Omnes itaque tres naves, terræ linguá superatá, et ad meridiem versæ, sub vesperum, secundum littus, medium sinum attigerunt, unde littus procul versus Ortum recedit. Hic denique *Astarte*, *Dagon*que anchoras iecerunt, *Cabiri* autem in siccum subducta erat. Locus anchorandi perquam erat commodus, tempus quoque admodum favebat. Ex continente pagorum lu-

mina cernebantur, unde et animis firmati eramus, et in bonam spem erigebamur, tametsi corporibus multum fessi, quietem capturi decumbebamus, atque totam noctem placidus somnus nos tenebat.



CAPUT VII

Chryseis Regi Hannonem Anteponit.

Postridie, nullá morá interpositá, industriá omnium meorum damna reparare cœpi. Embola ita erat convasata ut pæne immota, nullum prorsus detrimentum acceperit. Ex hac aliquot manipulos in aridum efferri, ac sub umbra arboreti in propatulo venum expandi iussi. Item Ionam e navi excedere, tubamque secum ferre præcepi. Ipse, primum quam solido se insistere, terramque pedibus subesse sentiebat, puerorum more subsultare, tripudiarique cœpit, tanto elatus gaudio.

"Iam híc, procul a faucibus Leviathan, in tuto sum!" clamitabat cum voluptate. "Nihil híc, in solida terra, referet, quod monstrum mihi conveniendum sit; atque quo ocius id fiat, eo melius."

Exuberantem eius animum quodamtenus refrænavi, tubam suam prehendere, altissimáque quá par erat voce, canere eum iubendo; quo mox factum erat, ut non modo incolas propinquorum pagorum, verum etiam opiliones in collibus circa greges suos pascentes, alliceret. Quum nihil a nobis hostili animo adversus se parari intelligerent, hi omnes ad nos confluxerunt clamitantes: "Phæaces! Phæaces!" sociis indicantes Phœnicios mercatores ad se venisse.

Hi omnes erant Dores; staturá proceres, corporibus robustis, pars, naso recto, aquilis alii capillis super frontem sublimem cincinnis. Plerique inermes advenerunt. Nonnulli eorum chitonetis, sine dubio Phœniciæ originis, erant induti; alii eiusdem generis tunicis sine arte imitatis, e panno rudi sui opificii. Hi

plerumque nudo capite incedebant, præter paucos, quorum capita genere petasi, e plexo stramine erant tecta. Erant cum illis etiam aliquot mulieres; quarum quidem pleræque tam erant vultu decoræ, quam statura venustæ. Indutæ autem hæ erant vestitu planissimo, genere institarum in speciem saccorum ad talos demissarum, ad humeros, et ad collum apertarum, ubi capita brachiaque prominebant; tamen his superinduta erant subarmalia, ad coxam usque submissa, ubi vittis nitide constringebantur in utramque partem. Cæteroquin nulla monilia, aut gemmæ, nec ulla ornamenta alia in illis conspiciebantur.

Priusquam hi hospites advenissent cavendum putavi, ut merces nostras sudibus in terram defixis, hisque fune deligato circumsepirem, atque per Hannonem advenas commonefieri curavi, ne funem transgrederentur. Ii apprime intellexerunt, nam etiam alioquin eá erant humanitate, ut et consilium meum facile perspexerint, et se modestiá prorsus naturali continuerint.

Unus e numero eorum, qui scipionem cum æreo bulbo gerebat, fasciaque e tela comas constrictas habebat, munere interpretis fungebatur. Satis clarum erat hunc primicerium, vel magistratum apud eos esse; sui enim asseclæ reverenter auscultabant, dum ipse ad nos verba faciebat. Orationes longiusculas edere Dorum mores ferre videntur; nam is princeps accedens, oratione conceptá nos alloquebatur. Hannone satis facile interpretante, sensum orationis eius prorsus clare percepi. Orsus itaque est salutem nobis dicendo, prosecutus dein nos est multimodis assentatiunculis, semideos nos appellando, item affines ac propinquos tutelarum nostrarum navium, ac, tandem, petivit, ut meá voluntate suis asseclis liceret miras merces, quas ex urbe Divina, Sidone, a nobis allatas, inspicere et contueri.

Iam tunc omnes tribus eorum satis cognitas habui, quæ communi nomine Hellenes appellabantur, quorum hoc erat commune, ut nos Phœnicios Divinæ originis esse reputarent. Magnitudo nostrarum navium, peregrinationum nostrarum immensitas, arcana urbium nostrarum dissitissima loca, eo collimabant, ut in hac fide sua confirmarentur, nec in præsentia e re nostra erat hanc suam superstitionem e medio tollere. Futurum enim erat, ut quondam peregrinaturi in colonias nostras inciderent,

quum experientia eos edoctura esset, nos sui similes mortales esse. Interim persuasum sibi erat nos supramundanos esse, quamobrem, quidquid fabularum in aures eorum effunderentur, sibi cum pietate quadam auscultare solemne erat.

Hannone interprete principem certiorem fieri placuit, nos magnam copiam mercium mirabilium nobiscum e Caucaso, terrá gigantum attulisse; item e Cilicia, ubi montes, ora inferorum patula, ignem fumumque vomere consueverint; Sidone, Deorum metropoli; ex Arabia, terrá piorum, ubi homines terna sæcula pervivere soleant et ultra; ex Ægypto, ubi Dii tauri, crocodili, atque colubri duorum stadiorum longitudinis vigeant. Præterea, per interpretem explicui illis fore, ut, si populares sui nobis pelles bovinas, æs Chalcidicum, lanam textam, vel cornua caprina affere possent, nos illis tunicas, ocellos vitreos, odores, nectar, aut quamlibet fere rem, quam appetere possent, in cambium daturos esse. Nec mora. Ipse aliquot suorum asseclarum protinus in pagum remittit, qui merces a nobis postulatas comparent.

"Quam proterva mendacia!" submissá voce me affatur Sammai. "Nonne asseruisti Midianitas piam gentem esse? Nonne etiam dixisti posteros Ismaël trecenos vivere annos? ac, denique, ni fallor, apud Ægyptios Deos esse?"

Indignationem eius leni tantum risu excepi, sed Hanno illi cachinno respondit:

"Nihil commoveare, Sammai: alii peiora mentiuntur; hæc ad finem optatum assequendum valebunt, si hos bonos emptores effecerint."

Princeps mihi venum aliquot *pilleges*[1] obtulit, quas nuperná suá expeditione in continente ceperat; sed ego, quum probe scirem nec in emporiis coloniarum Libycarum, neque Tartessi, servas quemquam mercari, oblatum abnui. Ipse vocabulum nostrum *pilleges* ut *pállax* reddebat. Satis certum videbatur Dores quadam difficultate vocabula nostra efferendi laborare; nam ipsi *chitonetam* nostram *chitón* vocitant, nostrum *cóf*, ut *cépos*, *castira* vero ut *cassiteros* efferunt. Alias more cætero-

1. Latine *pellex*, concubina, n. 56, 1.

rum barbarorum, sensum quorundum vocabulorum non capiunt, eaque omnino pervertunt, uti quum de magno ultra Gades mari illis loqui contingit, loco Maris *Og*, vocant illud, describuntque, veluti flumen *Oceanos*, idque loco Dei habent.

Illi, quos princeps retro in pagum miserat, interea cum satis magná copiá æris præclari, pellium boum, cornibusque caprarum, reverterunt, quorum aliqua satis erant grandia, ut ex iis optimi arcus fiant. Insuper, etiam eximium pannum laneum secum tulerunt, quem et ipsi de continente importaverant. Pretia quoque, quibus merces suas nobis obtulerant, æqua et iusta erant.

Tandem, ad resarciendas nostras naves, et ad otium spatiumque reperiendum, visum nobis est turbam emptorum, quæ pedetentim magis et magis increscere cœperat, hinc, a littore, alio diverti oportere. Hoc proposito certam mercium copiam Hadlæo, fido cuidam nautæ concredidi, eumque cum his longius a littore recedere, e mercibus, quidquid posset, vendere, ac, denique, post spatium quadraginta horarum ad nos reverti iussi; nam intra id tempus naves nos reficere posse sperabam. Bichri comitem se itineris obtulit, Ionas autem, cuius tubá Dores magnopere delectari videbantur, etiam missus est, qui tubicinio incolas ad mercatum allectaret.

Die iam ad occasum vergente, octonos meorum nautarum ad succidendam in declivio vallis quercum dimisi, ex qua antennas pro *Dagone* effingeremus. Dores, quidquid nobis ligni opus erat, gratis concesserunt, satis sibi compensatum esse rati, si asciariorum nostrorum operi interesse, fabulisque curiosis aures intendere licitum sibi esset, audireque eos, qui e nostris eorum linguá satis sermocinari poterant. Diligentem insuper præstabant operam in colligendis, afferendisque calis, atque assulis, item supportandá aquá, aliisque rebus, quibus opus habebamus, nobis sedulo opitulati erant. Cæterum, qualescunque hi sese aliis peregrinis præbuerunt, certe erga nos Phœnicios, perquam humanos, mansuetos atque affabiles se præstiterunt.

Dores Chryseiden multis quæstionibus sollicitarunt de Phæacibus, diversissimaque de eorum patria, urbibus, regeque sciscitabantur; ipsa autem, idiomate ipsis minime alieno, res decla

ravit, quá re nec ipsa erat parum delectata, quod cum iis libenter sermocinabatur, illi vero ei de illustribus, magnificisque templis, mirificis ædibus, et de inclytis viris narranti, haud ingratos auditores se præbuerunt. His enim, profecto, haud clare constabat quid Phœnice esset; nam eam sibi insulam esse existimabant, et verosimile videbatur eos hanc cum colonia Chittim, aut vero cum alia nostra colonia Chalci, quæ illis longe propior erat, confundere et commiscere. Præterea Phœnices ipsis ubique terrarum obversari videbantur; nam et littora Cariæ, ubi mercatores nostri emporia instituerant, perinde Phœnicum nomine insigniunt. At illa reapse terra est Lelegum Cariorum, qui cum Phrygiis unà, antecessores Dorum in insula Creta exstiterunt, primique qui Cydonios in montana abegissent, compluresque eorum exterminassent. Cæterum Dores memoriæ prodiderunt Leleges Pelasgosque se in continente antecessisse, nec paucos horum in iis locis usque superstites esse. Facile equidem mihi persuadeo Carios, Æos, cæterosque, quos nos e sedibus suis littoralibus dispuleramus, demum in Cretam pervenisse; Carii etenim navigationis minime erant ignari. Insuper, navigatio in ea Archipelagi parte, quæ insulis scatet, ex oris Asiæ eò, etiam navigiis minimis, nullo pacto difficilis habetur. Deinde, constat etiam summum montium iugum in insula Creta Pelasgo-Ionico nomine Idá, eodem nempe, quo mons in Æolia, e regione insulæ Lesbi, cuius caput Mytilene, appellari; quod quidem firmissimo argumento esse debet, Pelasgos atque Leleges, qui cum Cariis, Æolibus, Lyciis, atque Dardanis, eiusdem esse generis, nec modo totas oras a Freto Thracio deorsum, usque ad regiones Rhodo adversas, verum etiam continentem ipsum, perinde atque insulas inter Thraciam, ac Promontorium Maleum incoluisse. In deducendis his rebus recte me ratiocinatum esse argumento allegari potest, quod maiores nostri longe antea Pelasgos, quam sive Dores, seu Ionios cognoverunt; præterea, etiam pervulgatum est usque superesse oppida, magna ac frequentissima, licet minus bene ædificata, ac misere munita, veluti Placir, atque Scylace in Propontide, parum ad Septemtrionem a Dardania, et ab insula Tenedo.

Rem hanc parumper prolixius tractandam putavi, quoniam

partes navigatoris Phœnicii esse duco, ut is, non modo situs figurasque terrarum mariumque, nec cursum tantùm corporum cœlestium, item leges, iuraque navigationis, atque commercii rite perspectas et cognitas habeat, verum etiam ut de originibus, linguis, sacris atque moribus et institutis cuiusque gentis quam ipsi adire contingat, probe teneat. Cæterum, itinerum maritimorum longa experientia me docuit, scientiam sic partam peregrinis quidem atque advenis perquam caute tradi oportere, apud populares autem nunquam satis posse diffundi.

Dores cum Ioniis eiusdem se stirpis esse agnoscunt, et cum illis ad communem familiam gentium, quæ simul *Hellenes* cognominantur, pertinere, qui alias etiam "Ræci," vel "Græci," appellantur, sciunt et fatentur. Hi Hellenes, non secus ac posteri Israël, in duodenas tribus dispescuntur, nempe in Thessalos, Bœotios, Dores, Ionios, Perrhebios, Magnetes, Locros, Achæos, Phocios, Dolopes, atque Malios. Ut ii ipsi de se tradunt, maiores sui meridianam Thraciam invadentes, partem, nomine Hellopiam ceperunt, ibi sedes posuerunt eamque etiamnum tenent; illinc autem se in pæninsulam insulasque propagaverunt. Hellopia ea terra est, quam Achelous perfluit, qui se in fretum effundit, quod Cephalleniam a continente seiungit. Duo vetustissima oppida in Hellopia sunt, Dodona atque Delphi, quæ simul etiam sedes summorum Numinum suorum sunt. Hinc fit, ut Hellenes nonnunquam ab altero oppidorum nomine Dodonæi appellentur, tamen a nobis sæpius Ionii vocari solent, sive posteri Ion, vel Iavan.[1] Ipsi tamen se plerumque Hellenes, Graios, vel Græcos vocant.

Cunctæ tribus Græcæ quaterna fraternitatis vincula inter se agnoscunt; primum, quod omnes eiusdem originis sint; alterum, quod eadem linguá utantur; deinde, quod eadem Numina colant; et hoc eodem ritu, iisdemque locis; postremo, quod idem fere vitæ genus sequantur, iisdem moribus atque institutis plerumque fruantur. Omnes eorum Dodonam principes suos, aut seniores gentis legatos mittunt, ni fallor, etiam Delphos, ad negotia inter se communia dirimenda, ubi terno iura-

1. Ionia, Ionicus, in Asia Minori, n. 56, 2.

mento confirmant nulla unquam oppida, quæ semel in suum fœdus cooptatum fuisset, eversuros; nunquam quemquam ab eiusmodi oppido aquam aversurum; denique, in puniendis iis, qui has leges suæ fraternitatis violassent, omnes semper concordes futuros.

Deus eorum summus, Zeus, Dodonam incolit. Ipsi existimant hunc eundem esse Zeum Lelegum atque Pelasgorum, quem Cyretes Cretenses cantu, choræisque celebrant. Perinde ac Báal Samáim, is quoque existimatur Deus esse aeris cœlique, item filius cœli atque terræ. Is idem fuisse perhibetur, qui Deam Phrygiorum Europam in insulam Cretam raptam detulerit. In meridiana insulæ parte, in valle exigui rivi, Lethes, urbs erat Dorum, quam quidem ego nunquam videram, quam ipsi Hellotin appellant, ubi platanus est, cuius sub umbra Zeus atque Europa requievisse feruntur. Alia quoque urbs est in insula, nomine Cnossus, condita, ut opinor, a Phrygiis, in qua Zeus creditur, præter alia loca, sedes habere.

Alterum Numen, pæne eiusdem potentiæ, Apollo est, sagittarius ille atque vates. Ut vates, Pythicus cognominatur, atque Delphis residet, ubi ipse de futuris consulitur. Dores eum singulari veneratione colunt, quoniam hos ipse, sub forma delitescens delphini, per maria transduxisse perhibetur. Hunc cum sagittario Deo Phœnicum, Báal Sillech, quem colendum nos ipsi Græcos docueramus, unum eundemque esse verosimile est; ac fieri etiam potest, ut, quum is navigationem eos docuisset, specie delphini eum fingant.

Arcanus quoque ille Deus Hermes, Numen occultarum naturæ virium, perinde summá veneratione colitur. Hunc cultum eos ab Ægyptiis didicisse vix in dubium vocare ausim; attamen, utut res se habeat, hunc eis a vetustissimis temporibus cognitum fuisse certum est.

Cydonii ad eos cultum Artemidis invexerunt; venerationem autem Astartes ipsi nos eos docuimus, quam iam supra omnia alia Numina evehere apud eos usu venit.

Nomina *Béel-zébub*, *Báal-Péor*, *Él Adonai*, *Sémos*, aut vero *Cabiri*, Græcis omnino ignota sunt. De statu Cabirorum

plane nihil compertum habent, neque prorsus sciunt naves suas duce septimo Cabirorum, Stella Polari, dirigere; atque, ut verum dicam, hi admodum ignavi navigatores sunt, raroque audent e conspectu littorum discedere. Navigia quidem eorum satis magna sunt, sed inscite facta, nequaquam constrata, rudentibus inepte applicitis, saburrá imperite gravata, unde necesse est ea iactari et vacillare, sive velis seu remis agantur. Denique, hi parum etiam exploratum habent, quantum quisque locus ab altero remotus sit, quæ cuiusque regionis sit conformatio, omnino ignorant; hinc fit, ut a suis peregrinationibus quacunque etiam minutá temperiei mutatione, aut fluctuum cursu, facile deterreantur.

Oppida sua in locis aditu difficillimis sita sunt, et lapidibus rudibus, in speciem maceriæ, sine arenato coagmentatis, sunt munita. Domus ipsæ perinde e rudibus confectæ sunt lapidibus, aut vero e lateribus sole coctis, neque gurgustiis multo præstant. Incolæ omnis pæne artis sunt plane rudes, præter sua ærea spicula, asciculos, loricas atque galeas, quæ quidem inconcinnæ sunt, tamen adornatæ. Hi equitatum nullum, sagittarios paucos habent, gladiis raro utuntur, sed plerumque iaculis pugnant, quo genere telorum maxime delectantur, ita ut et duces, sive e pedibus, sive ex essedis pugnent, hoc iaculari soleant. Comminus pugnantes, genus pugionis adhibent quorum extremitates in similitudinem harpaginum aduncæ sunt. Gratiá tempus terendi, Hannibal, subinde Sammai, Hannone accito, gladio sese publice exercuerunt, quum catervæ Dorum circum eos confluere solebant, quæ stupentes mirabantur, quemadmodum gladii micantes librarentur, modo ad celerem ictum, modo ad vitandum et elidendum ictum, modo fulminis instar ad pungendum protrusi, aut ad vulnerandum adverso mucrone sursum illati, ut in ludis gladiatoriis Chaldæorum, Philistæorum, atque Iudæorum cernuntur, qui ludi magnum usum ac dexteritatem impertiunt.

Clypei, quibus utuntur, rotundi sunt, fiuntque e corio bubulo, quos vero principes gerunt, lamellis æneis contecti, picturisque ornati, a cæteris discrepant. Antequam ex insula discessissemus, rex Dorum loci Hellotis ad nos visum venit, atque in cambium pro uno nostrorum scutorum quinos et vicenos bo-

ves obtulit; at ego concessi illi scutum erga aliquot gagatas, monilibus aptas, atque erga par ingentium apridentium, quos ipse de continente secum tulerat, quique nunc parietem ædis Astartis, Sidoni, ornant.

Tertio post nostrum in insula adventum die, unum nautarum, qui in pugna cum Ægyptiis sagittá vulneratus fuerat, gangrená vulneris confectus, obiit. Ritu nostro, omnes naves, luctus causá, nigris telis decorandas iussi, quæsivique ex incolis insulæ, siquo in loco specus reperiretur, ubi cadaver sepeliri posset. Triginta circiter stadia ab eo loco ubi tunc eramus, antrum nobis indicarunt, et se omnino paratos ostenderunt, ad omnia, quibus auxilio nobis esse possent, quod et ipsi munia sepeliendi mortuos maximá curá obire consueverunt; quin nihil adeo perhorrescunt, quam mortuis sepulturam negare, atque funebria negligere; et hæc potissimum causa esse credenda est, quæ eos a suscipiendis longinquis a littore maritimis itineribus deterreat.

Postea quam cadaver pollinctum, ac feretro impositum erat, humeris nautarum in locum sepulturæ, in antro, deferebatur, catervis Dorum, turbaque mulierum plangentium comitantibus. Cavum, in quo cadaver recondideramus, perquam profundum, sed minime celsum erat. Sepelivimus autem cadaver non modo id solum ibi relinquendo, verum etiam tabulas, et duos remos, e quibus feretrum factum erat. Postquam aditus speluncæ, magnis saxis advolutis, item humo lapidibusque omnino obrutus et occlusus fuerat, Hanno, voce, verbisque solemnibus, Numina Menath, Hoch, atque Rhadamath, iudicum Manium in Seól, invocare cœpit.

Omnia hæc tria Numina nostræ nationis Doribus cognita sunt, eaque nominibus *Minos*, *Eacus*, atque *Rhadamanthus* appellant. Persuasum iis est Minoem, antequam iudex inferorum creatus esset, regem Cretæ fuisse, et quum peritissimus artis navigandi exstitisset, usque ad continentem, ad Ionios navigasse, hos autem illi, veluti tributum, certum numerum puerorum atque puellarum dedisse. Quod ad Rhadamanthum attinet, eum a semidiis Phœnicibus in insulam Chalcidem fuisse allatum arbitrantur; revera tamen ipsi videntur hunc Deum ipsum cum

nautis Sidoniis confudisse, quorum operá ad eius notitiam pervenerant. Eodem modo, ut opinor, Europa, quam Zeus fertur rapuisse, atque Ariadne, primum uni semideorum, tum Dionyso, Deo fluminum, cognita, nihil aliud nisi diversa nomina sunt Astartes, quæ inde a temporibus quibus Phœnices primum ad sua littora vinum importassent, in memoria eorum perseverarunt. Perinde a nobis derivarunt notitiam nominis *Chusor Phtah*, Dei incudis, quem ipsi *Phtos*, sive *Phaistos*, appellant. In summa, quæcunque ipsis sit familiaritas sive cum litteris, ac vino, sive cum usu metallorum, a Sidoniis derivasse verosimillimum est. Quod vero nostras spectat cognitiones, ut a nostris maioribus accepimus, eæ in prisca vetustate originem ab Ægyptiis repetunt, qui, vicissim, suam scientiam a se etiam longe vetustioribus Atlantibus, didicerunt, qui iis temporibus, quibus Mare Magnum ad Meridiem Libyæ usque patebat, e terris occiduis, nunc iam dudum Oceano mersis, trans Æthiopiam in has regiones venerunt. Quam verum itaque est unam gentem alteri in vices succedere, sic, perinde, solos Deos immortales ac sempiternos esse."

Dores iureiurando spoponderunt specum, in quo socium condideramus, nunquam contrectatum ac profanatum iri; quo facto, ad naves nos recepimus, quæ pro reliqua diei parte nigro velatæ manserunt.

Sub vesperum Hadlai cum suis sociis ad nos reversus est, non sine copia rerum emptarum. Inter eos Ionas, haud parum sibi tribuens, itabat, caterva hominum de monte eum comitantium circumdatus, vitulum in collo baiulans.

"Quidnam ages de illo vitulo?" interrogo eum.

"Utique comedam!" respondet ille; "merui eum."

"Quídum? tubá canendo?"

"Minime vero. Nequaquam tubá canendo, sed certando. Ill enim fortissimos quosque suos mihi opponendo, me ad certamen provocarunt, ego autem cunctos prostravi, sicque vitulum merui. Eximia, profecto, regio ista est. Si modo mihi vitulum offerant, omnes, Hercle, ac singulos eorum prosternam."

Tum regem Dorum conspicatus, cum grege boum adventantem, eum his verbis inclamat:

"Quin tu quoque! Da sis mihi buculum, iam et te prosternam; sin dederis, omnia ossa tua intra pellem tibi comminuam."

"Tace, stulte!" inclamo eum ad saniora revocaturus. Rex nihil Phœnicice intellexit, et ob id quærebat, quid hic dixisset; sed ego rem declarandam non putavi.

Ionas tamen secum gannire non destitit: "Quin, profecto, cur ego a certando, quum ipsi velint, desistam? Si quem e tribu Dan, aut Iuda, ad certamen provocarem, mox intra costas meas mucronem versari sentirem. At hicce terrarum certamina amant, meque ob id vitulo donant. Præclarum regnum istud!"

Sub vesperum eius diei Caurus moderatior flabat, non tam asper ut consilium proximo mane solvendi mutandum putaremus. Dores non sine magno stupore exceperunt nostrum propositum anchoras solvendi, nec palam fateri dubitabant se nullo pacto posse induci, ut tali vento mari se committerent.

"Potestne id reverá fieri," interrogat unus primiceriorum, "ut tanto vento coorto, fluctibus vosmet concredatis?"

Postquam eum certiorem reddidi nihil nos a proposito deterrere posse, sic prosequitur:

"Et hoc plane memores tempestatis tam sævæ et immanis suscipitis, quá furente veneratis? Reverá vos semideos esse necesse est."

"Anne putatis mihi Cabiros non satis propitios fuisse?" interloquitur Himilco, "salum me siticulosum reddidit; tum Cabiri culleum vini generosissimi mihi miserunt."

Primicerius, nullá nugarum ratione habitá, prosequitur:

"Dii Phœnicum, profecto, sollicitá curá suæ prosapiæ invigilant. Memini eorum carpentum, per fluctus æquoris, ad ferendam vobis opem currens, me vidisse; nec memoria huius rei mihi facile elabetur."

At nunc, vicissim, Himilconem stupor perculit.

"Carpentum Deorum super fluctus?" mirabundus quærit Himilco; "qualenam id fuit?"

"Celsum, quasique rotundum id erat, atque pictum colore vestræ gentis vectum ab immanibus marinis belluis, super aquas ruentibus."

Ipse hæc formidine quadam narrabat. At mihi suspicio quædam subita incidit, eum fortasse onerariam Bodmilcaris conspexisse, quæ quidem micantibus fulguribus, insueto lumine collustrata, satis apte poterat varias figuras ac species alternis vicibus induere videri. Hæc, submissá voce, Himilconi significavi, qui sic respondit:

"Si Bodmilcari contigerit hunc Deum marinum fuisse, carpentum eius Dei marini, ad iugulandum eum, conscendere libenter voluissem."

Dum sic sermocinamur, animadverti Hamilcarem, aliosque plures, aliquid, quod undæ in littus everrerant, accuratius observare, et contueri. Cupiditate inductus cognoscendi, quid eos alliceret, ego quoque accedo, videoque aliquot fluitantia fragmenta navis.

"Hoc quidem opus Phœnicium non est," inquit Hamilcar, clavum indicans trabalem, qui usque tabulæ hærebat.

"Nequaquam," inquam ego in assensum, "si enim de crassitudine tabularum, deque clavis trabalibus iudicandum est, dubitari nequit, quin navigium fractum Ægyptiacum fuerit."

"Aspice modo hoc," instat Himilco, "en argumentum, quod refelli nequeat: collum anserinum de prora."

"Fieri certe potest," respondi, "naves quasdam Ægyptiacas Bodmilcarem comitatas in interitum suum fuisse, quod contumeliam tempestatis ferre non possent.

"Lubet sperare," interloquitur Gisco, "Bodmilcarem idem fatum non expertum, quem mergi minus condignum fuerit; nam ego laqueum probæ crassitiei circum collum eius mallem cernere. Præterea, scordalus ille dodrantem mercium nostrarum obtinet, quem ab eo repetere cuperem."

"Tantum cupere nimium est," subiungo ego, "interim iam conscendendum nobis est. Iter Siciliam versus instituemus, ubi, fortasse, licebit tibi aures amissas recuperare."

Vultus senis gubernatoris torvus leni risu renidebat.

"Donec ventus se vertat, flexivice nobis incedendum erit," moneo ego, ac versus naves procedere cœpi.

Hoc ipso tempore rex Dorum accessit, vultuque gravi, quasi quid summi momenti dicere haberet, repente sic me affatur:

"Tu Phœnix es, princeps pelagi, ego vero princeps Dorum, moderator populi mei sum; eatenus sumus pares. Hi boves, hi equi, hæc carpenta mea sunt; e tricenis pagis meis duodena hominum millia cogere valeo; Deorum favore fruor; sum rerum potens."

Iam certum et indubitatum existimabam fore, ut ille quibusdam gravioribus postulatis nos lacessat; at vero vel unico obtutu perspiciebam eum nullá facultate ad aliquid vi tentandum pollere; nam non modo Hanno, Sammai, Bichri, Ionasque usque in littore morabantur, verum etiam Hannibal, quadragenis armatis stipatus, iuxta præsto erat. Regi vero vix triceni hastati ad manum adstabant. Nullum itaque illi responsum dedi, sed ut pergeret exspectavi.

"Moderator Phœnicum," prosequitur ille, "abs te flagito, ut *pilleges* Chrysidem mihi vendas; nihil nisi pretium tibi indicandum est, et id tibi solvetur."

Hanno prorsum ruere gestiebat, sed ego eum coercui.

"Rex Dorum," respondeo illi, "Chryseis venum non prostat. Verumtamen, penes eam respondendi arbitrium est. Tua erga nos humanitas ac voluntas maximæ certe fuerunt, nec ex parte meá quidquam oberit vicissim, quominus virgo in tuam cedat potestatem; at hoc eá scilicet lege, ut ipsa suo proprio arbitrio atque voluntate tua sit."

Hanno oculos cupidissimos in Chryseidem, modo supplices ad me, convertit.

Tunc rex ad eum locum, ubi puella stabat, accedens, manumque porrigens, sic fatur:

"Filia Heliorum, propinquorum nostræ tribûs, veni, et fac ut regina fias Dorum Hellotidis."

Ipsa oculis in terram defixis stabat, nullum tamen responsum reddidit.

"Zeus, Apolloque eligenti tibi adsint!" prosecutus rex, "velintque afflatu suo respondenti tibi interesse! Ausculta, atque assentire! Nulla unquam Doris cor meum satis affecit, tenuitque,

quamvis nulla prorsus sit, quin si sibi a me eligi contingeret, merito se superbire existimaret. Honores et copia meam sponsam affluent. Servæ eam circumsistent, pro ea texent, cunctaque ad eius nutum facient; dapes exquisitissimæ mensam eius complebunt, a trecenis capellis, quinquagenisque vaccis processæ, domusque sua omnibus abundabit rebus, quas opes comparare queant."

Tunc silentio exspectabat quum ipsa loqueretur; at illa usque alte siluit.

"Domus mea," prosequitur rex, "lapidea est, ut Ægyptiorum, atque intra eam, Chryseis, reconditæ arcæ et armaria sunt, in quibus torques, et margaritæ, aureaque pro capite tuo diademata occultantur. Hæc omnia tua erunt, tuque prima ac nobilissima omnium mulierum Cretensium futura es."

Chryseis pedetentim sublevavit de terra oculos, manumque Hannonis humero impositam servans, voce firmá, quamvis dulci atque leni, sic respondit:

"Zeus noster Optimus et Maximus me Hannoni attribuit, et apud Hannonem perseverabo."

Dores responso læsus, et in iram succensus, tantum quod terram pedibus non tundebat.

"Quid?" clamitabat ille, " tune subditum Phœnicium regi Græcorum anteponis?"

"Scito," respondet Hanno, "Scribam Phœnicium cuicunque regi æquiparandum esse. Præter meum Navarchum, híc adstantem, Deosque immortales, supra, nullius auctoritati pareo."

"Etiamsi ipse humillimus nautarum huius servitii esset," prosequitur Chryseis, "corde eius essem. Etenim eius Dea Astarte, me in discrimine positam, eius esse voluit, Zeus autem, Deus meus, eius esse confirmavit."

Rex Dorum nihil ultra tentare poterat. Virentia prata, umbrosas sylvas insulæ, domicilio, furentibus undis quassato ac fragili, comparando, in cassum iactabat; Chryseis aquas tantis delitiis, quantis terras pollere autumabat. Denique, quum iam cum eá nihil proficeret, rex me appellavit; sed quum perspexisset me in consilio perseverare, sinereque ut puella in eligendo suo

arbitrio uteretur, edito murmure, indice iræ, carpentum insiluit, subitoque discessit.

"Mea imposterum es!" lætus affatur Hanno Chryseiden, dum eam interea ad navim deducit. "Eris nobis in sacerdotem Astartes, custos et tutela omnium nostrum." His dictis propius eam ad latus suum trahit.

His gestis, vela sine morá passa erant, atque remiges in suis transtris consederunt. Relicto littore, magnis flexibus sub ventum appulimus, quo capto, in quinûm horarum spatio extremum ad Aquilonem promontorium Cretæ superavimus. Sub noct prætervecti eramus saxosa littora Cytheræ Minoris.

Tuta, tametsi tædiosa, bidui navigatio ad ostia Acheloi fluminis, ob colorem aquarum Albi Fluminis a nostris nautis appellati, pervenimus. Transvecti sumus inter sinuosam ac fertilem continentem, atque insulas Cytheram, Zacynthum, atque Cephalleniam. His in aquis, navigando aptis, semper in conspectu terrarum, plurima Græcorum navigia omnis generis nobis perpetuo sub oculis versabantur, onera mercium, non modo propriæ industriæ ac fabricationis, sed etiam a Phœnicibus factarum, quaquaversum vectantia.

Mare, quum ad ostia Acheloi perveneramus, tranquillum erat; sed paullo post flabra ex Aquilone coorta sunt validiora, nobis perquam exoptata, quibus ad Fretum Siculum pervehi cupiebamus. Apud navigatores usu venit littora Græca sequi, ad iter trans mare minus tædiosum evitandum, et a Corcyra iter flectere; sed modo, ventis secundis, idem, iactura debebat existimari temporis. Quamobrem, quum et commeatus, et aqua potabilis nobis affatim suppetebat, placuit, consilio visendæ Græcæ metropolis posthabito, per apertum Mare Meridianum, Italiæ promontorium petere viá rectá. Sub itinere, ubi secundum angusta, quæ Cephalleniam a parva insula Ithacæ dividunt, navigaremus, obviam facti sumus gaulo cuidam Sidonico, atque aliquot actuariis, quibuscum collocuti, repereramus, eos ab ostiis Eridani, in mari Iapygeo domum tendere. Bodachmon, navarchus gauli suadebat, ut ad Ithacam anchoras iaceremus, atque siquid curæ eius committeremus, ipse Sidonem perferret. Ego quidem libenter assentiebar, sed prius sua navigia ivi visum.

Onus suum præsertim ex haud magna copia auri, tam in pulvere, quam in micis, constabat; maior tamen pars e crystallis saxeis, quæ incolæ ad ripas Eridani ab iis obtinere solent, qui montes circa fontem eius incolunt. Bodachmon partem mearum graviorum mercium pro suis levioribus permutare, ac Sidonem devehere paratum se præbuit, item ad omnia præstanda, quibus damnum e proditione Bodmilcaris in nos redundans compensaretur. Historiam proditionis Bodmilcaris summá audivit indignatione. Tantum scelus violatæ fidei, suá memoriá, se nunquam expertum esse aiebat, seque facturum, ut is eventus non modo ad aures regis Hiram perveniret, verum etiam ut infamia Bodmilcaris in tota Phœnici pervulgaretur, ita ut si proditor, sive Sidonem sive vero in Chittim, vel in quibuslibet coloniis naves appelleret, pœnam meritam daret.

"Nunc vero," inquit Bodachmon, "ad negotia procedamus. Quasnam merces offerendas habes?"

Respondi illi me modo merces Cretæ comparasse; quæ sive in Ægypto, sive etiam domi, sine labore vendi possent, uti cuprum, pelles bovinas, lanea, ingentiaque cornua caprina; docebam etiam eum insuper, si Cretam ipse adire vellet, innumera mancipia fœminina ibidem eum reperire posse, æquoque pretio præstinare.

Placuit illi consilium, seque id secuturum confirmavit, ratus fieri posse, ut merces inter nos mutuo commodo commutare queamus. Tunc sciscitari cœpit, utrum aliquid vini ipsi concedere possem, quod sua eius rei copia iam ante hos sex menses absumpta erat, nec apud Iapyges Umbriosque, quorum in finibus nuper versatus erat, facultatem dolia sua complendi habuerit.

Quoniam naves nostræ suppetiis, omnique commeatu abundabant, libenter sum opportunitate usus eum cum duobus naucleris gubernatoribusque suis in Astarten invitandi, ut nostræ dapis, e carne recenti, e cæpullis, ficis aridis, caseo, vinoque confectæ, participes essent. Hospites, navis supellectilem, instructionemque omnem, admodum demirati erant; Bodachmon autem merces, quas cum eo campturus eram, diligenter perscrutatus, aiebat sibi videri, me rite a se compensatum iri, si crystalla in pretium non recusem.

Dum hæc geruntur, Bodachmon subito exclamat: "Per Astarten! Equidem hospitalitatem tuam me reciprocare posse arbitror. Etenim Corcyræ versatus, Græcum quemdam in navim suscepi, pollicitus ei, si quo modo possem, eum Cretam perlaturum. Is quidem senecio est, pæneque cœcus, totius tamen terrarum orbis historiam callere videtur, nec eum hac in re sive Sanchoniathon, sive Elhanon, Iudæus, superare, aut ei æquiparari posse videtur. Ipse res fortiter gestas Deorum, Heroumque suæ gentis canit, lyrá accinens, nec aliis adminiculis ad solvendum naulum pollet. Iuvabit te eum audire."

Missus itaque est qui venerandum vatem accerseret. Is paullo post coram adfuit. Staturá habituque corporis vates singularem gravitatem dignitatemque præ se ferebat, versantesque secum in sui admirationem rapiebat. Cana ac demissa barba etiam venerabiliorem eum reddidit. Manu lyram testudineam gerebat. Nomen ei Homero erat.

Ipse sic nos affatur: "O Phæaces, reges pelagi, qui terrarum arcana scrutamini, naves vestras Deorum Numina protegant! Iam oculi mei caligant, nec acie herbida prata cum armentis læta pabula carpentibus consequi queo, nec virorum fortium micantia cernere arma galeasque, quin et ipsum solis beneficum iubar vix visu assequor. Verumtamen Musæ, e beatis suis sedibus, iuxta Peneum, mihi dederunt dulcisono modulamine canere, ita ut quo demum cunque me divertam, res Deorum hominumque egregie gestas cantu concelebrem."

Vati grandævo poculum porrexi generosissimi nectaris, une alacriorem nactus animum, carmina sua cantare orsus est Mihi quidem sensus cantuum vix vel parum patebat; sed Hanno, qui Græce apprime callebat, extra se rapi videbatur, atque in signum grati erga vatem animi, pallium suum ei donabat, quod quidem ex optima lana Helbonica texta, atque floribus exquisitis acupictum erat.

"Nihil unquam huic simile me audivisse memini;" scriba, spiritu pæne intercluso, stupens fatur; "hæc quidem gens, quantumvis ignara artis navigandi atque mercandi, nullo pacto tam barbara, quam nostris prædicare placet, existimanda est."

Hannibal, qui hactenus silens adstabat, c subiunxit:


"Quondam mihi in urbe Ur, in Naharan, versanti, obviam factus est vir quidam, cuius memoriam iste poeta errabundus in mentem revocat. Is Ægyptius quidam erat, atque eo prorsus modo atque Homerus noster, circuibat regiones, suáque lyrá propriá cantus modulari consuevit. Ille quidem minoris erat ætatis, atque unum circa mores eius admodum peculiare videbatur, nimirum, quod simius ipsi societate iunctus erat, qui more mimorum, omnia eventa, quæ ipse cecinisset, vultûs, manuumque gestu, repræsentaret. Ex mea quidem sententia, quum Chryseis sua canit heroica, etiamsi ne verbum quidem capiam, tamen auditu delectabile est, vox ipsa dulcedine animum permulcet. At cantica senis huius vatis hebetia sunt; multum igitur iuvaret, si ipse quoque simio cum comite circuiret, qui gestu interpretaretur."

At Hanno, hunc in modum cavillantem Hannibalem sic retudit:

"Hannibalem miræ esse dexteritatis, scimus; nec mihi dubium ullum est, quin partes eiusmodi simii ipse ad amussim acturus esset."

Aculeum verborum in malam partem interpretatus, Hannibal graviter respondit:

"Equidem nescio utrum ego cæteris meis popularibus Arvad dexterior sim; hoc tamen unum asseverare audeo: si linguam huius senis callerem, verba eius simio melius interpretarer.



CAPUT VIII

Negotiolum cum Phociis.

QVIBVSDAM nuntiis negotiisque Bodachmon commissis, præsertim autem litteris regi Hiram tradendis, ei, atque suis, valedixi. Exortis interim flabris secundis, post meridiem anchoras solvimus, iterque versus Italiam ingressi sumus. Ut vero fretum inter insulas Cephalleniam atque Leucadem pernavigaremus, paullo ad Septemtriones nobis deflectendum erat, quo facto, iterum-prope rectá ad Orientem nobis vertendum erat, ut Meridiem magni sinús Iapygei assequeremur.

Cabiri nos dena prope stadia antecesserat, proinde tam longe a nobis aberat, ut quum promontorium Cephalleniæ versus Meridiem superasset, oculis consequi eam non possemus. Vix autem *Cabiri* e conspectu nostro disparuerat, clangorem tubæ, indicium periculi, me ab ea audire mihi videbar. Hoc audito, armatos meos in procinctu esse iussi; nec incassum, nam quamprimum promontorium prætervecti in conspectum *Cabirorum* veneramus, eam non modo circiter vicenis Græcorum navibus maioris generis circumdatam animadverteramus, sed etiam propositum, quo et aliæ circiter quinquagenæ naves eo tendebant, perspeximus.

Rerum status hic fere erat: Dum nos circa littora insulæ ad Orientem navigabamus, hostes in Occasum tendebant, unde evenit, ut *Cabiri*, promontorium circumvecta, in insidias hostium imprudens incideret; quod quidem, quum hæc velis longe plus posset, si hostium adventum cognovisset, classem eorum facile effugere potuisset. At nunc, omnino ex improviso in medios

hostes incidit. Quoniam vero onere minus gravis, æneo rostro munita non erat, nec ideo ad arietandum apta, nihil prohibere posse videbatur, quominus hostes eam conscendant, nisi loci spatium, quo ad hostium usque adventum ita usa erat, ut celerrime quam posset, circumcursaret.

Nihil itaque moræ indulgendum erat. *Dagon* omni, quá par erat, celeritate in promiscuam navium catervam inferebatur, quæ ex inferiori parte appropinquabat, ego autem ad liberandam *Cabiros* properavi.

Adversarii, quibuscum *Dagoni* congrediendum erat, formidabiles haudquaquam videbantur. Vel singulo obtutu satis clare constare poterat, nec manus admodum bellicas esse, et natura oneris, quod e frugibus agrorum constabat et instructionum apparatu, satis ostendebat nostros navibus onerariis incurrisse. Hannibalem quoque idem censuisse manifestum erat; nihil enim metuendum existimabat, namque, quum signo dato armatos suos monuisset nihil esse quare arcus suos tenderent, vidi eum ut suis lævorsum flexo gradu, in navim appulsam, armatisque conferctam, citato cursu desiluerit.

At vero alia pars sollicitam curam meam magis flagitabat. Adversarii etenim, quibus ego occursurus eram, quamquam numero pauciores, quum omnes essent probe armati, magis videbantur formidandi. Tametsi omnibus intentis viribus ad frontem progredi eniterer, nihil profeci; nam priusquam intra bina stadia ad *Cabiros* accedere potuissem, hostes circumfusi invadere eam cœperunt, nostris, pro parte virili acerrime dimicantibus. Vidi Hamilcarem mediá hastarum fulgentium procellá, scuto obiecto, lævá manu se tuentem, dextrá autem gladium librantem, ut magnis rapidisque ictibus hostes prosternebat, aut certe abs se arcebat. Vidi et Gisconem, ut tergo ad puppim celsam applicato, hoc ipso temporis puncto securim sursum extollens, in caput adversarii demittebat, qui, excusso cerebro, ad pedes eius corruebat. Eodem tempore quinæ senæve naves maiores, ut nos ab auxilio ferendo prohiberent, viam nostram intercludere conabantur. Item audivi stridulas armatorum voces, clamorem bellicum tollentes: "Io Pæan! Io Pæan!" Vir quidam præclaræ staturæ, qui ipsis præesse videbatur, in edita prora celsissimæ na-

vis stabat cristatá galeá, scuto, loricáque cupro micantibus, atque hastam, non aliter quam si insaniret, librabat. Iam eum digito parabam Bichri indicare, verum ipse, nunquam non alacer, altero genu iam demisso, sagittáque arcui aptatá stabat, opportunum opperiens tempus, et, simulac propius, intra ictum veneramus, arcum ad aurem sublatum tenebat. Nec mora. Sagitta sibilans per aera ferebatur, atque præfectus, ambabus in altum sublatis manibus, lethali vulnere confossus, præceps in aquam decidit.

"Nunc, nunc, viri!" inclamo meos, "nunc instat vestrum tempus; irruite! Macti virtute este! Impetite barbaros; insilite, cædite!"

Astarte ingenti vi prorsum pulsa, vehementi ictu impingitur adversæ navi, quæ extemplo deprimitur, ac spumante gurgite hauritur, quá victoriá liberati, versus aliam navim, quæ nos a dextro latere vexabat, animum sine mora convertimus.

Nautæ eius navis, ad nostram conscendendam æquo cupidiores, unum latus navis ultra modum stipabant; ego vero, quum probe cognoscerem quam inepte, contraque rationem naves struendi probatam, Graecanicæ factæ essent, quamque facile everterentur, flexivice ad latus eius adversum transcendens, citatim in eam invehor, eamque dicto celerius everto, et hoc sine labore.

Quamquam *Cabiri* interea magná fortitudine, acrique certamine, suam partem sustinebat, tamen magno labore nobis contendendum esse existimavi, si eam servari, salvamque continere vellemus. Magná cautelá, omnique arte navigandi usus, naves in circuitu nos infestantes, latissimo circulo descripto, elusi, ac devitavi, atque *Cabiris* opem laturus, ad eam accedere omnibus viribus contendi. Hannibal hac morá maximo bono suo usus est. Sagittarios etenim suos provide in puppi dispositos habuit, cæteros autem milites in duos manipulos divisit: ut unus paratus in procinctu eum ducem sequeretur quum *Cabiri* invadenda esset; alter autem, ut suam navim, si hostes in eam impetum facerent, aggressores repelleret.

De *Dagone* prorsus nihil sollicitabar. Probe enim perspectum habebam eam non modo suas partes tueri posse, verum

etiam promiscuum examen navigiorum hostilium, huc et illuc inter ea cursando obterere, et sibi occurrentes deprimere et evertere ; atque missis sagittarum imbribus, necnon vasis ardentis picis aliarumque rerum flagrantium, ipsa tanta oppugnatoribus incommoda inflixit ut horum ululatum, eiulationesque ob dolorem ac detestationem, ipsi nos exaudire possemus.

Hannibal suos, quos ad tuendam navim relicturus erat, paucis, et simplicibus verbis cohortatus, monebat eos, ut mandatis Sammai obtemperarent, seque confidere aiebat fore, ut officia sua præstituri essent; tum ad eos, quos secum educturus erat, conversus, sic eos affatur: "Commilitones! certamen nobis imminens gladiis, comminus, perficiemus; mittatis hastas. Destringite gladios et ad proram parati adeste."

Ego vero, ex meá parte, remiges constanti remigio navem impellere iussi; vix tamen hi se ad opus composuerunt, quum duas scaphas, de navibus longis ad nos invadendos submissas, frustravimus.

"Ad machinas!" inclamo ego, "sagittarii, intendite arcus!"

Nautæ nostri Bichri, ictu oculi in tormenta ac scorpiones se coniecerunt, et eodem fere tempore lapides, sagittæ, iaculaque cum pice ardenti utrimque effundi ac pluere cœperunt. Milites Hannibalis, loco, ubi stare iussi erant, sese continebant; armati autem Sammai, malum circumsistentes, tempus opperiebantur, quum in certamen ducerentur. Bichriaci, suppositis suis arcubus pharetrisque, pugionibus gladiisque destrictis, adventum hostium præstolabantur; denique Ionas, sepositá tubá, vectem magni ponderis, cuius ope plerumque duobus nautis baiulantibus anchora sublevari solebat, apprehendit, seque ad dimicandum armavit.

"Accedite, Dodánim!" clamat ille, "si erga unum vitulum vobis paulisper conquassari lubeat; quin et melius vos soluturos spero, si hunc contum vestris humeris applicare mihi detur. Mallem, profecto, par buculorum utremque vini. Cæterum ad pulsandum omnino paratum me sentio, non aliter quam Samson ille olim ad molam."

Tempus denique agendi advenit; quo cognito, meos in certamen descendere iussi. Magno fremitu concurritur. Ex ima

prorá clamor terroris ac maledictorum exauditur, ut acies proræ æneæ, vomeris instar, sulcat æquor, cum multo obtritarum navium fragore. Primum quidem navigium nobis obiectum impetu nostro detersimus, multumque afflictatum a tergo reliquimus; alterum, quod dextro lateri nostro assultum minitabatur, fregimus; tertium, quod lævo imminebat, evertimus; et, quum nostri, post exantlatos ingentes labores, spatium nacti essent spiritús ducendi, a *Cabiris* vix dimidium iactús sagittæ aberamus. Tam prope, profecto, ad eam accessimus, ut Hamilcarem, cum cruentato capite, Gisconem autem securi non procul dimicantem, passisque capillis elaborantem, clare discernere poteramus, perinde ac denos duodenosve nautas, qui pedes ad puppim retulerant, ubi de eventu fere desperantes, sese contra agmen oppugnantium, quorum numerus, quum continenter novi, ac viribus integri, accessissent, crescere videbatur, in extremum deducti discrimen, tuebantur.

"Adesto, Mago!" inclamat me Hamilcar, ubi nos appropinquare vidit, "adesto! ferto opem!"

"Macte es, socie!" ad eum reclamo, "actutum aderimus."

Perspecto protinus, quo in statu res nostræ essent, gubernatorem dextrorsum navim flectere, et in medium hostem invehi iussi, ad remiges autem hæc clamavi:

"Intendite vires, remiges, maximo quo potestis nisu! Uno vehementi pulsu ad latus aderimus; tunc quiescetis!"

Remiges in summum connisi, navim in tantum cursum concitarunt, ut ea hostium navigium nobis obversum, celeri impetu ex adverso feriens, in medio bifariam diffregisset. Proximo iam temporis momento latus *Cabirorum* assecuti sumus. Hannibal, stupá quadam apprehensá in stegam eius prosiluit, quem cæteri eius milites secuti, omnes in mediam pugnam irruerunt.

At mihi otium ad exitum prœlii cernendum haud suppetebat. Vix etenim hi digressi erant, quum subito verbis Hannonis clamantis obstupui:

"Ecce, Navarche, iam et nos habent!"

Ut me converto, obviam mihi vidi turbam Græcorum, qui interea non modo sepserunt *Astarten* suis navibus, sed et a puppi eam catervatim conscenderunt. Primum eorum, qui in altum

elatá hastá mihi occurrerat, gladio, capulo tenus ei immerso, confodi. Nec Hanno aliter, qui, gladiatoriá usus arte, quam non adeo pridem híc, in stega, docendo discendoque exercuerat; nam dum lævá suá ictum adversarii averteret, dextrá humerum eius perfodit, eumque celeriter prostravit. Sammai vero modo hac, modo illac declinando, modo se deflectendo, modo, denique, ad summum se erigendo, gladium mirá celeritate vibrabat. Primum terni hostes se in eum præcipitabant; horum unus mox titubans, seque versans, ante pedes eius concidit; alter manu videbatur proprium latus palpare, ac vacillando, pugná excedere; tertius vero ad solum usque proclinatus cernebatur palmis suum pectus obtegere, sanguine inter digitos eius emanante.

Bichri quoque plane solus obviam parvæ manús hostium lanceis fiebat. Certamen perquam iniquum erat; tamen, mirum dictu, superior illis evasit, et gladio pugioneque cruentatis ad suos se recepit. Et Himilconi arrisit fortuna. Nam quum ab hostibus premeretur, gulam unius prehendit, ac, dum hunc ad malum retrudit, pugioneque cor eius transfigit, cœteros gladio arcet, et celeri motu alterum obtruncat, alterum in fugam agit.

Verumtamen hoc in prœlio formidabilem Ionam laude fortitudinis superavit nemo. Tanta strages ab uno memoriá hominum edita nunquam fuit. Capita frangebantur, membra laniabantur, costæ infringebantur, ossa spinæ, ossa iuguli, scapulæ, vertebræ pectoris, lacerti, confringebantur, contundebantur, et in festucas comminuebantur, ut ingens vectis sursum ac lævorsum magná vi librabatur, ut ipse adeo aer reverberatus sibilaret.

"Cede spatium! spatium, inquam!" gigas Iudaicus voce Stentoriá boabat, dum telum suum horribile vibraret: "ferte mihi buculos, oves, vitulos, placentas, vinum; quidlibet aliud, prandium enim probo labore mereri volo." Tunc vecte iterum quaquaversum feriens, gigas identidem clamitabat: "Spatium cedite! spatium, inquam!"

Interim terni aut quaterni Graii unà in me impetum intendebant. Alteri horum, qui lanceá scutum mihi excusserat, gladio genas cæcidi, sed ipso eodem temporis momento me ab altero sensi gulá prehendi, qui me retrorsum presso, iam machærá suá me obtruncaturus erat, quum Hanno eum carpo prehendit,

lagdiumque illi sub axillam immersit. Tunc alteri duo mihi irruebant, ac luctantes omnes tres nostrumdenique in solum cadentes volutabamur, quum tertius insiluit, vidique ut spiculum eius fulgens pectori Hannonis imminebat, quum Sammai, opem laturus, accurrit, ictuque immani aggressorem titubantem repulit. Hanno se erigit, et pede cervicem cæsi premens, gladium, quo eum occiderat, non sine labore revulsit. Ut ego me in pedes erexi, Chryseidem, ante suam casteriam stantem primum conspexi, quæ pallore suffusa, digitis plexis, totaque erat formidine perculsa, tamen sui compos. Iuxta eam adstabat Abigail; ac veluti vera Iudæa, manu gladium arcte premebat, acie adversum militem conversá, qui amissá hastá, quasi meticulosus, quod a muliere lacesseretur, pone scutum suffugium ac salutem quærebat.

Acerrimam Sammai oculorum aciem, quid ibi ageretur, minime effugit, atque Hannone eum comitante, veluti taurus furens, amico inimicoque disiectis, ad tutandas mulieres áccurrit.

Interea Himilco et quindeni nautæ, machæris et asciculis in manibus, conferto ordine ad me appropinquant. Cohortatus eos tempus rem bene agendi advenisse, prorsum duco eos, anterioremque partem navis a Græcis efficaci modo purgavi. Hi enim adventu novæ manus perterriti, per armamenta navalia, in constrato circumiacentia cæspitantes ac lapsantes, præcipiti fugá pedem retrahere cœperunt. Prorá potitus, respexi, vidique Hannonem atque Sammai, puppim æquá fortuná everrisse, ac iam conversos, in eam partem incitatos ferri, ubi Bichri suique ad malum variá fortuná dimicabant, ubi tamen turba hostium sensim augebatur. Vectis Ionæ supra capita ac scuta usque huc et illuc versari videbatur, ac supra tumultum et clamorem sonorá voce vagire satis clare audiebatur:

"Accedite, Dodánim! Optime de vobis mereo; facite ut prandium meum merear! venite, inquam, venite!"

Bichri, suique propugnatores tantá fortitudine hostes repulerunt, ut media navis brevi a turba Græcorum liberata ac purgata esset, perinde ac prora et puppis, universique victoriam magno clamore celebravimus. Sic itaque *Astarte* ab hostibus liberata erat.

Hunc clamorem triumphi alius sequebatur, quo *Dagonem*

nostri salutaverunt, quæ sub hoc idem tempus stupendá celeritate adversus nos ferebatur, quo in cursu navim hostium obviam obtrivit, in cæteras autem nos usque obsidentes, imbrem sagittarum immisit.

His rebus prospere gestis, gubernatorem, signo dato, paratum esse iussi, et remiges per cavamen ad transtra sua misi, qui aliquot Græcos usque ibi delitescentes statim exterminarunt, nec multo maiori labore cæteras naves circa nos volitantes calcando et arietando facile e medio sustulimus, ac, paullo post, acri flexu effecimus, ut *Astarte* ex uno latere, *Dagon* vero ex altero, ad dextrum et ad lævum *Cabirorum* appellerent. Hannibal quoque interea reversus, quantum auxilii in eo erat, dedit. Denique aliam quoque navim evertimus, nautæ autem duarum ulteriorum, a nostris oppressi, desiluerunt, atque sagittis in eos effusis, qui potuerunt, in littus enatarunt.

Fusis hostibus fugatisque, quum iam arma quieverunt, licebat nobis animum in onerarias naves convertere, quarum tres, a defensoribus desertæ, sine gubernatoribus in aquis fluitabant. Eo nobis navigantibus, casu versus puppim respexi, atque magno stupore reperi, eam, quam remulco nobiscum ducebamus, armatorum esse plenam qui, vix dubium eo proposito se illuc contulere, ut nos invaderent, nec ad effugiendum cum sociis facultas dabatur. Itaque Bichri, eiusque sagittarios illico accerso, quorum unus sagittá eo fere tempore humerum unius Græci feriit, quum ille machærá suá remulcum discindere conaretur.

"Mittite arma!" inclamo illos Ionice.

At ille minime motus, remulcum ulterius rescindere conabatur, donec, alterá sagittá in gula ictus, destiterit.

"Visne sagittis omnes interimamus?" quærit Bichri.

"Minime! sine paulisper," respondi, "durum genus esse videtur, bonoque pretio Carthagini venire possent; nonne iuvabit uno labore etiam lucrificum negotiolum factitare?"

His dictis iterum inclamo eos, armaque ponere, ac se dedere eos iubeo, quin tamen illi iussa facturos se indicarent. Quin unus eorum etiam iaculum in me misit, quod humerum meum leniter tetigit; sed alter, totum cœptum præter spem esse ratus, in

aquam se præcipitem dedit, et quum nos a littore longe abessemus, eum interivisse verosimile est.

Quinideni hostium usque supererant. Optimum itaque factu iudicavi, ut Hanno atque Chryseis eos suá linguá alloquentes, ad meliorem frugem perducerent. Itaque Hanno, meo nomine, persuadere eis conabatur ut arma ponerent, quo facto, ipsi conservarentur, et futurum ut militiæ operam dare atque victum sibi honorificum mereri possent. Dubitantes, ac paulisper morabundi, tandem arma ponenda rati, sese dediderunt, ac primum arma, dein ipsi singillatim fune ad nos sublevati, in stegam, admodum tristes ac deiecti, pervenerunt.

Cæteri oppugnatores nostri interea temporis quaquaversum diffugére. Iam nox appropinquabat. At navigatio nocturna his haud minus formidanda videbatur quam alterum prœlium. Complures quidem navium eorum incolumes erant, plures tamen adeo erant afflictatæ, ut iis vix progredi possent, nec una tantum earum ab ardente pice a *Dagone* submissá ignem conceperat, atque interiit. A littoribus autem dissitis planctum exaudiebamus mulierum lugubrem, quæ virorum in prœlio interitum magno fletu deplorabant.

Facultate a me impetratá, Hamilcar et Hasdrubal ad persequendos fugientes profecti sunt, quibus in auxilium triginta milites Bichri ac Sammai ducibus addixi. Postquam hi profecti sunt, et alios misi, qui duas naves, a suis desertas, ductandas nostræ navi iungerent. Hi in cavernis complura cadavera repererunt, quæ exuviis spoliata, in mare coniici iussi. Isti mox reversi tres prædas et viginti duos captivos secum reportarunt.

Negotium spolia inspiciendi in postridiem distuli. Lubenti quoque animo, quod et ego et mei perquam fessi eramus, quieti indulsissem; sed prorsus necessarium existimabam, ut et stegæ lavarentur ac purgarentur, et disiecta arma fragmentaque colligcrentur, et certus restauraretur ordo, quem summopere turbari tanto tumultu necesse erat. Cadavera Græcorum in navi cæsorum, item qui saucii iacebant, in mare elidebantur E nostris militibus viginti tres erant vulnerati, undecim autem cæsi. Corpora horum linteo obvoluta, ad proram in ordine pro-

strata, ut postridie, funebribus suæ cuiusque religionis ac sacrorum exsolutis, undis committerentur.

Quandoquidem *Dagon* minus quam cæteræ naves detrimenti ceperat, eo omnes captivos, cum meis quindecim unà, relegandos duxi, eosque in cavo securos teneri et custodiri curavi.

Damna his prœliis gravia tulimus. *Cabiri* amiserat octo milites cæsos, vulneratos autem decem; *Dagon*, tres cæsos, vulneratos septem; quibus si nostram iacturam addas, reperies universim nos viginti tres occisos, et quadraginta vulneratos amisisse. Argumento istud erat nos hostibus fortissimis occurrisse; ac non sine mœrore fatendum arbitror eorum constantiam, fortitudinemque animi talem fuisse, ut, si ipsi usu rerum navalium paullo exercitatiore, et navibus regendo flectendoque aptioribus, item, armamentis atque telis in hunc usum navalem idoneis præditi fuissent, haud facile futurum esset, ut nos ex his prœliis superiores evaderemus.

Hamilcar et Gisco quoque satis gravia, quamquam non lethalia vulnera acceperunt. Hannoni vulnus in altero humero hiabat; Sammai lacertus hastá erat transfixus; Himilco autem plagam ictûs in capite gerebat; sed neuter istorum ob has res a consuetis muneribus desistendum censuit. Nautarum nostrorum præfectus, Hadlai, inter cæsos repertus est. Ionas quinque vulnera, hastis illata retulit, quæ ipse ut meras cutis scalpturas ac læsuras imputabat, ac, postquam se unguento quodam obliverat, negotia eius diei gesta non modo ingenti cibi appetentiá, sed præsertim insuetá siti se affecisse aiebat.

Quanta incommoda hostes perpessi sint, nullo pacto æstimari poterat; certum tamen videtur aliquot centena suorum amisisse; nam in stegis *Astartes* tricena sena corpora reperiebantur; in *Cabiris* autem ulteriora tricena et octona.

Sedulo naves repurgandi labore absoluto, effecimus, ut aliquantum temporis otio quietique daremus; tamen, multo mane, flabra nacti ex Oriente satis lenia, iter nostrum versus Italiam aggrediebamur. Octo navium prædas nobis subiunctas ductavimus; sed ut vectura expeditior esset, in singulas misi, qui partim velis, prout res postularet, partim remis progressum expedirent.

Ad placandos Manes nostrorum luctum instituimus, nigris telis ex antennis evolvendo, item inferialibus, supplicationeque Numina Inferorum invocavimus. Quoniam inter spolia nonnulli reperiebantur buculi, singulos in singulas naves levandos, ibique in sacrificia funebria mactandos iussi. In nostra navi, *Astarti*, funereum ritum precibus Numina Inferorum invocandi, sacrisque expiandi, Hanno perfecit, qui et Astarten supplicationibus appellavit. Buculo mactato, partes tergoris pinguiores, cum quadam carnis parte sepositá, hæc ad perfumandum, exsiccandumque relinquebatur, alia autem pars pro Inferialibus apparabatur. Iudæi vero, suo ritu, Deo suo, El-Adonai, ovem mactaverunt. Sacris persolutis, vini copiam viritim dispensavi; antea tamen quam biberamus, cæsorum commilitonum corpora, ritu solemni, concinentibus tubis, alto committebantur. Tunc insignia luctús ac funeris tollebantur, atque omnes nos ad epulas funereas convenimus. Cibo potuque refectis pristina animorum alacritas ac fortitudo restaurata est. Quiete, placidoque interim sopore omnes recreati, animos eorum alma oblivio, atque tempus, cunctorum malorum medicus, vulnera permulsit, ac paullo post, vulnera doloresque memoriá excidere, atque eventa, resque suas singuli gestas, alter alteri, ad pellendum itineris tædium, subinde enarrare consueverunt.

"Hannibal," sic eum quondam alloquor, "tu Hercle, ut centurio præsidii, perinde ac tui, egregie, profecto, eam rem gessistis; decet, ex eo quod conventum erat, te in spoliis participari."

"Equidem," inquit ille, "quantum ad me attinet, ratam meam partem libenter cedo, ac prætereo, dummodo nová cataphractá potiar; loricæ enim meæ admodum sunt tritæ, ac laceræ; galea tusa, cristá et plumis spoliata. Vix dubito quin alicubi in armariis nostris eximiæ cataphractæ Lydicæ reperiri queant; cura ut unam obtineam, cætera prorsus nihil moror."

"E corde plenissimo!" illi respondi, "insuper et utrem vini Sareptici perlibenter tibi impertiar."

"Hem, egregium propositum!" interloquitur Himilco; "haud minus et ego præteribo, si quas habeam vindicias, erga ternos utres Berytici, si ita videbitur."

Sammai ex sua parte censebat sibi par dumtaxat armillarum, atque par inaurium Syriacarum competere. "Hæc," inquit ille, "Abigail, obsecro, dederis; ipse spoliorum parte facile carebo."

"At vero, quid nunc de te fiat, here, Scriba?" quæro ad Hannonem conversus; "sunt hic oves, boves, cataphractæ, vina prout libet."

"Nihil, Ædepol, est," respondit hic, "quod ego appetam. Sume sis id, quod mihi obveniret, donaque sauciis; ii, quam ego, his rebus certe magis indigent."

Eius liberalitate moti Hannibal et Sammai manus eius prehenderunt, ei gratulabantur, Chryseis autem grato animo in eum renidens, actum probavit.

Unus gubernatorum, legatus omnium nautarum, ad me accessit rogatum, ut cuncta spolia, primá datá occassione, simul venderem, et e manubiis suum cuique annumerarem; interea haud me gravatim facturum sperare, ut, quidquid æquum pro rata parte mihi videretur, eis in antecessum tribuerem. Vera horum consilia cito perspexi. Exploratum enim cunctis erat omnes fere regiones maritimas, veluti Uticam, Carthaginem, Gades nummis Phœniciis tamquam suis uti; quamobrem in votis habebant singulis his locis egredi, sibique pecuniæ dispendio oblectamenta parare. Ex meá quidem parte nihil obesse ratus quare eorum postulata negarem, Hannonem elenchum cunctorum spoliorum concinnare iussi, appositis singularum mercium pretiis æstimatis, quæ ego empturus pro iis solvere vellem. Hunc pretiorum elenchum in singulis navibus e malo suspendi curavi, pretiis in siclis supputatis, ut quisque videre et intelligere posset; et quum tam merces, quam earum pretia ab omnibus probari comperissem, eádem ipsá vesperá suam cuique ratam partem denumeravi.

Chryseis atque Abigail eandem vesperam ægrotis ministrando exegerunt.

Postridie captivos adduci iussi. Portiones cibi potusque iis perinde atque cæteris attribuebantur; tamen, ut de *Dagone* ac de *Astarti* congregati adstabant, nimis quam tristes, oculis deiectis, diffidentes ac tristes solum contuebantur. Adhibito Han-

none interprete, delectum unum, qui præ cæteris moribus et humanitate antecellere videbatur, de gente, patria, domoque interrogari curavi.

"Græci summus," respondit ille, "de gente Phocæorum. Certas domos nullas habemus, sed regionem vicinam Monti Parnasso incolimus. Cum uxoribus prolibusque nostris in itinere eramus versus contribules nostros Ionios, sive in Epiro, sive vero Corcyræ. Illic fixas sedes reperire posse sperabamus."

Lacrymæ ei oboriebantur, perinde ac miseriarum sociis, omnesque misere singultabant. Certiores eos fieri volui mihi eorum miserias ac dolores augere minime esse in animo, meque eorum fortunæ perquam misereri, nec iis quidquam gravius a me inflictum iri confirmavi, ac metum deponi iussi.

"Si nobis in prælio legitimo ac probo, æquá sorte vobiscum congredi contigisset," prosequitur ille, "æquo Marte ad mortem usque dimicassemus, atque cladem incommodumque æquo animo tulissemus; at nunc, si amissas in profundo uxores prolesque misere deflemus, quis nos iure criminabitur?"

"Quamobrem ergo nos aggressi estis?" quæro eum.

"Audi igitur," inquit, "et intelliges. Tribus ante diebus in magnam navim Phœniciam, quæ non sola, sed in societate aliarum navigabat, incideramus. Navarchus illius nos allocutus petebat, ut illi commeatum venderemus. Quando Phœnices nos quasi in Deorum numero habebamus, omnes nostri paratissimi obsequebamur, et illi boves, fructus, frumentumque suppeditabamus, ac meus adeo filius, cum aliis, infandum! eò profectus erat. Verum, simulac totum commeatum in navim sublevassent, velis vento datis, piratæ illi effugerunt. Nihil quidquam fieri poterat, nec de recuperandis nostris hominibus, bonisque cogitari; naves enim nostræ vestras celeritate non æquant. In furorem itaque acti vovimus, ac iureiurando confirmavimus, vindictam nos sumpturos, statuimusque primos, quos casu obviam habituri Phœnices, nos adorituros. Fato evenit, ut vos hi primi essetis. Ex his palam sunt omnia."

"Bodmilcar, per omnes Deos immortales!" magná voce clamat Himilco. Bodmilcar is est, qui nos omnes in tanta rerum discrimina adduxit. Mortem Hadlai, omniumque fortium viro-



rum nostrorum ei debemus. Ut male ille damnosus pereat! Dii, Deæque omnes, qui uspiam sint ac fuerint, aut futuri sint, eum pessime perdant!"

Cognoscendi cupidus, utrum malæ hæ suspiciones veris fundamentis niterentur, sciscitabar de forma ac specie navis Phœniciæ, et reperi eam non modo navim vastam, celsam ac rotundulam fuisse, sed et homines in ea, a nautis minorum navium, quippe qui vultu fusci fuerint, et vestitu diversos, omnino discrepavisse; præterea, navium minorum rostra capitibus anserinis ornata fuisse.

"*Melcarth* est, atque Ægyptii, sine dubio!" ipse clamo.

Phocæus, me concitatum ac perturbatum videns, obstupuit.

Verum ego memet cito composui, quæsivique ex eo, utrum inter captivos esset, cuius constantiæ ac fidei me concredere possem. Respondit ille suum proprium fratrem ex iis esse, è cæteris autem quinos patrueles atque consobrinos; his præterea addidit, uxorem unius patruelium navi Phœniciá abreptam fuisse.

"Accerse eos!" mando illi; ac, paullo post, sex iuvenes, specie dumtaxat fortes atque agiles, coram me steterunt.

"Visne iterum filio tuo potiri?" quæro e Phocio.

"Meone filio?" repetit ille quæsitum. "Restitue eum mihi, et tu vere divinus a nobis omnibus existimaberis."

Hoc audito docui eum, Phœnicem, qui filium eius abripuerat, infensissimum, atque implacabilem esse inimicum. "At vero," adhortor eum, "tu modo præsta te servum fidum mihi, tunc licebit tibi sperare, ut, serius aut ocius filio tuo potiaris."

Nunc ad Hannibalem conversus, hos septem chitonetis indui, armarique iussi, atque suis militibus adnumerare, cæteros autem ad remiges auxilio misi. Satis enim bene sciebam sive Uticæ, sive Carthagini, ubi tum remiges, tum mercenarii, nunquam non requirebantur, facile omnes vendi posse.

Septem itaque Phocæi manus meas deosculati præ lætitiá flebant; cæteri vero angoribus multum levati, longe quam in stegam venerant lætiori corde ad remiges descenderunt.



CAPUT IX

Terra Boum.

TERTIO post prœlium mane montes Italiæ conspeximus. Sinum ingressi, ad Septemtrionem a quo pæninsula iacet Iapyega, pedetentim ad ostia pervenimus fluminis, leni lapsu planitiem, inter lætos campos, lucis pinuum ac rhododendrorum, et irriguis pratis diversum. In regionibus mediterraneis, ad centena circiter a littore stadia, iugum montium liventium, ex parte sylvestrium, sese extollebat, partim cacuminibus asperis ac præruptis distinctum. Ad anchoras iaciendas satis idoneum locum nacti, et, quod tam aqua, quam pro pecore pabulum comparandum erat, statui sine mora consistere, ac, navibus destinatis, terram petere. Omne itaque pecus, terrá potitus, in pascua dimisi. Opus tamen hoc omni difficultate non carebat. Gregem itaque Bichri commisi, qui cum aliquot armatis, inter hos nostris captivis, eo conabatur armentum agere, ubi pabulum abundanter suppetebat. Hoc eo statuendum putavi, ut armentum in littore naves usque ad Fretum Siculum sequeretur, ubi nisi interea vendere potuerim, naves iterum censcenderet.

"Parum videtur verosimile hicce terrarum boves vendi posse," asseverat Himilco; "in Vitalia enim sumus, terrá vitulorum. Si capras adtulissemus, cuiusmodi Ioniis dederamus, facile esset emptores reperire. Bobus idgenus hi homines abundant ultra suam indigentiam."

"Fortasse vera memoras; tamen oportebit nos loca culta, et incolis frequentia, loco harum solitudinum reperire, atque hos Italos, sive Vitalos, utrumlibet sit rectius, alicubi convenire. Ne-

cesse quoque est, etiam hic, in Meridie, Iapyges habitare, non tantum in Septemtrione. Callesne etiam dialectum Iapygeam?"

Himilco negabat dialectum quidem Iapygum se callere, sed asserebat se quandam notitiam linguæ Vitalorum habere, perinde atque eius, quá Osci, Marsii, Volsci, Samnites, Umbri, Sabelliique littorum Orientalium, atque Latini Occidentalium, utuntur. Insuper addidit Gisconem satis peritum esse Rasennarum linguæ, cuius usus in regione ad Caurum esset.

Nunc interpres septem captivorum Phocæorum quodammodo dubitabundus ad me accessit, veluti qui quod peteret, haberet. Nomen illi Aminocli erat. Sic ille me affatur:

"Rex Phœnicum!"

Abnui appellationem, docuique eum navarchum me vocari debere.

"Navarche Phœnicum," inquit, "velis, obsecro, mihi dicere, quá in terrarum plagá versemur."

"In Italia," respondi, "in terra armentorum."

"Sed in qua parte eius?"

"In ea," inquam, "quæ a diversissimis tribubus Vitalorum incolitur. Ad Meridiem enim, atque ad Ortum solis cum Septemtrione, Iapyges incolæ appellantur; longe hinc ad Septemtrionem Rasennæ vivunt, qui magnas erigunt urbes, atque in fertilissimis ultra montes vallibus regem habent."

"Nos de his," inquit Aminocles, "nihil scimus."

"Exspecta modo paulisper," interloquitur Himilco, "si forte tuam memoriam aliquo modo refocillare queamus; audi, Phocæe! Nunquamne de Oscis fando audivisti?"

"De Opicis? certe audivi," respondit ille. "A maioribus nostris traditum tenemus, in prisca vetustate, antea quam Dodonam condidissemus, quin antequam ad Acheloum sedes posuissemus, quum usque frigidas ultra Thraciam terras incoluissemus, in societate cum gente, Opicorum nomine, nos vitam degisse. Iis temporibus continentis, insularumque incolæ Leleges, Pelasgi, gigantes, pumilique, item, monstra fuerunt; sed Dii, iis subatis, nobis viam paraverunt. Si tui *Opsci* iidem fuerint qui hi *Opici*, me de iis antehac audisse probabile puto."

"Perperam hominem conturbari existimo," interposui ego, "vides eum te non intelligere."

"Exspecta parumper," persistit Himilco, "tamen fortasse evincam. Dic, sodes, Aminocles, unquamne de Tyrseniis audivisti?"

"Nunquam!" respondit Phocæus.

"Curiosum;" mussat secum Himilco. "At ego sæpenumero audivi Græcos de Vitalia loquentes, incolas eius *Tyrsenos*, vel *Tyrrhenos* ab iis appellari; tentandum mihi est iterum. Notine tibi sunt Siculi, Cyclopes, Læstrygones?" elatá voce interrogabat.

Vultus hominis extemplo mutabatur.

"Quid? ain' tu," clamitat ille pavore quodam exagitatus, "nos revera in terram venisse eiusmodi hominum?"

"Ita, profecto!" ait illi Himilco, in stomacho ridens, ob propositum assecutum; "hæc, inquam terra est Læstrygonum, illic autem insula est, quam Cyclopes, Siculi, aliique idgenus incolunt. Visum eos ibimus, simul ac Scyllam et Charybdim superaverimus."

Tandem etiam in cachinnum erupit, quum Aminoclen manus convellentem gemendo fari audisset:

"O, multo satius erat in pugna periisse, quam in terram talium monstrorum venire. O me miserum!"

Omnes ridere cœpimus. Terrorem eius videntes, nemo risum continere poterat.

"Sile, caudex!" eum commoneo, "Læstrygones enim non tibi nocebunt; plurimos eorum conveniemus, nec te devorabunt."

Dum hæc loquor, is, qui excubias agebat, certiorem me fecit circa quinquagenos homines per planitiem versus nos appropinquare. Ii quidem haud magná nostri fiduciá duci videbantur: nam in extrema sylva dubitantes hæserunt, incerti, utrum versus nos progredi, an regredi magis usui futurum esset. Tandem statui timorem iis discutere, facereque ut accedere auderent, more nempe meo solus iis obviam processi, bonumque animum, quoquo modo poteram, iisdem significavi. Extemplo duo eo-

rum progressi, mihi obviam venerunt. Homines erant robusti, bene pasti, humeris angularibus, mediocris altitudinis; vultu erant fusci, barbá spissá, comis cincinnis, cum capronis in frontibus minus elatis. Lacerti, cruraque eorum prorsus erant nuda, capita nulla re erant tecta; cæteroquin reliquuin corpus genus gausapæ, e lana rudi, cui genus pallii superiniectum erat, tegebat, cuius lacinia effusa per humeros traiecta pendebat. Singuli eorum probe armati erant, binis hastis brevioribus, cum spiculis cupreis, pugioneque muniti; plurimi eorum etiam venabula, vel machæras e balteis pendentes, alii arcus et sagittas secum gerebant.

Alter adventantium alterum antegressus, linguá Italicá sic me inclamat:

"Quis tu es? et quid venisti?"

Himilco, qui mecum itabat, eádem linguá reclamat mercatores nos esse, e terris longinquis venisse, et cum iis commercari velle.

"At non Rasennæ vos estis, nec ad abigenda armenta nostra venistis?"

"Nec quidquam eius rei," respondimus illi, "Phœnices nos sumus ex Oriente. Descendite nobiscum ad littus, et videbitis nostras merces venales."

Ambo eorum ad socios regressi, consultari videbantur, sed mox iterum reversi, alter eorum ita clamat:

"Has duas hastas ad utrumque latus meum videtisne? hi fient nostri termini;" tunc lanceá sua inter utramque defixá sic fatur:

"Si vel unum passum ultra hastam hanc feceritis, in numero hostium nobis eritis."

Himilco rursus verbis, nullo pacto nobis in animo esse illos vel minimá iniuriá afficere, confirmavit; quo audito, propius accesserunt. Princeps eorum nos docuit se Samnites Sabellicos esse, velleque a nobis certiores fieri, quid nos pro pastura nostri armenti solvere vellemus. Eos per Himilconem certiores reddi volui, futurum esse, ut nos pro pastura eos libenter compensemus.

Nunc, vicissim, meum erat limites statuere. Fecimus itaque paxillos, quos terræ impulimus, allatoque fune, hos constrinximus, et sic cancellos quodammodo ereximus, monuimusque Samnites, nequis eorum nostros limites transgrederetur. Cautela mea iis minime displicuit, ac mox satis magna eorum turba ad cernendas merces nostras affluxit. Hi moribus agrestiores Græcis, magisque suspiciosi erant, nec sine difficultate poteram eos inducere, ut mercarentur. Pedetentim tamen fiduciam eorum conciliavi, ex parte dumtaxat. Denique docuerunt me agricolatui se fere nihil esse deditos, nec proinde frumenta, oleraque nobis affere posse; sed si oves, capras, bovesque comparare vellemus, iis se maxime abundare. Itaque attulerunt nobis plures sues, ac nefrendes semiferas, quæ vicissim curiositatem Sammai, atque Bichri excitarunt, utpote cuiusmodi animalia ipsi antehac conspexerint nunquam. Panaificii Samnites prorsus imperiti, genere pulpamenti, quod *maza* appellant, vescuntur; sed, quoniam aliorum ante nos Phœnicum beneficio pastas gustaverant nunc modum atque rationem panem faciendi a nobis doceri admodum cupiverunt. Multa et varia quoque de nostris vinis quæsiverunt, tametsi id multo minus quam Græci appetiverint.

Postero die mane etiam maior eorum frequentia ad nos concurrit. Animadverti proximá nocte quaquaversum plures ignes ab iis accensos fuisse, unde ego coniectabam iis indiciis suos undique populares convocare; quapropter et ego præsidia mea duplicanda curavi. Attamen mox comperi nullum locum angori dandum, quod nullo adverso hi consilio ducebantur; quin mea cavendi consilia, ne ultra quinquaginta eorum uno tempore aream nostram intrarent, bono animo exceperunt, ac turmatim extra fines suam vicem patienter opperiebantur. Universim, hi longe pacatiores, multoque minus obstreperos quam Dores se præbuerunt.

Præter cæteras alias res magnam copiam corallorum adtulerunt, quæ post singulas quasque tempestates ab undis in littus everri solent; sed non raro ipsi quoque e caducis lintribus ac ratibus suæ propriæ artis prosilientes ipsi expiscantur. Namque, tametsi navigatione parum valeant, natatores urinatoresque eximii sunt. Urinatores vero omnium longe clarissimi Iapyges sunt,

illi nempe qui inter Samnites vivunt; tum etiam Bruttii atque ipsi Iapyges, proprie sic appellati. Horum aliqui inter nostros Samnites spectatores cognosci poterant, quod plerumque proceriores atque imberbes erant, capitibus rotundioribus, vultuque magis fusci, et ex magna parte Cydoniis consimiles.

Duos omnino dies absumpsimus permutandis et cambiendis meis mercibus, onustáque prædá, erga coralla, quæ exiguo spatio condi poterant. Naves captas, postquam vacuefactæ erant, præter duas, dirui iussi. Ex his, diruptá tabulatione, cuius usum capere poteramus, atque malis, siquando novis antennis aut aliis tignis egeremus, aliud nihil servavimus. Post omnem prædam emutatam erga eas merces quas ego præstinaveram, ocellis vitreis, spiculis, gladiorum mucronibus solvere cœpi. Mucrones hi tantopere concupiscebantur, ut quum vix siclum valerent singuli, coralla obtinerem fere quadringentorum siclorum valoris. Quum me mirari dicerem quod tantam haberent corallorum copiam, docuerunt me ea longo temporis spatio congesta fuisse, item, sibi in animo fuisse omnia in emporio, quod Phœnices in ora occidua condiderant, vendere, sed nostro opportuno adventu molestiá eò migrandi se liberatos fuisse. Addiderunt insuper gratum sibi admodum facturum fuisse, si capras illis vendere potuissem; aiebant etiam illas capras, quas nostri populares Marsiis atque Volscis vendiderant, in montanis regionibus, ad Septemtrionem, admodum diffundi ac numero augeri.

Samnites nullos certos pagos habent, sed in tuguriis, plerumque ex arundinibus, sarmento pro tecto constratis, e luto argillaceo oblitis, et in speciem vicorum ordinatis, vivunt. Agros parum exercent, atque Latini, ad oram Occiduam, præsertim qui vallem Tiberis incolunt, eos agricolatu superant. Præterea Latini oppidum quoque, Albam vocatum, habent, in edito loco, montem inter et lacum positum. Secundum littora unus nonnisi portus mihi cognitus est, et is Rasennarum est, vocaturque Populonia. Hi Rasennæ nautæ non contemnendi sunt; quin eos plane audaces ac procaces esse piratas iam pridem fando accepi; sed hic, in littoribus Samnitum fato quodam evenit ut id propriá etiam experientiá confirmare possem.

Negotiis itaque omnibus, quæ ex re erant, absolutis, iam

quæ ad profectionem pertinerent parare cœpi, quum quidam Samnitum anhelus ad socios currendo venit, quos quum assecutus erat aliquid proclamavit, quod omnes in magnam commotionem egit.

"Quid rei apud illos?" quærit Himilco, "omnes furere videntur. Numquid Deus Nergal, capite gallinaceo, eos insectatur?"

Commotio tota mox clare constabat.

"Piratæ! piratæ!" vociferantur complures Samnites halitantes.

"Propere, Phœnices, cavete vobis! Tyrrheni appropinquant. Modo circuierunt promontorium, ac nos confestim adorientur; facessite! ad montes! ad montes!"

His auditis Ionam tubam canere, omnesque meos ad suam quemque navim convocari iussi. Hannibal quoque sine mora interposita, galeam cataphractamque induit, armatos suos collegit, inter quos et septem Phocæi numerabantur. Præfectus item remigum, flagro in manu, suos omnes ad remos coegit, ac brevi tria stadia a littore aberamus, ad decertandum parati. Sammai, quamquam sua dextra gerendi gladii compos non erat, tamen gratulabatur sibi lævá usque satis posse.

"Quinam sunt illi boni amici, quibus alma fortuna nos hodie occurrere vult?" quærit Bichri cum leni risu, dum pharetram induebat, arcumque aptabat.

Docui eum Tyrrhenos, sive Rasennas, hos esse, ex Occidua et Septemtrionali Italiæ parte, qui aliquando mercari consuevissent, plus tamen quæstu piratico victum mereri solitos, secundum oras maritimas; atque licet me nunquam audivisse eos cum Phœnicibus fuisse congressos, sed vix ullum superesse dubium arbitrari, quin satis magnam copiam mercium naves eorum vectare, ut eos adoriri, nobis operæ pretium esse ducam.

"Mihi quidem," inquit Hannibal, "ii plane novi homines sunt, ac fieri posse confido novam rationem pugnandi nos docere eos posse. Gustare fortasse gestiunt saporem clavæ Chaldaicæ, quam Rex David mihi donarat."

Verum itaque rerum statum cognoscere cupiens, *Cabiros*

ad experiendum præmisi, eamque littori hærere, donec ad extremam terræ linguam attingeret, unde illi amplissimus regionis prospectus pateret iussi. Ea a speculatione mox reversa nuntiabat quinas ibi videri naves specie longiores, ac per otium versus nos cursum tenere, brevibusque flexivicibus auram captare, atque futurum ut intra dimidiæ horæ spatium compareant.

Ut mecum volvitabam quid potissimum factu opus esset, duæ naves Græcanicæ, quas a demolitione servaveram, oculis mihi inciderunt, et in mentem mihi venit hoc in rerum discrimine iis uti posse.

"Heus, Himilco," quæro ex eo, "quidnam catapirates indicat?"

"Denos cubitos aquæ, fundumque saxosum," statim respondet ipse.

Gisco in *Astarti* erat, quo a *Cabiris* nuntium allatum venerat.

"Dic mihi, mi Gisco, velim," ab eo quæro, "quantum aquæ piraticæ naves Tyrrhenorum calcent? senosne cubitos?"

"Sic, Navarche," respondit ille, "senos cubitos, minimum; nam supra aquam humiles quidem videntur, sed subsiduæ sunt, nec nisi ingens onus eas a nutatione ac volutatione continet."

"Esto! i ergo ad eas duas naves, effringe ac merge eas coram mea navi, *illic!*" dixi illi, digito locum indicans.

Himilco atque Gisco admodum delectati, et in stomacho ridentes, iussa factum iverunt, et intra vicena temporis momenta utraque navis depressa erat, speciemque aggeris et valli subaquanei, ternis circiter cubitis infra superficiem aquæ præbebant.

Proximum statui ut *Cabiri*, laxatis velis, opinionem præberet iniuriæ acceptæ, ob quam ad promontorium assequendum ægre repere cogeretur. Tunc *Dagonem* duo stadia in altum prodire iussi, ut, quasi palans videretur, ac per curtas flexivices *Astarti* opem ferre conaretur, et e longinquo huc properaret. Interea enitebar, ut navis mea per speciem mercatoria, iniuriá affecta, sese liberando et eluctando impar videretur; vela itaque

convoluta detraxi, remiges incassum aquis obluctari, nec proficere iussi, milites autem scuta ponere, et in stega pronos procumbere, ne se visui offerrent.

"Quid rei nunc paratur, Navarche?" quærit Sammai, vultu renidens. Explicui illi saperdas me parare, quibus scombros capere confiderem; atque si patienter eventus ferret, futurum esse ut capturá contentus esset.

Breve nunc admodum supererat tempus, ubi Tyrrhenos animadvertere nos oportebat. Hoc elapso, una e quinque navibus eorum visá *Cabiris*, confestim in eam ferebatur; duæ aliæ iter versus *Dagonem* flexerunt, nam ea usque in alto aberat; cæteræ autem duæ versus *Astarten* properarunt, quæ quasi sui omnino impos, nullum reluctandi indicium edebat.

Quum non plus stadio abessent satis commode speculari poteram suarum navium speciem, naturam et armamenta. Hæ quidem longæ erant sed nullá arte structæ. Navis princeps unum nonnisi tectum habebat, tricenis remigibus agebatur; eius puppis aliquantum editior erat, sed constratum pæne aquam æquabat. In prora ingens par oculorum erat pictum, undas sæve intuentium, rubro alboque colore horridorum. Nautici vastis capitibus, amplo ac supino vultu, rufis ac raris barbis, comis facieque perinde rufis erant; staturá proceri videbantur, habitu corporis rite formato, incessu tamen tracto, lento et gravi erant. Pro armis graves hastas, asciculasque gerebant, corpora autem sutis, galeis sine cristis, tegebantur, pedes autem partim calceis, partim autem sandalibus apicatis erant induti. Plurimi eorum genus tunicarum atri coloris gerebant, quæ nostris chitonetis longiores erant, breviores tamen quam Syrorum. Colla et brachia eorum magná copiá monilium, torquium et armillarum, cinguli autem, qui admodum lati erant, lamellis æreis politissimis ornabantur. Postquam eos diutiori tempore contemplata erat, Abigail pronuntiavit se longe mori malle quam in manus eiusmodi monstrorum incidere.

Assecuti nos Rasennæ ingentem clamorem ciere cœperunt, nobis prorsus silentibus. Quum nos abs se incassum lacessi sentirent, navim mihi rectá fronte miserunt, alteram autem, quæ e tergo nos circumveniret, nosque a littore intercluderet; spes ta-

men eos diro lusu fefellit. Nam prior magnâ vi se depressæ sub aqua navi illisit, atque, postquam semel iterumque tentasset sese retractare, ac tendiculam eluctari, retrorsum nitendo in unum latus versa, puppis aquam cepit, ac pæne omnino subsedit.

Subito tuba mea clangere cœpit, remi mergi, milites in pedes exsurgunt, et ingens clamor triumphalis aera verberat.

Nos subito erectos quum viderent, ingens pavor ac trepidatio eos incessit; atque altera navis, omni nisu quo par erat, per flexivices nos effugere conabatur, sed tam inepte tergiversari cœpit, ut carina sua in vadum incurreret, et sic omnino meo arbitrio traditis, tantum iaculorum sagittarumque imbrem illis immisi, ut eius parem nec navarchus, nec sui milites unquam accidere posse certe arbitrati essent.

"Ecce Tyrrheni, vel Rasennæ, vel quidquid vocari velitis," inclamat eos Hannibal, ut scorpionibus suis diligenter dabat operam, "ecce habetis manna cœleste, et habete plusculum! Si iacula hæc silicesque Cretenses vobis minus placeant, reperiam pro vobis tigilla, vel taleas spiculis ornatas."

Bichri quoque se in sua esse sentiebat provintia. Suo prope inerrabili collimandi usu victimas pro sagittis suis pro arbitrio dispiciebat, et eos plerumque discernere malebat, qui quodam genere indumenti, vel ornatus, vel monilis, a cæteris discrepabant.

"Cernedum illum nebulonem!" audiebam eum dicere, "cum torque e baccis aureis, substratum cærulo vitratoque albo; eo me potiri oportet; sed ne tam bellulas munditias vitiem, caput eius iuvabit me percellere."

Quoniam constratum nostrum aliquot cubitis altius erat quam hostium, sagittarii sui minus quam nostri poterant; ideoque, ut sese a nostris missilibus imbris instar cadentibus tuerentur, pedes in cavum navis retraxerunt. Hoc animadverso, Hannibal, Sammai atque Bichri, cum aliquot comitibus, in eorum constratum desiluerunt; Ionas, suo incauto ac temerario properandi modo magno sonitu prolapsus est, sed cito pedibus potitus, prorsum ruit, miserumque quemdam Tyrrhenium se ab-

dere conatum calce prehendit, antequam is profugium attigisset, eum circum se in gyrum agere cœpit instar fundæ, et, postremo, ingenti vi eum lateri navis impegit, cerebrumque excussit. Breviter actum est negotium cum iis, quibus usque in constrato manere contigit; paullo enim post nostri, qui per meatum cavi subterna penetraverant, reverterunt, vicenos secum homines ducentes, quorum undenis haud pauciores, ut stupentes videramus, populares nostri, Phœnices, erant. Eorum vestitus, non minus quam lineamenta vultus, hoc protinus palam fecerunt.

Rebus hic exactis, licebat nunc animum mihi a littore ad mare convertere, ac videre *Dagonem* iam alteram navium depressisse, alias autem duas, cum *Cabiris* iunctim, versus littora pellere. Mihi quoque visum est cum nostris sociari, hostesque insectari. Una fugitivarum, post breve effugiendi tentamen, imbre lapidum e nostris machinis sparsorum obruta, quum sentiret salutem in fuga se frustra quarere, consilium sese dedendi indiciis significare cœpit. At capturam huius navis morte duorum militum nostrorum præstinavimus; atque dum animi omnium nostrorum in capienda atque mancipanda hac erant intenti, altera, usa opportunitate oblatá, effugit.

Minimá quam poteramus morá interiectá, ad littus, ad prædam, illic a nobis relictam, redire properavimus. Opportune pervenimus. Samnites enim eventum pugnæ ex tuto speculabantur; quá peractá, e superioribus locis festinanter descendebant, et ad compilandas naves derelictas properabant. Sed tempestive eo appulsi, misi manipulum militum qui eos cohiberet, et usque eo compesceret dum micas, ex epulis nostris relictas, ipsis capere liceret.

Primum nunc nostrum negotium erat eam, quæ scopulis hæserat, navim exonerare. Cavum eius interea aquá ad altitudinem pæne duorum cubitorum complebatur, et quovis fere temporis momento mergi poterat. Nulli ibi captivi reperiebantur. Interea enim temporis, dum nos cum altera navi colluctabamur, plerique Tyrrhenorum scaphá effugerunt, cæteri autem undis confisi, salutem in continentem enatando quæsiverunt, sic ta-

men, ut terrá potitos, Samnites comprehenderent. *Cabiri* tamen atque *Dagon* ternos et tricenos ceperunt, quibus et illi novem annumerandi sunt, quos ipse ceperam, ita ut universim duo et quadraginta essent. Hi, primum omnibus quæ quisque cuiuscunque valoris possederat exuti, nautis trium navium nostrarum attribuebantur, quibus ius èsset eos nostris colonis in littoribus Libycis vendere, ubi, sine omni dubio, sive ut militum, sive ut opificum munere summo usui erant futuri.

Undecim Phœnices his eventibus circa se magno gaudio lætitiáque afficiebantur; eorum enim captura reapse liberatio fuit. Namque ut ipsi narrabant, Sidonici gauli nautæ ipsi fuerunt, qui in oris Sardiniæ naufragium fecerunt, sed mortem lintre sua effugerunt. In eo discrimine conabantur unam coloniarum nostrarum eius insulæ adire, sed nimiá tempestate sæviente abrepti, post diuturnam miseramque iactationem in continentem delati sunt. Inde iter versus Septemtrionem aggressi, quoddam emporium Phœnicium in ora maritima conditum adire conabantur; sed in eo itinere in manus Rasennarum inciderunt, qui eos in naves suas piraticas, ut in iis servitio essent, deduxerunt. Omnes hi erant perquam pannosi et laceri, atque fame et inediá prope confecti; non mirum si lætitia eorum omnes fines excedere videbatur, quum ego non modo cibo potuque eos recreavi, vestituque ornavi, verum etiam æquá conditione cum cæteris, in numerum nautarum meorum eos cooptavi. Fuit in numero eorum peritissimus quidam gubernator, et quidam archinauta; quo factum est ut iactura nostra fere ex integro sarciretur, præsertim quum etiam ii, qui vulneribus a muneribus detinerentur, pedetentim valetudini restaurari inciperent.

Reliquam diei partem sedulo labori impendebamus: mortuorum cadavera despoliata undis dedimus, prædam collegimus, et in nostras naves comportavimus, elenchos earum rerum confecimus; quibus rebus ita explevimus diem, ut sol iam pridem occubuisset antequam parati ad vela pandenda essemus, atque usum venti secundi capere, quem, postremo, idoneum nacti, iter versus freta Siciliæ aggressi sumus. Naves captas, perinde atque omnem prædam, sive nimis onustam, sive minoris valoris



quam quæ arduo avehendi labore digna videretur, Samnitibus reliquimus, qui prædam a nobis relictam conspicati, ut sibi omnino insperatam, ad eam magnis clamoribus convolarunt.

Cœnam post hæc læti et hilares paravimus. Eam sumentibus nobis, quam prospera negotia egerimus, quam feliciter pugnaverimus, populares nostros liberaverimus, quam pretiosam prædam ceperimus, in labiis cunctorum erat, et quisque alteri de his rebus gratulabamur. Hannibal præsertim molimen aggeris subaquanei laudibus in cœlum efferebat.

"Technæ illæ vetustate tritæ sunt," iocatur Himilco. "Eandem nos quondam tendiculam Cariis, in insula Rhodo tetenderamus, atque undenas eorum navium cepimus, prædæ vero nullus fuit finis. Veterani nautæ Tartessenses rerum earum peritissimi sunt."

Sammai manibus exhibebat par armillarum plexarum, atque torquium eiusdem normæ, figurá lunæ dimidiatæ planæ ornatorum.

"Suntne hæc, Navarche, obsecro, solida ex auro?"

"Ita, profecto," respondi, "et e purissimo quidem. Aurum autem ex Eridano et e Rhodano obtinetur; tu autem mereris, ut ob eam prædam tibi gratulemur."

"Ego quidem," ait Hanno, "ne unum quidem hostem interemi, neque cepi, et sic æquum erit ut meá portione prædæ contentus sim; fateor tamen me mirum quam concupivisse vas quoddam, quod inter merces captas conspicatus eram. Vas illud exquisitissimá arte est pictum, unde certe constare arbitror istos Rasennas, turpissimi ut visui sint, tamen arte cunctis longe antecellere."

Certiorem proin eum reddidi prorsus nihil obstare quominus suis votis potiretur, rogavique eum, ut elenchum de universa præda conscriberet Eo perfecto, quum oculis perlustrarem, cito reperi, haud multum miratus, longe plures merces aureas quam argenteas ibi enumerari. Non enim me præteribat Tyrrheniis nullum, aut certe non multum, esse cum Tartessiis commercii, nec cum aliis regionibus argentiferis; compertum porro

habebam facilem eos accessum ad Eridani sabulones, item, per itinera a Ligusticis captivis facta, patere illis montes ad Rhodanum. Satis magna etiam aderat copia mercium æneارum ex Inferiori Vitalia, inter quas et plura signa erant, quæ, ut satis constabat, Deorum erant simulacra.

Interim Gisconem accersi iubeo, ut eo interprete a captivis quædam sciscitarer. E sermone eorum quodammodo obtuso intelleximus eos patriá Populoniá esse oriundos, regisque Tarchnæ subditos, qui in vicenis oppidis Tyrrheniorum regnabat. Populoniam suum unicum portum esse dixerunt, et illinc semper se proficisci consuevisse; naves suas a Ligusticis nautis atque remigibus administrari et impelli, milites tamen prope omnes Rasennas esse solitos. Duos principes suos memorarunt, alterum nomine Vivennam, alterum Spurinnam, in prœliis fuisse cæsos. Himilco putabat hæc nomina cum Vitalicis nominibus Vibii, atque Spurii, eadem esse.

Quum Deorum simulacra ænea captivis exhibebantur inter prædas spoliaque reperta, hi ea protinus agnoverunt, nominaque indicarunt. Hæc autem huiuscemodi erant: Turms, idem qui Hermes Græcis; Turan, ut ego coniicio, nostra Astartes; Sethlans, idem qui Chusor Phta; Fufluns, qui est Dionysus Græcorum; item alia nomina, ut Menvra, quod ne fando quidem unquam audivi, quod tamen Himilco docet Vitalorum Minervam esse. Tyrrheni ulterius prosequentes narraverunt sibi cum Latinis fœdus, item cum Oscis (vel Opscis, Occis, quod nomen nostrá linguá operarios sonat), perinde atque cum semibarbaris Samnitibus, fuisse, qui quidem ex eadem stirpe oriundi, eádemque linguá usi quá Osci, in eorum agros ad Vulturnum, sive "aquam volventem," prædandi causá sæpe irruisse, perinde atque agros Latinorum, ad Noveam, sive "Novam Urbem," sæpe devastavisse. Sociis fœderis eorum Rasennas, ut socios tuerentur, Samnitibus bellum indixisse, et eo modo profectos nobis occurrisse, et a nobis devictos, in nostram potestatem concessisse. Hæc fere erant quæ captivi mihi impertire poterant; quibus auditis, eos in curam nostrorum, ad loca sua propria dimisi, et iam será nocte omnes nos quieti tradidimus.

Postridie eius diei, vix cœlum rubescere cœperat, quum ego surrexi, et quum prodiens aliquantum ad lævum dispicerem, lumen, flammas, et in altum exsurgentem atrum fumum cum cadente favilla Montis Ætnæ conspiciebam. Mulierculæ duæ, item omnes viri, qui antehac spectaculum hoc genus nunquam viderant, mirabundi, alii vero terrore perculsi, tantum miraculum contuebantur. Hannibal cæteris haud minus stupuit, dixitque se, nisi contrarium sciret, faucem ipsius Orci patefactum crediturum; sed insuper addidit dolendum esse, quod tanta, tamque immensa naturæ vis ignea nulli servitio humano subigi possit; quæ tamen ad expugnanda oppida quanto adiumento esse posset. Interroganti mihi utrum montem ignivomum in Cilicia nunquam vidisset, respondit se eum sæpenumero quidem præterivisse, nunquam tamen illi fortunam ita favisse ut erumpentem eum præterire illi contigisset.

Spatio satis propinquo Ætnam prætervehebamur, ad audiendum eius ructationes atque tonitrua immania, quibus mulierculæ perterritæ, in casterias se receperunt. Hanno sciscitabatur, quantum a monte abessemus.

"Sexaginta stadia minimum," respondi, "mirari tu videris quod tam clare videatur; interdiu tamen luce plenâ, mons, quamvis celsus, minus erit conspicuus. Ratio autem, quare tam prope navigandum censuerim, erat, ut tanto luculentius Fretum Siculum transfretare possemus."

Ionas, qui primum magno terrore erat correptus, quum videret nos iusto propius ad ignivomum accessuros non esse gaudium suum haud celavit. "Valent quidem hæc omnia," inquit, "e longinquo; culina hæc est Nergal, senis galli, cuius caput supra est in cœlo, pedes autem infra, in terris. Sic, profecto, hæc culina est sua; ubi sua behémoth, atque leviâthan assat. Veniet tamen tempus quando El Adonai exterminabit eum, posterique Israel epulabuntur[1] eo, eiusque artubus opimis, omnibusque delitiis eius."

1. Quum Messias advenerit, Iudæi omnes gentes terræ ferro ignique debunt, ipsi autem epulas triumphales celebrabunt; n. 58.

"Fave linguæ, fatue!" reprehendit eum Sammai, "apage stultiloquia Danaitarum, fabulasque ebriorum Ephraimitarum!"

"A, nihil quidquam affaniarum et gerrarum isthæc!" gesticulandus obtestatur Ionas. "Annon sunt tibi ante oculos testimonia, hæc accuratissime vera esse? Quid incolæ Eltece respondebunt quum illis narravero me culinam Nergal vidisse?"

"Tace, inquam, opprime os!" Sic fatus, Sammai palmo suo os gigantis, impactá magná alapá, obruit.

"Hem," grunnit ille, "linguam meam frænarene oportebit? Quid ita? Siccine debeo?"

Dum hæc et talia agitantur, satis celerem versus Septemtrionem cursum tenebamus. Himilco interea suique nautæ Aminoclem, cæterosque Phocæos, variis terriculamentis in summum terrorem agitabant.

"Mons ille," inquit hic, "cui oculos defixos habebas, est Cyclopum; nunc iuvabit te oculos dextrorsum sinistrorsumque circumferre, cernes enim Scyllam atque Charybdim. Scitis enim vos qui illi sint. Monstra illa sunt voracissima, quæ solidas adeo naves, cum nautis unà, sorbere consueverint. Auscultate modo paulisper et iam audietis illa boare; ingenti videntur fame urgeri."

"Memini me vidisse," inquit nautarum unus, "ternos gaulos duasque actuarias uno haustu tam commode deglutivisse quam ego poculum vini haurire soleo."

"Quin, quis mortalium crediderit," excipit gubernator, "me teste accidisse ut Scylla sublatis in altum capitibus solidam classem sic discussisset ut præfectus classis illac, in craterem montis ignivomi elisus fuisset."

Nec Himilco quidem utique sinere poterat ut nautæ eum nugis scommatibusque in vexandis suis captivis imperitis superent, ideoque et ipse sic prosequitur:

"At vero ego propius Scyllæ cunctis vestrum fui. Nocte enim quadam nubilá in prora eram, nec Cabiros ullo pacto discernere poteram, quum subito pone me leni motu fauces eius hiare sentiebam, sed ingenti saltu me subduxi, nec, pro bona fortuna, nisi capedulum mihi eripuit, atque, ut postmodum reperi, totam lagenam optimi mei Berytici, tresque solidos caseos mihi devoravit."



Ionas hæc omnia intentissimus auscultavit; tum quærit:

"Et quid tu, gubernator, obsecro, tum egisti? Scio, equidem, quid ego meá vice egissem; scilicet per orificium illi ingentem plagam inflixissem."

"O, nihil quidquam ulla verba vel plagæ profuissent; ipsa enim me prorsus non intellexisset, quandoquidem Scylla unicam nonnisi linguam callet, Læstrygonum autem ea lingua est."

Cæterum hæc omnia tam serio-iocose prolata sunt, ut risum vix vel ipse continere posset, sed Aminocles pavore trepidans se illis subduxit, cæteri autem Phocæi sese in cavo navis præ metu abdiderunt.



CAPUT X

Gisco Inauritus Auriculas Recuperat.

TAMETSI aquæ in Freto Siculo a Septemtrione ad rectum promontorii ingenti volumine magnoque impetu ferantur, unde fabulæ mirificæ a nautis confictæ ad terrendos imperitos hodiedum circumferuntur, nos fretum omnino sine difficultate superavimus, atque alvei tam eramus gnari, naves vero clavo remisque ita scite paruerunt, ut ne celeritatem quidem minuere deberemus. Littora utrimque editiora sylvis dumetisque virebant, super quæ rupes præruptæ, mœnium instar, cineraceo colore eminebant, veluti arces in fastigiis constitutæ. Loca anchoris iaciendis idonea ubique abundabant, præsertim in sinu ipso, iuxta insulam, in freto. Attamen satius duxi hic non consistere, sed celerrimo quam poteramus cursu progredi, ut ante occasum ad caput flexionis viæ, e regione promontorii ad Lilybæum, quem locum nostrates frequentare consueverunt, ut ibidem sulphur, lapidesque vulcanicos compararent. Nonnulli Siculi mappalia habent in declivitate promontorii. Hi cæteris suis popularibus in Meridiana Occiduaque insulæ parte, paullo humaniores sunt, quod frequentior cum peregrinis conversatio animos eorum magis emolliverat; sed perpetuus Latinorum ad eos influxus, ut mihi quidem videtur, intra breve tempus hos numeris obruet, eosque omnino extinguet.

Superato Promontorio secundum littora insulæ Occasum versus navigabam, iugis Æolicis ad dextrum relictis, sub vesperum ad loca anchoris idonea perveni, ibi constiti, repertisque in-

tra circiter binos sagittarum a littore iactus aptis suffugiis, denique anchoras ieci. Sed quoniam de natura loci nihil plane habebam explorati, nec merces eá nocte exonerare, neque cum incolis ullum commercium inire posse rebar, et ad posterum mane rem deferre statui. Tamen aliqui incolarum cum faculis ad marginem usque aquæ accesserunt, atque variis indiciis animum erga nos amicum significarunt, quibus ego respondendum curavi, si, quantum possent sulphuris, corallorum, conchyliorumque allaturi essent, me cum iis libenter acturum. Quum hi diutius morati denique sentirent me in consilio perseverare, nec cum iis tunc negotiari velle, ægre discesserunt.

Paullo post horum discessum Himilco ostendit mihi latibula thynnorum prope ad manum, petivitque facultatem aliquot capiendi. Quandoquidem nostris iam pridem nulla erat facultas recens captis piscibus vescendi, quominus capiant, non abnui; proinde suasi ut delectis piscatoribus peritissimis, horum in societate id institueret. Pluribus igitur hamis ac tridentibus, item filis et chordis, tridentibus illigandis, ut his adminiculis pisces perfixi evelli possent, in scapham submissis, negotium Bichri, duobusque sagittoriis commisi, qui cum iis unà descenderunt. Ionas quoque, quippe qui, ubi de cibo potuque agebatur, se nunquam non alacrem præstare solitus erat, facultate eá lege obtentá, ut tubá, faculisque pisciculos allectaret, se his societate iunxit. Repertum est Amistoclen huius artis piscatoriæ perquam gnarum esse. Quamprimum itaque intellexit nihil a monstris, de quibus tantum in fabellis narrari audiverat, sibi verendum esse, ad sequendos cæteros facile animum adduxit.

"Quí factum est, obsecro," quærit ipse ex Himilcone, "ut et Scyllam et Charybdim, tam facile ac penitus evaderemus? Ego, profecto, semel iterumque prospectavi, sed, reverá, quod timendum esset, reperi nihil."

"Ne ego quidem," affectatá gravitate respondet Himilco, "monstrum enim illud vetusculum singulo quoque die visui non se offert; fieri etiam potest ut timore quodam teneatur, forte rubrá Hannibalis cristá, aut vero tubá Ionæ ipsum perterritum est. Utcunque, ratio, quare hæc monstra tam parum sibi constent, sufficiens reddi nequit."

"Ac recte quidem monstrum illud sibi cavit quum mihi obviam fieri ratum non habuerit," clamitat Ionas, "nam visá culiná Nergal, nihil quidquam est quod attentare non audeam."

Aminocles usque anceps ac dubius de his rebus, animi pendebat; quod vero ad montem attinet ignivomum, sciscitabatur utrum satis in tuto essemus.

"Quidni? in tuto?" ait Himilco, "enimvero flammæ ab eo loco, quo eas videras, sexcenta stadia absunt, nec reapse aliud quam imaginem aeris a nubibus reflexam vidisti."

"Cuncta hæc," arguit Ionas, "culinæ sunt Nergalis; et bellæ quidem; satis in iis caloris et numero ciborum abundat! Licet illi affatim coquere et assare. Ipse vero certe capitalis est cocus."

Nautæ istiusmodi facetiis ac nugis mirifice delectabantur; atque quum Himilco vultu gravi pergeret verba Ionæ interpretari, Aminocle usque pavente, iterum iterumque in cachinnos solvebantur.

Piscatio e sententia successit. Capturæ aliquot abundantissimæ erant. Denique ante diluculum scapha rediit, atque nautæ bene meritæ quieti sese tradiderunt.

Postridie multo mane, incolæ, quos priori vesperá ad nos venire videramus, multo maiori numero ad nos reverterunt; atque unus eorum minime dubitabat se fluctibus committere, et ad nos pernatare, quem nos in *Astarti* amice excepimus. Is vir erat, qui prototypi loco veri Siculi existimari poterat: staturá procerus, humiliori fronte, tenuiori naso labiisque, imberbi mento, colore denique vultús pæne cupreo. Latine nos affatus est, certioresque nos reddere cœpit partem insulæ ad Orientem a Latinis teneri, eosque Siculis infensissimos esse. Ad hæc ego respondi me Phœnicem esse, atque Italos Latinos, Italos Samnites, Umbros, ac Sabellios me eodem loco habere; me ad eos mercatum venisse, ab iis merces, uti coralla, sulphur, saxaque vulcanica, bono pretio postulare; quæ si ipsi suppeditare possent, me præstinare paratum esse. Ad hæc is respondit:

"Subditi nos sumus regis Morges, qui nos, præterquam in mediterraneo, negotia agere non sinit. Veni mecum intra eos

quos vides montes, ibi mercibus, quas memoras, abundamus; illic licebit, si ita videbitur, merces cambire."

Zelus eius quo nos ad excedendum, mercesque nostras in aridum efferri hortabatur, suspicionem meam suscitavit; nullo tamen diffidentiæ indicio prodito, pro specie, proposito eius annui, et ad evehendos mercium manipulos, præsidiumque sexaginta armatorum subsequendum paravi; præterea cavendum etiam iudicavi ut omnes mei sagittarii *Cabiris* impositi, cum omnibus suis machinis apparatuque bellico, proxime quam aquæ sinerent ad littus deveherentur.

"Quid attinet tantam armatorum turbam mittere?" quærit Siculus, postquam excesseramus; "Sufficimus nos ad merces vestras baiulandas; aliis non est opus."

Quum illi explicuissem mihi in animo non esse in mediterraneum procedere, sed eos, si merces suas cum nostris emutare vellent, ad nos in littus accedere oportere, animo multum commotus erat, et ad consultandum cum suis sodalibus discessit. Interea, dum ipse aberat, usus opportunitate oblatá, cunctas nostras hydrias limpidá e rivulo aquá, quæ se hic in sinum effundit, compleri iussi.

Emissarium redeuntem duo comites sequebantur.

"Nolite dubitare montem conscendere;" sic nos legati inclamant, "nos enim non modo merces vestras, sed, si videbitur, ipsos adeo vos supportabimus. Venite igitur!"

Multis deinde verbis me sollicitare cœperunt, ut, positá dubitatione, iter ingrederer, negotia legati perquam fructuosa polliciti.

His ego paucis verbis ostendi rationes, quare a littore abscedere non possem; esse etiam in animo hoc ipso vespere solvere, nec proinde otium suppetere, ut eos voti compotes facerem. Interea nautas merces nostras evolvere, visuique exponere iussi, præsertim minutiores, veluti ocellos vitreos, crepundia, ollas, lebetes refulgentes, lagenas, telas tinctas, aliaque eius generis. Hæc suam aviditatem adeo titillarunt, ut se iam nullo modo continere possent, et quum intelligerent me a proposito recedere prorsus nolle, ad suas merces afferendas festinanter abiverunt.

Moribus rudes et incompti, super singulis mercibus harilari tentaverunt; siquando autem quidquam quod admodum placeret conspexerant, e manibus nostrorum eripere conabantur, minora autem furtim subducere; nos tamen oculis alacribus vigilabamus, atque singulas merces quas ab illis mercatus eram, protinus in *Dagonem* referri, aut in nostra navi abscondi curavi. Turba Siculorum interim augeri cœpit, atque eodem progressa sua aviditas, habendi cupido, atque temeritas, et hoc adeo quidem, ut consultum putarem Sammai, Bichri, et Himilconem meæ securitatis causá accersendos curare.

Subito Gisco, qui in littore sedens tacitus observabat quæ apud nos gererentur, in pedes exsiliit, atque humerum Himilconis attrectans, eius animum ad certum subitaneum tumultum pone turbam Siculorum attentum reddit. Eius indicium et ego animadvertens, eo oculos meos converto, videoque ipso temporis puncto quemdam ducem, vel principem, viam per turbam tentare, cui omnis frequentia cedere videbatur. Ante eum virgæ, vel taleolæ ferebantur, cuncti rubro picti, atque corallis, conchyliis, aliisque rebus fulgentibus ornatæ. E longissimo horum certa quædam ornamenta oscillabant pendentia, quæ quid essent, discerni haud poterat; mihi tamen vix quidquam aliud, nisi folia arida esse videbantur. At Gisco me peritior erat.

Digito in proceram virgam collimato, voceque faucibus hæsitanti, sic me inclamat:

"En meas auriculas, Navarche!"

"Quid? tuæne auriculæ? Quid tibi in mentem venit?"

"Illic, cerne sis, illic super illam arundinem! videsne illas res colligatas? Novi ego commodum quid illæ sint!"

Etiam ulterius secum mutiebat: "Certe quisque suas auriculas noverit."

In cassum aciem intendebam, dignoscere, utræ cartillagines, quas Gisco suum par auricularum esse contendebat, suæ essent nec ne; nihil prorsus indicii, quo unum par ab altero discernere possem, vidi.

"Nihil refert," inquit Gisco, "cognosco eas; quin et aliud quid cognosco, scilicet ducem illum; is enim ipse balatro est qui eas mihi resecuerit."

Interea raptor auricularum gubernatoris mei ad me accessit, atque mecum coram negotiari cœpit. Satis magnam copiam sulphuris mihi vendidit, omneque negotium mecum amico et perhumano more agebat. Verumtamen, quum merces præstinatas, more meo, navibus committerem, ipse postulare cœpit ut præter et supra pretia quæ solveram, cataphractam, qualem Hannibal gereret, sibi ultro competere. Quum vero ego omnino negassem quidquam ei ultra quod erat conventum competere, manu violentá cataphractam Hannibalis apprehendit, eamque vellicare cœpit. Hannibal tamen, viribus ei superior, sese eripit, tantoque ictu eum ferit, ut ille tremens titubet, et in terram cadat. Hæc ictu oculi geruntur. Nec mora. Sine dubio, ex condicto, signo dato, imbre lapidum ac telorum in nos universi impetum faciunt. At me haud imparatum repererunt. Nam ego, ut supra demonstravi, præsidia mea in antecessum disposita habui, prohinc *Cabiri*, signo dato, catapultis ac tormentis suis iaculorum et lapidum grandinem illis, ubi confertissimi erant, supra capita nostra, infundere cœpit, Hannibal autem atque Sammai, suá quisque cohorte, ex utroque latere, destrictis gladiis, comminus eos adoriebantur.

At Gisco nos omnes antecessit. Antequam dux se in pedes erigere potuisset, gubernator se in eum præcipitavit, et Himilco quoque gladio stricto auxilio accurrens, caput ducis diffidit, atque duos e lictoribus eius ad latus mortuos, aut certe mortuis similes, prostravit.

Propugnatores mei interea priorem Siculorum aciem circa dimidium stadium a margine aquæ satis commode repulerunt; ego autem, primum quam naves nostræ, mercibus novis convasatis, ad proficiscendum paratæ erant, signum receptui cani iussi. Quum Siculi sibi non amplius instari sentirent, conversis signis, nostros, se recipientes, e longinquo tuto subsequi cœperunt, eosque lapidibus telisque iniectis, ultro lacessere. Ego tamen meos manipulatim naves inscendere iussi, nec plures quam circiter quindeni nostrum usque supererant, vectura scaphæ unius, mihique gratulabar bonam fortunam, quod tam parum incommodi tulerimus; eodem tamen ipso temporis puncto frequentior Siculorum turba nos adoritura appropinquavit. In sum-

mo hoc discrimine versantibus navis nostra, *Cabiri*, saluti erat; hæc enim intentis suis machinamentis iterum tela lapidesque in hostes spargere cœpit; quod nisi fecisset, ab iis certe obruti et capti fuissemus. Nunc autem, eá hostes cohibente, omnes incolumes inscendimus; ii autem, quamvis sævis clamoribus usque eo quoad poterant aquam ingressi, nos prosecuti erant, nos salvi evasimus; *Cabiri* autem leni motu a sua mole recedens, absque ulla iniuria subsecuta est.

In his certaminibus unus Phocæorum nostrorum cæsus est, alter graviter vulneratus, octonique nostrorum plus minusque læsi, aut percussi inde evaserunt; verumtamen obtinuimus coralla, conchylia, atque sulphur, valore mille quingenûm siclorum; ita ut, si adversa cum secundis conferamus, non admodum gravi incommodo nos evasisse merito existimavissemus. Iure quoque mihi ob tempestivam cautelam gratulari poteram, quod in nullas infidorum hostium insidias incideramus.

Gisco quoque haud parum se elatum sentiebat, perinde ac satis ultum. Ipse mox in stegam venit *Astartes*, ut sua trophæa ostenderet. Duas perticas secum ferebat a duobus hostibus captas, utrique quarum par cruentarum auricularum, quas de capitibus hostium præciderat, appensas ostentabat. Quod ad suas proprias auriculas attinet, persuaderi non poterat quin par, quod suum esset, et in cætera colluvione reperisset, revera suum esse arbitretur; atque illud parimposterum in marsupio suo conditum, perpetuo conservavit.

Eádem nocte frequentiam insularum Ægatum, e regione Lilybæi penetravimus, ubi Phœnices navalia condiderant. Post salutatam unam navim speculatoriam cursum ad Occiduum cum Meridie fleximus eá spe ut tranquillo mari, lenique Euro, tempore pomeridiano proximo assecuturi essemus præclarum illum sinum, qui ex una parte viam versus Uticam ducentem amplectitur, quæ urbs metropolis armamentariumque nostrarum coloniarium Libycarum, ex altera autem parte portum comprehendit Bosræ, eius rivalis, novo conditæ.

Omnes nostri perquam cupidi maioris cuiusdam portûs ca-

pessendi, ubi per tempus quiete potirentur, luce primá consurrexerunt. Hannibal præ cæteris sollicitabatur, quippe qui iam dudum spe ac desiderio videndarum Uticæ, atque Carthaginis tenebatur, quæsivitque ex me utrum esset verum Carthagini olim nomen Bosræ fuisse, nec nomen *Carthaginis* plus vicenis annis illi inditum fuisse.

Ostendi itaque illi in responsum se in sua de Carthagine opinione minime falli; nomen eius antea revera Bosra, quod *arcem* sonat, fuisse, sed Uticam iam ante centum annos exstitisse. Certiorem etiam eum feci se Uticam præclarissimam urbem iudicaturum; eius *Cothón,* sive portum militarem, sexaginta complecti naupegiaria, singulorum fornices ingentes, apparatu bellico plenos, iis contigua esse, totumque locum, ex parte continentis ita munitum, ut non modo aggeribus, vallis ac fossis, verum etiam triplici ordine mœnium septum et clausum, ut nullo pacto expugnari posset.

Antea iam quam Uticam pervenissemus sollicitam curam captivorum meorum habebam, ut duplicatis portionibus bene pascerentur, ut et somno recreati sedulo lavati, mundeque induti ad egressum pararentur. Rasennæ plerumque superstitionibus sunt dediti; nec mei captivi erant secus. Hæc mea singularis cura magnam sollicitudinem captivis meis incussit; nam duplicatas portiones, cæterasque mutationes in melius, se mox Diis immortalibus in victimas mactatum iri præsagire rati, summo terrore afficiebantur. In opaco cavi quibuslibet fere momentis alas Turms, animas mortuorum in Orcum abripientis, summo pavore sibi audire videbantur, nec deerant quibus persuasum esset, cæterisque persuadere conarentur, se gemitus eiulationesque auribus percipere eorum, qui in ima navi flagris cæderentur. Quum fama angorum istiusmodi ad me pervenit, ad angorem hunc discutiendum consilia mea illis aperienda censui. Quamobrem omnes eos ad me vocari iussi, planisque verbis ostendi illis has mutationes cibi vestitusque ideo factas esse ut et animis levati, et corporibus commodius pasti, mundatique, eximiori formá venire, cariorique pretio vendi possent, præsertim in tam præclara urbe, ubi servitia, secundum cuiusque facultates, commodiora obtenturi essent, ubi etiam meliori victu cultu-

que pro cuiusque industria aliisque meritis donarentur, quin et portiones spoliorum prædæque sibi vindicare, ac præmia pro meritis lucrificari possent. Ita vanis angoribus sublevati animisque erecti, acriori cibi appetentiá se recrearunt. Unius tantum rei usque eos pœnitebat, nimirum, a chara sua Hestia, Deá penatium, divelli; attamen fata humana recolentes, item, quum perpenderant Deos Deasque in cunctis terrarum partibus æque interesse, spe se solabantur futurum, ut Hestiam etiam in nova sua patria reperiant

Phocæi cadaver popularis sui a Siculis interfecti secum in navim contulerunt. Pollicitus illis sum, si id ullo modo facere possim, me locum ad sepulcrum idoneum comparaturum, ubi mortuum socium secundum ritum moremque patrium sepelire possint. Quum se hac mea sollicitudine intelligerent me illis etjam hac in re, quantum par esset, sibi gratificari velle, edixerunt se omnia pericula navalia grato animo subire esse paratos, quum tantam meam in se voluntatem experiantur, ut et suo ritui patrio sepulturæ assentiar, et etiam ad id operam conferam. Unum præterea ad conciliandos eorum animos hac in sua conditione accessit, nempe quod Himilco, cui post nugas fabulasque ab eo auditas, parum facile fidem præstabant, explicabat illos Siculos, quibuscum paullo ante pugnaverant, revera Læstrygones, quos tantopere metuissent, nec alios fuisse.



CAPUT XI.

Capita Nostra in Discrimen Adducuntur.

QVVM ad constratum revertebar, Promontorium Uticense (sive, ut linguá eius terræ, in littoribus Libycis, e regione Siciliæ, quandoque et Promontorium Hermæum appellari solet), plane in conspectu mihi erat.

Haud ita multo post, quandoquidem in tam claram urbem ingressuri eramus, de cultu ornatuque corporum nostrorum cogitandum mihi videbatur, et huic rei diligentiori curá operam dare cœpimus. Chitonetam igitur quam habebam optimam, mitramque acupictam, sedulo indui. Perinde Hannibal plumiferam galeam ac sub fulgida cataphracta nitidissimam tunicam induit.

Pedetentim non modo Promontorium, sed ipsam plane urbem Uticam sub oculis vidimus; paullo autem ad Meridiem, in extremo sinu, candicantem, sed confusam molem, sine dubitatione Carthaginem ipsam. A lævo hanc linquentes, cursum rectá in Occiduum direximus, versus sinum, atque linguam prætervecti, aliquot milliaria secundum littora depressa navigabamus, quæ ad urbem ipsam usque percurrebant, ita profecto, ut urbs ex ipso glauco æquore emergere, ac pedetentim altius usque eo assurgere videretur, ubi "bosra" veluti coronam ei imponere parebat celsitudine spectabilem. Tholi tectaque rubra et fusca templorum et aliorum ædificiorum, perinde ac mœnia, cum lineamentis arcis acrioribus e cœli cærulo eminere videbantur, pone autem undique et citra, viror vegetissimus propansus collium

ac vallium urbem complecti parebat, parietibus domorum calce dealbatis tanto candidius nitentibus.

Nonnullis grandioribus ædificiis in insula, per canalem a continente seiunctá, qui portum efficit mercatorium, leni cursu præteritis portum militarem ingressi sumus, cuius in medio, celsis turribus, robustisque muris, supra turbam navium longe prominentibus, ipsa Navalium Præfectura consistit. Circumspectans in crepidinibus, ad lævam partem marginis reperi locum pro navibus meis, ubi denique constitimus, navibusque ibi destinatis, cum Hannone in scapham insilui, traiectoque portu, in moleculam pavitam et spatiosam ascendi, quæ Præfecturam Navalem cum continente, cumque cæteris crepidinibus iungit, et quæ ob id magná vectorum aliorumque multitudine est frequens, qui negotiis in Præfectura eo ducuntur.

Illinc a mole portam sub vasto fornice, utrimque turri munito, transiluimus in cortem exteriorem. Hic custodes, qui essemus, quidve vellemus, interrogaverunt; tum miserunt nos per aliam, editiorem, portam in atrium, tapetibus rubris ac flavis pendentibus ornatum, inde in opacum vestibulum, unde per fauces angustiores, quarum in fine per semiapertum ostium introitus erat in cortem interiorem. Transeuntes cortem hanc, in alterum vestibulum, priori simile venimus, inde autem cubiculum quadratum, humilius, sub lacunari solido ac fornicato, unde per ianuam lateralem in obscurum, satisque inhospitale cubiculum, cum tholo rotundo supra, accessimus. Nec satis; ulterius nobis eundum erat: postquam ascenderamus ternos graduum cursus perquam angustos, secundam attigimus contignationem alterius turris, et in spatioso conclavi sub celso tholo constitimus, nec tamen ad finem peregrinationis nostræ pervenimus. Illinc itaque denuo iter ingressi, per aliquot gradus in fauces satis longas ducebamur, unde per alium ductum scalarum tandem in amplum conclave rotundum, luce per fenestellas in muris hiantes probe collustratum, ingressi sumus, et sub celso laqueari e lapidibus sectis fornicato et ornato, constitimus.

Quantum e peregrinatione nostra observare poteram, in læva e quatuor turribus eramus, quæ in fronte Septemtrionali

palatii sitæ erant, una in singulis ædificii extremitatibus, item, ex utroque latere portæ una; ex hac in privatum Præfecti Navalis canalem amplissimus prospectus patebat, ultra quem et meas naves in Cothón iacentes clarissime cernere poteram.

Conclave alternatis tapetibus rubris atque flavis erat clavatum, tabulatum autem mattis stratum. Custodes, qui nos inde a prima corte duxerant, ad fores constiterunt, facultateque nobis introeundi concessâ, ego cum Hannone adversum fenestram progressus, animadverti ibi senem Adonibal, Suffetem Navalem, in sella lignea picta sedentem.

Nemo fortasse est quin exploratum habeat urbes nostras Libycas legibus et magistratibus ad eam fere normam subesse, quæ multis partibus consilimis est institutis posteritatis Israel, ante regnum Saul; hoc est, magistratibus, qui *Súffetes* vocantur, parent; hi autem vix quidquam ab illorum *Iudicibus* differunt. Consilium a populo per suffragia eligitur, quisque autem electorum virorum in suffeturam iure pollet; hi, vicissim, e suo numero duos eligunt (quos tamen officio privandi ius populus sibi servat), quorum alteri summa imperii rerum navalium committitur, vocaturque *Suffes Navalis;* alteri autem, qui vulgo *Suffes Sacer* vocari solet, summa omnium Reipublicæ rerum potestas concreditur. Illud tamen haud tam universim pervulgatum est, Libycos suffetes superioribus denis annis nominatos tantum, nec tamen regibus, sive Tyri, sive Sidonis ad approbandum et confirmandum subiectos fuisse. Sic delecti proprio iure eliguntur, ut alia nulla conditio statuatur, nisi quod nefas sit Uticæ ad id munus ullum Tyrium eligi, utpote quæ revera colonia Sidonica est, nec ullum Sidonium fas sit Carthagini eligi, quandoquidem soli Tyrii eam urbem novam, circum antiquam Bosram, condiderunt.

Tempore nostræ visitationis Adonibal, filius Adoniram, munus Suffetis Navalis octo annos tenebat, nec quisquam vulgo dubitabat, quin ipse potestatem sui magisterii firmâ constantique manu exerceret. Post multorum annorum pericula ac terrâ marique vicissitudines, Uticæ consedit, ubi sua negotia tam commercialia, quam bellica, prosperrimo eventu factitavit. Ipse duxerat exercitum urbis adversum Libycos, pluresque incursiones

in agros Tartessiorum fecerat, atque insignem operam ad condendam Marsiliam contulerat, quæ ad ostia Rhodani, in terris Celtarum usque florentissima est urbs Salicorum. Ex grato ob sua servita animo, et in testimonium suæ in eum fiduciæ, quam in eius iudicio experientiaque posuerant, sui cives Uticenses eum Suffetem Navalem creaverunt. Nec perperam. Nam eo Rempublicam moderante, res Civitatis, coloniarumque, mirum in modum efflorescere cœperunt, unde sui cives brevi perspexerunt curam regendæ Reipublicæ felicius alteri nulli concredi potuisse.

In variis meis peregrinationibus Adonibalem mihi sæpius convenisse contigit, satisque mihi constabat eum audacissimum quondam prædonem fuisse; probe novi eum fortem nautam, scitumque esse mercatorem. Quamobrem sellam, in qua valens ac sospes senex ille residebat, læto animo accessi. Quamquam mentum eius longá et caná barbá cingebatur, superiora labia in glabrum erant tonsa, prisco more Chittitarum. In capite nauticum capedulum, ad auriculas usque depressum gerebat; nasus vero etiam paullo magis quam antea rubens, indicio esse videbatur eum cum lympha Helbonica, atque Berytia, ex optimo genimine prognata, coniunctiorem colere familiaritatem.

Salutem illi acclinis precatus, ei ob vegetam valetudinem gratulabar.

"A!" fatur ille facete, quam iam pridem assuefactus erat consuetudinem, "hic Mago Sidonius est, acerrimus, et omnium scitissimus, qui unquam Tartessum navim cedrinam detulerat navarchus! Et quis iste ephebus tuus comes est?"

Hannonem illi, ut scribam et popularem meum, stiti.

"Quomodo tandem illi omnes tui socii prosperant, qui te, quum ultimo hic versabaris, comitabantur?" prosecutos sermonem est Adonibal, barbam demissam permulcens. "Quínam valent Himilco luscus, Giscoque, qui iacturam auricularum tulerat? Et, denique, quid de clara *Gadita* factum est?"

Non parum elatus acumine suæ memoriæ, quo meorum tam accurate reminiscebatur, omnes probe valere, et usque apud me esse respondi; et, nec nisi obtutum ad fenestram eum flectere oportere, ut omnes meas naves cerneret in portu, inter eas *Gaditam*, cuius nomen in *Cabiros* mutavissemus.

Senex non sine quodam indicio ac significatu, subridebat.

"Iam ego faxo, ut pro arbitrio tuo naves tuas maturrime inspiciam," inquit ille, "haud multum morabor eas officiose inspicere. Cæterum *Melcarth* non plus triduo hinc discessit."

"Quid, *Melcarth?*" stupens clamo ego.

Quum videret me tanto stupore attonitum, me deridere cœpit. "Tam veterem pontivagum quam te! Multum te demiror, quod post Bodmilcarem tam mox huc te conferre non dubitas."

"Bodmilcar!" repeto ego, "certe res gestæ Bodmilcaris te præterire videntur!"

"Hoc unum me non præterit," respondet ille oculis sinistre nictantibus, "te, tuumque scribam gladios ponere oportere, atque in carcerem rapi, haud secus atque cæteros tuos paullo post temet eodem sequi."

Hæsi attonitus; at Hanno, silentii atque otii minus patiens, manu vaginam gladii percutit, et sic fatur:

"Gladius hic donum est Melech Davidis; et quicunque eum mihi adimere tentaverit, mucronem eius in pectore sentiet."

Irá excandens senex, ad pedes consurgit. Ictu oculi aliquot custodes manus in humeros incauti scribæ meo iniecerunt.

"Sinite eum!" mussat ille, "par ego sum qui me tuear."

Nunc, subito, repressá irá, utrumque nostrum allocutus, hunc in modum prosequitur:

"Extemplo ponite gladios, alioquin, per fidem Báal-Peor, capita vestra intra quadrantem horæ e celsissimo huius turris pinnaculo oscillabunt."

Novi ego Adonibal, nec dubitabam eum nomine sui Numinis incassum haud iuraturum, nec apud eum capita plura aut pauciora multum referre. Itaque quum viderem eum sedatiorem sese componere, sumpto quantum poteram animo, firmá, quam par erat, voce, alloquor:

"Suffes, mi Domine, æquum esse certe iudicabis, ut omnibus navigatoribus parem iustitiam tribuas; nec tu is es, qui quemlibet Sidonium navarchum inauditum carceri mancipes."

Interea satis compositus, solitá tranquillitate vocis sic fatur:

"Itum est ad afferendos compedes; ii mox aderunt; tamen tempus suppetere arbitror ut interea effari possis, quid velis. Ac, profecto, etiam cupidus sum scire, quemadmodum a crimine proditionis erga Bodmilcarem te purges, cuius sub imperio, ut mihi eius ex litteris palam est, a rege Hiram positus fueras."

"Unum tantum est quod quæram," respondeo illi, "atque si tuum responsum criminis me coarguit, licebit me obtrunces, pendas, crucifigas, pro tuo arbitrio. Ullumne tibi est documentum sigillo, manuque Bodmilcaris munitum?"

E pera iuxta se pendenti volumen papyri depromit, evolutumque mihi ob oculos ponit.

"En testimonium Bodmilcaris scriptum, sigillatum, ac propriá manu subnotatum. Hoc te certe satis coarguit, et crimen tuum comprobat."

"Plane contrarium!" redarguo ego. "Bodmilcar in propriam foveam incidit. Hic est pactum nostræ societatis!" His verbis documentum e manibus Hannonis eximo, Suffetique ad inspiciendum porrigo.

"Sic, profecto!" prosequor ego; "illud documentum leges initæ a nobis societatis complectitur, ac vel levi obtutu perspicies Bodmilcarem ad mecum navigandum, sub meo imperio convenisse. Quin vel ipsum sigillum, quo pactum ratum et acceptum confirmaverat, iis paucis nummulis præstinavit quos ego, ne fame periret, ad emendum sibi cibum, Tyri donaveram. Quem nunc, obsecro, proditorem iudicabis?"

Adonibal documentum magná curá lectitabat, nec parum sollicitari videbatur. Pauca post momenta surrexit, et sic est fatus:

"Amice, Mago, palam est me minus recte de te iudicasse. Prorsus nihil posset clarius demonstrari, quam infidelitas Bodmilcaris. Ignosce mihi præceps iudicium. Decebat me scire in antecessum, nec te, neque tuos tantæ proditionis reos unquam futuros."

Quum itaque fraudem, a Bodmilcare perpetratam, in propatulo videret, perquam optabat ipsam veritatem cognoscere, pollicitusque est se iustitiam cuique redditurum. Ut vero ego



historiam rerum a Bodmilcare gestarum ordine recitarem, vix limites indignationi suæ ponere valebat.

"Pro Deum Báal-Peor Berytium!" exclamat ille, "siquando Bodmilcari contingat, perinde ac suis, in manus meas incidere, intra horam cuncti crucifigentur."

Tunc ad Hannonem conversus:

"Tu autem, scriba," inquit, "quamquam ætate minor, proprio videris consilio pollere."

"Mi Domine," respondit Hanno, "nisi Navarchus Mago iam antea mihi clarum fecisset, quantum acumine discrimen statuendi iustitiamque vindicandi clueres, tantum ausus nunquam fuissem. Nihil timendum arbitrabar eum, qui adeo noverit veritatem patefacere."

"Hem, Mago," leni risu me affatur Adonibal, "acris ingenii iuvencum in eo tu alis; verúm, nunc iuvabit pocillum vini unà libare. Multum habeo de Bodmilcare dicere; et mox tot tuorum mecum discumbere posse spero, quotquot tibi videbitur."

Postquam illi pro beneficio atque honore hospitii gratias egeram, Hannonem officialium laterculum concinnare iussi, quo brevi confecto, custodum uni eundem concredidi. Interim vinum allatum erat, atque Adonibal eburneum poculum propriá manu cuique nostrum porrexit ad labella usque ex argento Tartessiaco politissima plenum. Sorbitantibus vinum, ipse satis disertis verbis indicabat sibi persuasum esse nos Uticam omnino vacuá manu non venisse.

"Non ignoro," inquit, "potiorem oneris tui partem regi Davidi competere; at ego suspicor satis veterem te navigatorem esse, quem occassio propriis quoque rationibus negotiola agitandi haud fallat. Dic, ergo, sodes, quid habeas venale?"

Fatebar illi me sulphuris, lapidumque vulcanicorum copiam comparavisse, quippe quæ merces in Libya facile divenditentur.

"Ita, profecto, res se habet," inquit ipse, "satis commoda pretia pro iis obtinebis. Sed quid aliud?"

"Eheu, mi Domine, Suffes," inquam, "probe tu quidem coniectabis mihi cum Ioniis et cum Siculis semel iterumque velitandum fuisse, ubi, ut mirum tibi haud videbitur, unam alteramque micam licuit mihi lectitare."

"Ha, ha!" in stomacho ridens, festive ac lepide senex subiicit: "Verus tu, inquam, Sidonius es; cedo, quot habes?"

"Unum et sexaginta;" respondeo illi; "sunt omnes ad unum musculosi ac lacertosi masculi, quorum pares nunquam videris. Consilium fortasse urbanum eos præstinare volet. Æquo etiam pretio venderem; mallem tamen catervatim, quam singillatim evendere. Forte Civitati persuaderi poterit ut eos præstinet."

"Probe ac recte mones, mi amice," assentitur Adonibal; "æquum proponis dignumque quod perpendatur. Nuper enim, nec paucos, et immites cum Libycis gerebamus conflictus, ac rimas inter milites actas certe sarcire debebimus. Sumptus in hos Græculos tuos probe videtur locatus. Sub imperio ducum Phœniciorum, præsertim in arcibus, præclara servitia præstant, si autem cadant, ingens iactura non est. Me rem expedire posse confido, ac manipulum abs te redimere. Posse me eos arbitror turbæ Ægyptiorum, quam a Bodmilcare præstinaveram, annumerare, eosque turmatim disponere, aliquos in præsidia, alios ad opera, denique alios ad cædendas arbores dimittere. Ægyptii in ædificando plurimum possunt."

"Rectene te intellexi," quæro ex eo, "a Bodmilcare te Ægyptios præstinasse? Balatronis eius proditionibus nullus prorsus videtur esse finis. Hi, mihi crede, Ægyptii commodati ad nos persequendos illi erant a Pharaone. Aliquot naves eorum prope Cretam perierunt."

"Ille mihi vendidit hominesque navesque;" ait Dominus Navalium. "Ii quidem primum clamorem sat violentum ciere cœperant, sed unus alterve in carcere dies, victusque tenuior, mox eos subegit, et nunc agnellos eos putaveris."

Recolendo astutiam huius Bodmilcaris, quá fœderis socios ludere non verebatur, risum tenere nequivi.

"Rideas licet," inquit Adonibal, partim iocose, partim serio, "nequam ille scordalus et Ægyptiorum ora sublevit, et tibi, veteri pontivago, verbis datis te emunxit. Tuá fortasse intererit scire eum hinc duobus gaulis meis atque trecenis Phœnicibus solvisse."

"Per Deúm hominumque fidem!" stupens exclamo, "quí hoc perfecit bipedum perditissimus?"

"Tercenti malefactores, ad deportandum in patriam damnati, huc congesti erant. Carceres quum mei conferti iam essent, statui eos primo quoque tempore in fodinas Tartessum devehendos. Bodmilcari, opportune advenienti negotium committo. Ad exsequendum opus duos illi gaulos commodo, eumque a me subsignato diplomate munio. Quid tum latro patrat? Deus Chusor Phta, omnesque Dii eum perdant! Quoniam omnes bene sanos, viribusque optime valere intelligit, eos libertate donat armatque et omnes in sua stipendia recipit. Itaque nunc ex omni parte paratus est ad te, meis gaulis, primum quam ei copiam tui feceris, adoriendum."

"Nihil dubito," inquam, "nequid tamen eá re moveáris; dicere enim ausim nos illis pares futuros."

Hæc disserentibus intervenit Hannibal, cæterique mei officiales, interim Suffetis invitatione acceptá.

"Salvete amici, cuncti salvete!" benigne eos affatur, "aliquot veteranorum vultus agnoscere profecto æquum esset. A, ecce Hamilcarem! Probe eius memini inde ex quo in mea adhuc navi tirunculus stipendia fecerat. Híc præterea etiam Himilco est, astrorum gnarus, nec, ni fallor, inscius arbiter poculi Helbonici. Usquene, Himilco?"

Gubernator meus ingenue fassus est se peritiam neutrius adhuc deposuisse.

"Tu autem, Gisco, unquamne auriculas amissas tuas reperisti?"

"Sic, profecto!" is confestim respondit, "suntque híc in marsupio reconditæ." "Quin nec meas tantum, verum etiam eius monstri, quod meas præciderat." Atque, ut Suffeti lepidum oblectamentum pararet, ut caput ducis Siculorum fiderit, ex ordine narrare cœpit.

Adonibal nullum meorum præterivit, quin singulos affabili modo alloqueretur, eosque se mox in navi visitaturum spopondit, dixitque naves nostras iam e fenestra sua spectavisse, easque sibi etiam mero obtutu placuisse.

Modo panes carnesque nobis dapinabantur. Dum his absumendis intenti eramus, quæsivi ex Adonibale, utrum inter

Ægyptios, sibi a Bodmilcare venditos, etiam aliqui Græcanici fuissent.

"Ita profecto," respondit ille, "fere duodeni Phocæi."

"Etiamne mulier, atque puer?"

"Sic est; et mulier, et puer; quandoquidem tamen horum usum nullum capere poteram, Bodmilcar eos servavit; et spadonem secum hadebat, qui iis ministraret."

"Tum tu spadonem vidisti?"

"Vidi equidem; flaccidus ac ventrosus Syrus ille fuit."

"Quid ille narravit, et qua de re?"

"Revera ille nihil narrare volebat, nisi quod iter Tyrum cupidus sciscitabatur."

"Numquid illuc redibit?"

"Parum videtur verosimile; Bodmilcar eum habet, nec facile eum dimittet."

Epulis finitis, aliquot servi nobis ad naves faculis præibant. Non eádem quá veneramus viá e palatio excessimus; sed pedes ad proximam deorsum contignationem referentes, per ianuam in proclivem ambitum, qui "aulæum" vocabatur, descendimus, in contubernia militum ducentem, ubi cellarum magnitudo exterioris muri crassitudinem æquabat; hinc atrium penetravimus fornicatum, unde fauces ad portam deducebant palatii ad canalem privatum Præfecturæ Navalium. Celox privata nos ibi præstolabatur, ad naves nos delatura. Omnes illic offendimus nautas, quibus vetitum erat suas stationes relinquere, multiformia consilia ac proposita in crastinum diem texentes.

Mox tubæ in variis navibus exaudiebantur, cunctos nautas pro nocte convocantes. Lumina innumerabilia circum circa emicantia indicio erant quam multis navibus portus scateret. Hæc omnia exsuperabant celsa ac fulgidiora lumina urbis, quibus ex adverso, ad Orientem, lumina languidiora e rimis murorum micantia Præfecturæ tanto magis ostendebant ingentem vastitatem tristioris struis.

Postridie ad excipiendum e condicto Suffetem Navalem iam maturrime cuncta in procinctu habebam; ac paullo ante meri-

diem conspicabar eius duodecim remos a privata crepidine sua procedere. Simul ut constratum *Astartes* conscenderat, se circumvertens, oculosque versus fastigia palatii sublevans.

"Vesani!" secum mutit, "quam sunt tardi! Me iuvene mandata dimidio temporis huius exsecutioni dabantur."

Vix effatus erat, quum aliquot homines in summo unius turrium comparuerunt, atque circiter vicena capita in pinnaculo munitionis fixerunt.

"Probe tandem, denique!" prosequitur secum, "iam ante quadrantem horæ fieri oportebat."

Quum eum tandem ad se iterum rediisse sentiebam, onera navium mearum illi exhibere cœpi, atque captivos ad lustrandum produxi. Ipse, itaque; sine ulla harilatione (nam Adonibal, revera, semper magnanimum generosumque se præstare solebat), ad solvendum satis liberale pretium, tam pro captivis, quam pro sulphure lapidibusque vulcanicis mecum cito convenit.

Deinde naves meas a summo ad imum inspexit, reperitque eas et faberrime factas, et accurate dispositas, et denique armamentis optime instructas. Memor porro suæ inhumanitatis quá nos exceperat, eamque munificentiá compensare cupiens, facultatem mihi fecit ut naves meas in alvos subducerem, hoc quidem gratis, eo proposito ut laminatum cupreum carinarum perscrutari possem. Tunc merces a me emptas evolvendas transvehendasque mancipia vero diligenter custodiri iussit, dum ipse sinum transfretaturus erat ad dirimendam quamdam litem, quam illic Tyrii inter se agitabant. Accitis suis officialibus cum funibus ac flagris, mihi his verbis valedixit:

"Vale, in præsenti, mi Mago; omnes tuos desiderio visendæ urbis teneri video. Quondam et ego iuvenis satis superque intelligo quam quibusdam, etiamsi pauci in sacculo sicli lateant, eum nummi perurere videantur."

His dictis, signo comitibus dato, scriba, officialibusque antecedentibus, celocem inscendit ac discessit.

Mercibus meis e sententia evenditis, meos iam nihil demorari volebam, quominus, quod iam dudum in votis habebant, in terram, datá facultate, egredi possent. Paucis itaque ad custo-

diendas naves retentis, cæteri magná cum voluptate usi suá libertate sunt.

Phocæi cadaver sui commilitonis fasciis involventes, statuerunt in sepulcretum, quod quidam nautarum indicaverat, effere. Antequam profecti erant, Aminoclem, in gratiam servitiorum suorum paucis siclis donavi. Ipse mirabundus obtutum in siclos defigebat.

"Ohe," inquibam, "oblitus plane eram vos barbaros nummorum signatorum nullum usum capere; nihil tamen refert: nautæ qui vos comitaturi sunt, statim ostendent tibi quemadmodum iis utendum sit. Modo illis confidito!"

Hannone, Hannibale, Sammai et Bichri, item duabus mulierculis in societatem accitis, in principem crepidinem egressus sum, Himilco vero cum amico suo Giscone atque cum Hasdrubale Hamilcareque, aliud iter ingredi maluerunt. Crumenæ nostræ pugillaresque nummis sat commodum tumebant, atque desiderio visendæ claræ urbis eiusque mirabiliorum omnes flagravimus, præsertim qui eam nunquam viderant.

Primam stationem apud ædem Astartes fecimus. Hæc autem sita erat ad radices munitionum, quæ ingressum ad portum tutabantur, nec multum a statione nostrarum navium aberat; et, quum nec Bichri, nec Sammai, neque Abigail sacra facere vellent, nec Deæ munera offerre, in crepidine nos præstolabantur, oculos in numerosissimis navibus, Cothón, mercatoriumque portum intrantibus et exeuntibus, qui hinc satis clare cerni poterant, pascentes, ut aiebant, sese delectaverunt.

Ædes, munitioni insistens, ex rei natura structura simplicissima est. Tectum eius octo inornatæ columnæ sustinent, suntque, ut ipsi parietes, tectorio opere ochrá obductæ. Ex adverso ipsa Dea recumbens videbatur cum aurea luna mediata capiti superimposita. Ex elencho sacrificiorum iuxta ostium suspenso secundum pretia munera mihi selegi, solutisque quinque siclis sacra persolvi; quo facto, a præposito munitionum, mihi dudum cognito, facultatem impetravi ut meos comites in clivum tecti, unde amplissimus in urbem prospectus patebat, conducere possem. Sammai, Bichri atque Abigail ibi nos convenerunt. Ocu-

les inde ad mare vertentibus, Cothōn nobis atque Præfectura Navalis ad lævum videbantur, ex parte autem dextra erat insula, sedes huius coloniæ prisca, atque portus mercatorius, qui eam ab urbe seiungit. Continentem versus nostro visui albicantes parietes ædificiorum clivorumque urbis obversabantur, intersecti vicis ac plateis, tholis turribusque interspersi, horum tectis rubro fuscoque distinctis, quibus omnibus adversus Meridiem finem imposuit munitissima immensæque molis arx, sedes Suffetis Sacri. Urbem a continente, perinde atque a mari, geminus ordo munitionum ambibat, ultra quas aggeres vallati, secundum naturam soli modo deprimi, modo exsurgere totumque circumcurrere videbantur, tertiam extremamque munitionem urbi præstabant. Citra hæc, tam late quam acies penetrare poterat, ipsa regio urbi contigua omni suo virore iacebat, cum patulis campis, segetibus, maturitate flavescentibus, passim villis candicantibus, tectisque ac tholis atris, vel rubentibus, item prædiis et cisternis distincta.

Cothōn Uticæ, quamquam cum portubus Tyriorum ac Sidoniorum non comparandum, tamen omnium portuum, qui usquam in nostris Occiduis coloniis creati erant, præstantissimus est, cœloque aptatissimus. Magnitudo eius quadringentos octuaginta cubitos, sive prope dodrantem stadii quadrati efficit, parque est capiendis navibus bellicis quadringentis. Hinc siccus alveus, utrimque fastigatis ripis, tramiteque inter celsas columnas ducit ad maiorem portum armamentarii. Hic portus a tribus lateribus crepidinibus cingitur lapidibus stratis, duodenûm cubitorum latitudinis, super aquas parum elatis, a quarto autem latere moles est obiecta magnæ firmitudinis. Pone crepidines murus magnæ molis exsurgit ex opere siliceo, cum fronte lapidibus quadratis Melitensibus expleta, statis intervallis fornicatis transitibus, qui ad naupegiam ducunt. Ut Hannibalem docui, hîc sexageni alveoli sunt ad naves in arido recipiendas, sexdecim cubitos alti, sed quum duodenos tantum cubitos sint lati, et quadraginta longi, minoribus solum navigiis, uti *Cabiri*, recipiendis sunt apti, maiores autem in canalem, ante armamentarium mitti oportet si reparandæ sint. Hi alveoli obtecti sunt plano pavimento, alteramque efficiunt crepidinem, eiusdem quam sub-

terna latitudinis. Super hanc crepidinem, supraque alveolos, spatiis rectá mensurá dispertitis, fornices, promtuariaque, in altitudinem quatuordecim cubitorum ordine stant, quorum plana tecta tertium fastigum efficiunt, eodem cum cætera urbe plano.

In intimo latere portús infima crepido iuncta est cum mole, ex eius medio in aquam excurrente, estque cum crepidine Præfecturæ Navalis in eodem plano, eique in circuitu est iuncta. Eius extremitas versus littus, a fornicibus ac promptuariis ibi cessantibus, est aperta, ac plerumque multitudine referta. Huic extremitati finem imponunt lapidei gradus, qui ad plana secundum atque tertium ducunt, hinc autem, e tertio plano, per muros munitionum incisos, qui cæteroquin totum circueunt portum, commodi in urbem ingressus sunt.

Introitus in Cothón ex una parte munitionibus, in quibus templum situm est, defenditur, ex alia autem aliis duabus, muro obiecto interstitiis intervenientibus, quæ unà terminum statuunt moli, in mare excurrenti. Meatus in ostio portús admodum coarctatus est tramitibus helciariis, quorum latitudo efficit, ut introitus non plus quam triginta cubitos æquet. Exterior alveus armamentarii eodem modo geminis munitionibus defenditur, quarum altera e regione extremitatis molis iacet, aliæ autem binæ in utroque interiori fine Cothonis sunt collocatæ, ex utroque latere una; quarum unius pedeplanum pari modo templum est. A mole initium capit solidus murus cum loricis pinnisque, qui circumsepto armamentario, eiusque portu exteriore, ad munitionem lævam se mœnibus urbis iungit. — Ut rerum huius generis peritus, Hannibal pronuntiabat munitiones has prorsus mirabiles esse, tam delineatione et consilio, quam opere, existimabatque urbem, Cothonem, atque armamentarium, sic munitionibus cincta, mœnibus urbis, tum muro loricato in hoc incurrente septa, profecto in tuto contra omnes obsidiones et assultus esse licere.

Moles ipsa eximium est opus. Namque tota pilis est superstructa, seque inde a canali armamentarii usque ad ostia portús protendit. Tota eius latitudo viginti quatuor cubitorum

est, totaque eius silicea congeries angustis et obliquis meatibus aeris perforata est, quæ res et siccitati ac robori consulit, et undarum impetus tardat et lenit. Opus totum Adonibalis acri ingenio diligentiæque, cuius curá ac vigilentiá effectum erat, in acceptis referendum est.

Palatium Præfecturæ Navalium in medio præclarum est ædificium. Constat autem ex æde principe, senis turribus rotundis, quaternisque quadris. Speciem refert parallelogrammi, non omnino perfecti, cum turribus rotundis in singulis angulis exterioribus, cum cohorte in medio, unde aditus patent in cuncta conclavia palatii, et circa quam ambitus columnis insistens circuit; hæ autem columnæ binos ordines arcuum, cum totidem ambitibus, sustinent. Reliquæ duæ turres rotundæ ad Septemtrionalem frontem palatii iuxta portam stant utrimque, ubi privatus Suffetis a crepidine ingressus est. E Meridie quoque est aditus inter pinnatos muros, qui muris palatii iuncti sunt. Atque híc erat ille ingressus, per quem ego in cohortem exteriorem perveni, et unde in unam interiorum turrium perductus sum, quarum ex eo loco, ubi nunc stabamus, summa tantum culmina conspici poterant.

Templo egredientes, comites meos secundum marginem ad locum in extremitate crepidinis apertum perduxi, unde gradus ascendentes transivimus sub fornicibus, in interiore latere Cothonis, ac pedetentim ad vicos suburbanos pervenimus. Prætereuntes balnea, ad lævum nos vertimus, atque gressus nostros sursum flectentes, procedebamus versus Bosra. Híc, ad limina planitiei, in qua arx sita erat, amplum compitum reperimus, nautarum frequentiá celebre. Ibidem, sub umbris arborum attegia ac tabernacula circumquaque stant, in quibus edulia ac potus varii generis vociferatione perquam vivaci adventoribus paucis nummulis divenditantur, musicá híc et illic accinente. In nonnullis attegiis coruscatores, ventriloqui, funambulones, alias mimi, ac scurræ otiosis offerunt diverticula; in adversa extremitate obsoniorum, cetariorum, oleratorum, bellariorum sunt tabernæ cum macellis ac pistrinis, totumque est forum victuarium, ubi, ut nunc, nundinæ servari solent, quo in loco feræ ebur, mancipia, escæ, dulciaria, fructus, cæteraque Libyæ

producta veneunt. Hic solent magnam partem diei homines omnis conditionis ac status, omnis ætatis, utriusque sexus catervatim exigere. Multitudo omnium generum promiscua hic congregatur, seque diversitat: musici illis concinunt, saltatores ac saltatrices choreas agitant; acrobatæ, præstigiatores, magi, incantatores, ignivomi, suo quisque modo ad captandas geras lenocinantur; propolæ et circitores capedula, cuculliones, crepidas, obstragula, cingulos, pugiones, crumenas, pugillaria, vociferando commendant ac venditant. Alii liba mellita, placentas, scriblitas, coptas, minutalia, botulos, tuceta, scrutillos, savillum, dodram, sabaiam, cœliam, aliaque tragemata et potus algificos ac temeta ebriantia turbæ præterfluenti, præsertim manipulis nautarum, modo ex alto egressorum, quorum balteos siclis tumere suspicabantur, stridulá voce commendantes obtrudebant. Non quidem mihi in animo erat in hunc locum venire, sed vetustá quadam e iuventute consuetudine prope invitus horsum gressus cum cociis meis direxi.

Nemo non videbatur lautitias, ut fit, appetere. Nec mora. Iam plures catervas, etiam meorum, video immisceri, in cachinnos, cantilenas, dicteria dilabi, prorsum nitentes in turba cubitis viam sibi effodere, vero nautarum more, a cauponis et copis temeta redimentes, affatimque ingurgitantes.

Iam et Hannibal istas lautitias magni facere cœpit, quum Hanno subito ordinem capitum a Suffete Sacro in pinnaculo murorum Bosræ visui oblatorum ac defixorum animadvertens, spectaculum ei indicavit. Hannibal aspectu cruento et atroci parum moratus, quin rem vix oculis dignatus, de ipsis munitionibus, quam arduus ac difficilis esset ascensus, etiam scalis, quam etiam ingens opus eius esset expugnatio, disserere cœpit, quum clamor subitaneus undique resonans eum ad priorem sententiam revocavit. Causam autem clamoris ac tumultús, cuius et Bichri et Sammai mulieresque participes erant, ingens elephantus, quem aliqui Libyes ducebant, esse videbatur.

"Quodnam monstrum hic cernimus?" Hannibal æque stupens rogat.

"Hui!" clamat Bichri, "quantis sagittis opus esset ad tantam belluam prosternendam!"

"Certe hanc belluam Behemoth esse oportet, de quo tam multa prædicari audivimus," inquit Sammai obstupefactus.

Docui itaque eos belluam, quæ cunctos tantam in admirationem rapuit, elephantum esse, ingentes autem dentes, qui ex ore prominerent, esse ebur, nasum autem perlongum, quem in collo veluti funem circumplexum habebat, esse proboscidem, cuius usum se pascendo ac tuendo scitissimum capere soleret.

"Quam eximium ordinem primipilorum in acie præstaret grex huiusmodi belluarum!" arguit Hannibal, more suo res militares in animo versans. "Intelligere prorsus non possum, quemadmodum ullæ pedestres copiæ, his adversantibus, locum suum sustinere possent. Unum tantum ad agendum superesset, acie utrimque retractá, viam iis pandere, et sic prætergressos a tergo adoriri, eosque debellare."

"Scito, Hannibal," respondi ego, "te haudquaquam primum esse militem cui consilium istud placuerit. Nonnulla horum animalium iam sic fuerunt domita, atque usu exercitata, ut in tergo turriculam cum sagittariis gestarent. Hæ belluæ in regione superioris Bagradæ, item in sylvis circa lacum Tritonis, interioris Libyæ, capiuntur."

Præter elephantum vidimus etiam hippopotamum, sive equum fluviatilem, et unum alterumve rhinoceron, cum validis suis cornibus. Totum id pars erat tributi (ex elephantis domitis, ex ebore, et e feris consistentis), quod Suffes Sacer Libycis, ad flumen Bagradæ modo subactis imposuerat, quodque tributum in itinere erat ad Bosram.

Dum hæc aguntur, vox mihi notissima ad aures prevenit, quá auditá, me converto, videoque Ionam, turbá nostrorum nautarum cachinnantium cinctum, quam ipse toto capite humerisque exsuperabat.

"Nunc tandem aliquando," tubicen clamabat, "ibi sum ubi esse semper volui! Nunc demum sum in terra insolitarum fera rum. Ista profecto prima est bestia quam unquam in vita mea conspexi cum duabus caudis, una a postico, altera ab extremo naso. Valde miror, quanto cæpullarum opus esset ei, qui molem tanti tergoris salagmate condire vellet. Etiam perquam optarem

scire quanto tempore aliquis unus eo victitare, eiusque carnem absumere posset."

Relictis nautis, ut suo se more oblectarent, pedes nostros versus forum dereximus, ubi rubicundi Libyes, aquilino naso, longisque cruribus implexis, mancipia venum offerebantur. Interim tentorium intravimus, ubi diversissima edulia oculos et olfactum allectabant. Merendam mihi comitibusque apponi iussi. Servus Syriacus, qui loco domini servitium obibat, duas gallinas Numidicas, fabas lixas cum cæpullis, olivas, panem, satisque potabile Helbonicum nobis dapinavit. Hannibal iuxta focum commodum locum occupabat, ut oculos in mellitis libis, quæ superne frigebantur, pasceret.

Haud ita diu in tabernaculo morabamur, quum et Himilco cum Giscone unà comparebat. Hos una ambubaia saltans, aliæque tres sequebantur, una tibiá canens, aliæ tympanula pulsantes. Puella saltans e Mauris erat occiduis. Color vultus eius cupreus erat, crines autem plexos gerebat, tamquam angues. Supercilia et ungues rubro erant distincti, facies vero per transversum tribus clavis parallelis, more Mahuarin compuncta, in carpis autem suis atque talis crepitacula ferebat, quæ singulos eius motus tinniendo reddiderunt. Tibicen e Berberia erat oriunda, cute candida, comis flavis, in medio capite, supra angustam frontem bipertitis. Utraque puella lautiora gerebat suppara, genuum tenus fissa; comas spiculis crinalibus constrictas habebant, in curiosis figuris desinentibus. Præterea et monilia, zonasque vitro vitreatoque ornata, item inaures gerebant, e quibus cruces maiusculæ pendebant. Tympanistræ admodum erant turpes, quarum una ad Rasennas spectare videbatur, vultus autem alterius rubro cæruloque tinctus, sed adeo mimice agebat, ut qua ex gente esset, dignosci nullo pacto posset.

Himilco hilaris admodum erat. Cum Giscone ad me accessit, narravitque se ante meridiem omnes popinas visisse, chorumque conduxisse, quem modo videmus se quaquaversum euntes comitari, seque quum convivarentur oblectare.

"Misellæ ambubaiæ!" ait Abigail, "anne omnibus nautis æque eas gratificari oportet?"

"Minime gentium!" respondeo ego, "satis ipsæ cavent ne cui, nisi numeratá pecuniá, ludum præstent; nec eas hac in re multum periclitari arbitror."

Nunc Libyssa ludum edere cœpit. Pauca momenta morati, intuebamur eius membrorum distortiones; mox tamen e tabernaculo discessimus.

Primus qui nobis in via occurrebat, Hamilcar fuit, simiam in ulnis baiulans.

"Hamilcar cum simia!" mirans clamat Hannibal. "Ubinam terrarum eam accepisti? Eam ipsam rem et ego comparare volo. Vellem eam ad pugnandum instituere."

"Quin et ego vellem simiam habere," clamitat Hanno, "saltere eam docerem."

Bichri putabat se eam arcu uti pro certo docere posse; Sammai autem persuasum habebat iocum capitalem fore, si mimum agere doceretur, ut Ionam ludificaretur giganteum.

Conventum itaque omnium consensu est nos in *Astarti* simiam habere debere.

Hamilcar docebat itaque eos per compitum versus portum mercatorium abire oportere, ubi Hamun ditissimus resideret mercator, atque in angulo viæ, quæ ad ædem Moloch duceret, negotiatorem se offensuros, qui totam haberet vehem venalem.

"Copiam ibi reperietis, ex qua seligatis," docet eos; "simias illic offendetis omnis generis, omnis staturæ, omniumque colorum. Eligetis vobis fuscas, rufas, canas, furvas, aut etiam virides, caudis, vel absque, villosas, pilosas, aut glabras, feras, aut cicures, modo petatis quid velitis, et certe obtinebitis."

Versus portum mercatorium meantibus nobis obviam fit Aminocles, prorsus ebrius. Aliquot nautæ eum titubantem ductitabant, summá voce cantantes. Ipse quidem satis mature, quin æquo maturius, didicerat qui usus, vel potius, abusus, siclorum argenteorum esset.

Negotatiorem simiarum sine labore reperimus; atque Hanno, qui sibi munus seligendi assumpserat, selegit simiam, consensu omnium, ad discendum universarum quæ ibi reperiri poterant, maxime idoneam atque longe scitissimam.

"At nunc," quærit Hannibal, "quonam potissimum nomine eam appellemus?" quod ex opinione suá quæque res aliquo nomine debebat vocari.

"Nonne putas," quærit Hanno, "insignem hanc simiam quamdam similitudinem Sidonii Iudicis Gebal ferre? Videdum eam! Aspice modo! Annon putas hanc ei, quum ille oculos versat, occipitium scalpitat sententiam redditurus, non tanquam lac lacti, simillimam esse?"

"Prorsus ita, Hercle!" cachinno respondet Hannibal; "quin prorsus ipsa eius alternatio est; Iudex Gebal ergo esto!"

Nunc, denique, merce præstinatá, deorsum ad marginem aquæ ambulabamus, ubi nacti scapham, traiecto portu mercatorio, in adversam insulam, ubi opulentiorum civium ædes sitæ sunt, pervenimus. Nam denis annis superioribus, mercatorum complures, postquam ampliores fortunas opesque conflaverant, relictis negotiis vitáque maritimá, huc potissimum commigrarunt, sibique ædes sumptuosissimas, omnique luxu ac splendore refercias hic loci erexerunt. Otiosi ad extremitatem insulæ perambulavimus, ac, postquam mulierculas ad præclara balnea in summo muro, supra minorem canalem, reliqueramus, ubi celoces procerum destinatæ servabantur, nos ad balnea virorum nos contulimus, et ex sententia lavati, rasi, tonsi, comtique, otio fruebamur. His peractis, postquam mulierculæ ad nos reverterunt, lintre nactá, proxime in Cothón traiecimus, et in adversa ripa pharum invisimus, tum per pedes in hortos ascendimus splendidissimos, inter arcem, inferioremque urbem sitos. Hic templum Achmon meis comitibus ostendi, inde vero ad puteos publicos visendos digressi sumus, ubi urbana multitudo per otium congregari, seque sermonibus diversitare consuevit.

Nocte iam appropinquante ad *Astarten* reversi sumus, ubi lampades iam accensas reperimus. Eo quum venimus, servum reperi diversitoris quondam mei, quum antea Uticam visitaveram, qui mihi invitationem postridie ad prandendum apud se tetendit. Nuntium ei cum gratiis remisi, qui diceret, nos hospitalitatis suæ cum grato lubentique animo participes futuros. Nobis toto die absentibus, cocus meus cœnam opiparam, pro pro-



diem conspicabar eius duodecim remos a privata crepidine sua procedere. Simul ut constratum *Astartes* conscenderat, se circumvertens, oculosque versus fastigia palatii sublevans.

"Vesani!" secum mutit, "quam sunt tardi! Me iuvene mandata dimidio temporis huius exsecutioni dabantur."

Vix effatus erat, quum aliquot homines in summo unius turrium comparuerunt, atque circiter vicena capita in pinnaculo munitionis fixerunt.

"Probe tandem, denique!" prosequitur secum, "iam ante quadrantem horæ fieri oportebat."

Quum eum tandem ad se iterum rediisse sentiebam, onera navium mearum illi exhibere cœpi, atque captivos ad lustrandum produxi. Ipse, itaque; sine ulla harilatione (nam Adonibal, revera, semper magnanimun generosumque se præstare solebat), ad solvendum satis liberale pretium, tam pro captivis, quam pro sulphure lapidibusque vulcanicis mecum cito convenit.

Deinde naves meas a summo ad imum inspexit, reperitque eas et faberrime factas, et accurate dispositas, et denique armamentis optime instructas. Memor porro suæ inhumanitatis quá nos exceperat, eamque munificentiá compensare cupiens, facultatem mihi fecit ut naves meas in alvos subducerem, hoc quidem gratis, eo proposito ut laminatum cupreum carinarum perscrutari possem. Tunc merces a me emptas evolvendas transvehendasque mancipia vero diligenter custodiri iussit, dum ipse sinum transfretaturus erat ad dirimendam quamdam litem, quam illic Tyrii inter se agitabant. Accitis suis officialibus cum funibus ac flagris, mihi his verbis valedixit:

"Vale, in præsenti, mi Mago; omnes tuos desiderio visendæ urbis teneri video. Quondam et ego iuvenis satis superque intelligo quam quibusdam, etiamsi pauci in sacculo sicli lateant, eum nummi perurere videantur."

His dictis, signo comitibus dato, scriba, officialibusque antecedentibus, celocem inscendit ac discessit.

Mercibus meis e sententia evenditis, meos iam nihil demorari volebam, quominus, quod iam dudum in votis habebant, in terram, datá facultate, egredi possent. Paucis itaque ad custo-

diendas naves retentis, cæteri magná cum voluptate usi suá libertate sunt.

Phocæi cadaver sui commilitonis fasciis involventes, statuerunt in sepulcretum, quod quidam nautarum indicaverat, effere. Antequam profecti erant, Aminoclem, in gratiam servitiorum suorum paucis siclis donavi. Ipse mirabundus obtutum in siclos defigebat.

"Ohe," inquibam, "oblitus plane eram vos barbaros nummorum signatorum nullum usum capere; nihil tamen refert: nautæ qui vos comitaturi sunt, statim ostendent tibi quemadmodum iis utendum sit. Modo illis confidito!"

Hannone, Hannibale, Sammai et Bichri, item duabus mulierculis in societatem accitis, in principem crepidinem egressus sum, Himilco vero cum amico suo Giscone atque cum Hasdrubale Hamilcareque, aliud iter ingredi maluerunt. Crumenæ nostræ pugillaresque nummis sat commodum tumebant, atque desiderio visendæ claræ urbis eiusque mirabiliorum omnes flagravimus, præsertim qui eam nunquam viderant.

Primam stationem apud ædem Astartes fecimus. Hæc autem sita erat ad radices munitionum, quæ ingressum ad portum tutabantur, nec multum a statione nostrarum navium aberat; et, quum nec Bichri, nec Sammai, neque Abigail sacra facere vellent, nec Deæ munera offerre, in crepidine nos præstolabantur, oculos in numerosissimis navibus, Cothón, mercatoriumque portum intrantibus et exeuntibus, qui hinc satis clare cerni poterant, pascentes, ut aiebant, sese delectaverunt.

Ædes, munitioni insistens, ex rei natura structura simplicissima est. Tectum eius octo inornatæ columnæ sustinent, suntque, ut ipsi parietes, tectorio opere ochrá obductæ. Ex adverso ipsa Dea recumbens videbatur cum aurea luna mediata capiti superimposita. Ex elencho sacrificiorum iuxta ostium suspenso secundum pretia munera mihi selegi, solutisque quinque siclis sacra persolvi; quo facto, a præposito munitionum, mihi dudum cognito, facultatem impetravi ut meos comites in clivum tecti, unde amplissimus in urbem prospectus patebat, conducere possem. Sammai, Bichri atque Abigail ibi nos convenerunt. Ocu-

les inde ad mare vertentibus, Cothôn nobis atque Præfectura Navalis ad lævum videbantur, ex parte autem dextra erat insula, sedes huius coloniæ prisca, atque portus mercatorius, qui eam ab urbe seiungit. Continentem versus nostro visui albicantes parietes ædificiorum clivorumque urbis obversabantur, intersecti vicis ac plateis, tholis turribusque interspersi, horum tectis rubro fuscoque distinctis, quibus omnibus adversus Meridiem finem imposuit munitissima immensæque molis arx, sedes Suffetis Sacri. Urbem a continente, perinde atque a mari, geminus ordo munitionum ambibat, ultra quas aggeres vallati, secundum naturam soli modo deprimi, modo exsurgere totumque circumcurrere videbantur, tertiam extremamque munitionem urbi præstabant. Citra hæc, tam late quam acies penetrare poterat, ipsa regio urbi contigua omni suo virore iacebat, cum patulis campis, segetibus, maturitate flavescentibus, passim villis candicantibus, tectisque ac tholis atris, vel rubentibus, item prædiis et cisternis distincta.

Cothôn Uticæ, quamquam cum portubus Tyriorum ac Sidoniorum non comparandum, tamen omnium portuum, qui usquam in nostris Occiduis coloniis creati erant, præstantissimus est, cœloque aptatissimus. Magnitudo eius quadringentos octuaginta cubitos, sive prope dodrantem stadii quadrati efficit, parque est capiendis navibus bellicis quadringentis. Hinc siccus alveus, utrimque fastigatis ripis, tramiteque inter celsas columnas ducit ad maiorem portum armamentarii. Hic portus a tribus lateribus crepidinibus cingitur lapidibus stratis, duodenûm cubitorum latitudinis, super aquas parum elatis, a quarto autem latere moles est obiecta magnæ firmitudinis. Pone crepidines murus magnæ molis exsurgit ex opere siliceo, cum fronte lapidibus quadratis Melitensibus expleta, statis intervallis fornicatis transitibus, qui ad naupegiam ducunt. Ut Hannibalem docui, hîc sexageni alveoli sunt ad naves in arido recipiendas, sexdecim cubitos alti, sed quum duodenos tantum cubitos sint lati, et quadraginta longi, minoribus solum navigiis, uti *Cabiri*, recipiendis sunt apti, maiores autem in canalem, ante armamentarium mitti oportet si reparandæ sint. Hi alveoli obtecti sunt plano pavimento, alteramque efficiunt crepidinem, eiusdem quam sub-

terna latitudinis. Super hanc crepidinem, supraque alveolos, spatiis rectá mensurá dispertitis, fornices, promtuariaque, in altitudinem quatuordecim cubitorum ordine stant, quorum plana tecta tertium fastigum efficiunt, eodem cum cætera urbe plano.

In intimo latere portús infima crepido iuncta est cum mole, ex eius medio in aquam excurrente, estque cum crepidine Præfecturæ Navalis in eodem plano, eique in circuitu est iuncta. Eius extremitas versus littus, a fornicibus ac promptuariis ibi cessantibus, est aperta, ac plerumque multitudine referta. Huic extremitati finem imponunt lapidei gradus, qui ad plana secundum atque tertium ducunt, hinc autem, e tertio plano, per muros munitionum incisos, qui cæteroquin totum circueunt portum, commodi in urbem ingressus sunt.

Introitus in Cothón ex una parte munitionibus, in quibus templum situm est, defenditur, ex alia autem aliis duabus, muro obiecto interstitiis intervenientibus, quæ unà terminum statuunt moli, in mare excurrenti. Meatus in ostio portús admodum coarctatus est tramitibus helciariis, quorum latitudo efficit, ut introitus non plus quam triginta cubitos æquet. Exterior alveus armamentarii eodem modo geminis munitionibus defenditur, quarum altera e regione extremitatis molis iacet, aliæ autem binæ in utroque interiori fine Cothonis sunt collocatæ, ex utroque latere una; quarum unius pedeplanum pari modo templum est. A mole initium capit solidus murus cum loricis pinnisque, qui circumsepto armamentario, eiusque portu exteriore, ad munitionem lævam se mœnibus urbis iungit. — Ut rerum huius generis peritus, Hannibal pronuntiabat munitiones has prorsus mirabiles esse, tam delineatione et consilio, quam opere, existimabatque urbem, Cothonem, atque armamentarium, sic munitionibus cincta, mœnibus urbis, tum muro loricato in hoc incurrente septa, profecto in tuto contra omnes obsidiones et assultus esse licere.

Moles ipsa eximium est opus. Namque tota pilis est superstructa, seque inde a canali armamentarii usque ad ostia portús protendit. Tota eius latitudo viginti quatuor cubitorum

est, totaque eius silicea congeries angustis et obliquis meatibus aeris perforata est, quæ res et siccitati ac robori consulit, et undarum impetus tardat et lenit. Opus totum Adonibalis acri ingenio diligentiæque, cuius curá ac vigilentiá effectum erat, in acceptis referendum est.

Palatium Præfecturæ Navalium in medio præclarum est ædificium. Constat autem ex æde principe, senis turribus rotundis, quaternisque quadris. Speciem refert parallelogrammi, non omnino perfecti, cum turribus rotundis in singulis angulis exterioribus, cum cohorte in medio, unde aditus patent in cuncta conclavia palatii, et circa quam ambitus columnis insistens circuit; hæ autem columnæ binos ordines arcuum, cum totidem ambitibus, sustinent. Reliquæ duæ turres rotundæ ad Septemtrionalem frontem palatii iuxta portam stant utrimque, ubi privatus Suffetis a crepidine ingressus est. E Meridie quoque est aditus inter pinnatos muros, qui muris palatii iuncti sunt. Atque híc erat ille ingressus, per quem ego in cohortem exteriorem perveni, et unde in unam interiorum turrium perductus sum, quarum ex eo loco, ubi nunc stabamus, summa tantum culmina conspici poterant.

Templo egredientes, comites meos secundum marginem ad locum in extremitate crepidinis apertum perduxi, unde gradus ascendentes transivimus sub fornicibus, in interiore latere Cothonis, ac pedetentim ad vicos suburbanos pervenimus. Prætereuntes balnea, ad lævum nos vertimus, atque gressus nostros sursum flectentes, procedebamus versus Bosra. Híc, ad limina planitiei, in qua arx sita erat, amplum compitum reperimus, nautarum frequentiá celebre. Ibidem, sub umbris arborum attegia ac tabernacula circumquaque stant, in quibus edulia ac potus varii generis vociferatione perquam vivaci adventoribus paucis nummulis divenditantur, musicá híc et illic accinente. In nonnullis attegiis coruscatores, ventriloqui, funambulones, alias mimi, ac scurræ otiosis offerunt diverticula; in adversa extremitate obsoniorum, cetariorum, oleratorum, bellariorum sunt tabernæ cum macellis ac pistrinis, totumque est forum victuarium, ubi, ut nunc, nundinæ servari solent, quo in loco feræ ebur, mancipia, escæ, dulciaria, fructus, cæteraque Libyæ

producta veneunt. Híc solent magnam partem diei homines omnis conditionis ac status, omnis ætatis, utriusque sexus catervatim exigere. Multitudo omnium generum promiscua híc congregatur, seque diversitat: musici illis concinunt, saltatores ac saltatrices choreas agitant; acrobatæ, præstigiatores, magi, incantatores, ignivomi, suo quisquė modo ad captandas geras lenocinantur; propolæ et circitores capedula, cuculliones, crepidas, obstragula, cingulos, pugiones, crumenas, pugillɔria, vociferando commendant ac venditant. Alii liba mellita, placentas, scriblitas, coptas, minutalia, botulos, tuceta, scrutillos, savillum, dodram, sabaiam, cœliam, aliaque tragemata et potus algificos ac temeta ebriantia turbæ præterfluenti, præsertim manipulis nautarum, modo ex alto egressorum, quorum balteos siclis tumere suspicabantur, stridulá voce commendantes obtrudebant. Non quidem mihi in animo erat in hunc locum venire, sed vetustá quadam e iuventute consuetudine prope invitus horsum gressus cum cociis meis direxi.

Nemo non videbatur lautitias, ut fit, appetere. Nec mora. Iam plures catervas, etiam meorum, video immisceri, in cachinnos, cantilenas, dicteria dilabi, prorsum nitentes in turba cubitis viam sibi effodere, vero nautarum more, a cauponis et copis temeta redimentes, affatimque ingurgitantes.

Iam et Hannibal istas lautitias magni facere cœpit, quum Hanno subito ordinem capitum a Suffete Sacro in pinnaculo murorum Bosræ visui oblatorum ac defixorum animadvertens, spectaculum ei indicavit. Hannibal aspectu cruento et atroci parum moratus, quin rem vix oculis dignatus, de ipsis munitionibus, quam arduus ac difficilis esset ascensus, etiam scalis, quam etiam ingens opus eius esset expugnatio, disserere cœpit, quum clamor subitaneus undique resonans eum ad priorem sententiam revocavit. Causam autem clamoris ac tumultús, cuius et Bichri et Sammai mulieresque participes erant, ingens elephantus, quem aliqui Libyes ducebant, esse videbatur.

"Quodnam monstrum híc cernimus?" Hannibal æque stupens rogat.

"Hui!" clamat Bichri, "quantis sagittis opus esset ad tantam belluam prosternendam!"

"Certe hanc belluam Behemoth esse oportet, de quo tam multa prædicari audivimus," inquit Sammai obstupefactus.

Docui itaque eos belluam, quæ cunctos tantam in admirationem rapuit, elephantum esse, ingentes autem dentes, qui ex ore prominerent, esse ebur, nasum autem perlongum, quem in collo veluti funem circumplexum habebat, esse proboscidem, cuius usum se pascendo ac tuendo scitissimum capere soleret.

"Quam eximium ordinem primipilorum in acie præstaret grex huiusmodi belluarum!" arguit Hannibal, more suo res militares in animo versans. "Intelligere prorsus non possum, quemadmodum ullæ pedestres copiæ, his adversantibus, locum suum sustinere possent. Unum tantum ad agendum superesset, acie utrimque retractá, viam iis pandere, et sic prætergressos a tergo adoriri, eosque debellare."

"Scito, Hannibal," respondi ego, "te haudquaquam primum esse militem cui consilium istud placuerit. Nonnulla horum animalium iam sic fuerunt domita, atque usu exercitata, ut in tergo turriculam cum sagittariis gestarent. Hæ belluæ in regione superioris Bagradæ, item in sylvis circa lacum Tritonis, interioris Libyæ, capiuntur."

Præter elephantum vidimus etiam hippopotamum, sive equum fluviatilem, et unum alterumve rhinoceron, cum validis suis cornibus. Totum id pars erat tributi (ex elephantis domitis, ex ebore, et e feris consistentis), quod Suffes Sacer Libycis, ad flumen Bagradæ modo subactis imposuerat, quodque tributum in itinere erat ad Bosram.

Dum hæc aguntur, vox mihi notissima ad aures prevenit, quá auditá, me converto, videoque Ionam, turbá nostrorum nautarum cachinnantium cinctum, quam ipse toto capite humerisque exsuperabat.

"Nunc tandem aliquando," tubicen clamabat, "ibi sum ubi esse semper volui! Nunc demum sum in terra insolitarum fera rum. Ista profecto prima est bestia quam unquam in vita mea conspexi cum duabus caudis, una a postico, altera ab extremo naso. Valde miror, quanto cæpullarum opus esset ei, qui molem tanti tergoris salagmate condire vellet. Etiam perquam optarem

scire quanto tempore aliquis unus eo victitare, eiusque carnem absumere posset."

Relictis nautis, ut suo se more oblectarent, pedes nostros versus forum direximus, ubi rubicundi Libyes, aquilino naso, longisque cruribus implexis, mancipia venum offerebantur. Interim tentorium intravimus, ubi diversissima edulia oculos et olfactum allectabant. Merendam mihi comitibusque apponi iussi. Servus Syriacus, qui loco domini servitium obibat, duas gallinas Numidicas, fabas lixas cum cæpullis, olivas, panem, satisque potabile Helbonicum nobis dapinavit. Hannibal iuxta focum commodum locum occupabat, ut oculos in mellitis libis, quæ superne frigebantur, pasceret.

Haud ita diu in tabernaculo morabamur, quum et Himilco cum Giscone unà comparebat. Hos una ambubaia saltans, aliæque tres sequebantur, una tibiá canens, aliæ tympanula pulsantes. Puella saltans e Mauris erat occiduis. Color vultus eius cupreus erat, crines autem plexos gerebat, tamquam angues. Supercilia et ungues rubro erant distincti, facies vero per transversum tribus clavis parallelis, more Mahuarin compuncta, in carpis autem suis atque talis crepitacula ferebat, quæ singulos eius motus tinniendo reddiderunt. Tibicen e Berberia erat oriunda, cute candida, comis flavis, in medio capite, supra angustam frontem bipertitis. Utraque puella lautiora gerebat suppara, genuum tenus fissa; comas spiculis crinalibus constrictas habebant, in curiosis figuris desinentibus. Præterea et monilia, zonasque vitro vitreatoque ornata, item inaures gerebant, e quibus cruces maiusculæ pendebant. Tympanistræ admodum erant turpes, quarum una ad Rasennas spectare videbatur, vultus autem alterius rubro cæruloque tinctus, sed adeo mimice agebat, ut qua ex gente esset, dignosci nullo pacto posset.

Himilco hilaris admodum erat. Cum Giscone ad me accessit, narravitque se ante meridiem omnes popinas visisse, chorumque conduxisse, quem modo videmus se quaquaversum euntes comitàri, seque quum convivarentur oblectare.

"Misellæ ambubaiæ!" ait Abigail, "anne omnibus nautis æque eas gratificari oportet?"

"Minime gentium!" respondeo ego, "satis ipsæ cavent ne cui, nisi numeratá pecuniá, ludum præstent; nec eas hac in re multum periclitari arbitror."

Nunc Libyssa ludum edere cœpit. Pauca momenta morati, intuebamur eius membrorum distortiones; mox tamen e tabernaculo discessimus.

Primus qui nobis in via occurrebat, Hamilcar fuit, simiam in ulnis baiulans.

"Hamilcar cum simia!" mirans clamat Hannibal. "Ubinam terrarum eam accepisti? Eam ipsam rem et ego comparare volo. Vellem eam ad pugnandum instituere."

"Quin et ego vellem simiam habere," clamitat Hanno, "saltere eam docerem."

Bichri putabat se eam arcu uti pro certo docere posse; Sammai autem persuasum habebat iocum capitalem fore, si mimum agere doceretur, ut Ionam ludificaretur giganteum.

Conventum itaque omnium consensu est nos in *Astarti* simiam habere debere.

Hamilcar docebat itaque eos per compitum versus portum mercatorium abire oportere, ubi Hamun ditissimus resideret mercator, atque in angulo viæ, quæ ad ædem Moloch duceret, negotiatorem se offensuros, qui totam haberet vehem venalem.

"Copiam ibi reperietis, ex qua seligatis," docet eos; "simias illic offendetis omnis generis, omnis staturæ, omniumque colorum. Eligetis vobis fuscas, rufas, canas, furvas, aut etiam virides, caudis, vel absque, villosas, pilosas, aut glabras, feras, aut cicures, modo petatis quid velitis, et certe obtinebitis."

Versus portum mercatorium meantibus nobis obviam fit Aminocles, prorsus ebrius. Aliquot nautæ eum titubantem ductitabant, summá voce cantantes. Ipse quidem satis mature, quin æquo maturius, didicerat qui usus, vel potius, abusus, siclorum argenteorum esset.

Negotatiorem simiarum sine labore reperimus; atque Hanno, qui sibi munus seligendi assumpserat, selegit simiam, consensu omnium, ad discendum universarum quæ ibi reperiri poterant, maxime idoneam atque longe scitissimam.

"At nunc," quærit Hannibal, "quonam potissimum nomine eam appellemus?" quod ex opinione suá quæque res aliquo nomine debebat vocari.

"Nonne putas," quærit Hanno, "insignem hanc simiam quamdam similitudinem Sidonii Iudicis Gebal ferre? Videdum eam! Aspice modo! Annon putas hanc ei, quum ille oculos versat, occipitium scalpitat sententiam redditurus, non tanquam lac lacti, simillimam esse?"

"Prorsus ita, Hercle!" cachinno respondet Hannibal; "quin prorsus ipsa eius alternatio est; Iudex Gebal ergo esto!"

Nunc, denique, merce præstinatá, deorsum ad marginem aquæ ambulabamus, ubi nacti scapham, traiecto portu mercatorio, in adversam insulam, ubi opulentiorum civium ædes sitæ sunt, pervenimus. Nam denis annis superioribus, mercatorum complures, postquam ampliores fortunas opesque conflaverant, relictis negotiis vitáque maritimá, huc potissimum commigrarunt, sibique ædes sumptuosissimas, omnique luxu ac splendore referctas hic loci erexerunt. Otiosi ad extremitatem insulæ perambulavimus, ac, postquam mulierculas ad præclara balnea in summo muro, supra minorem canalem, reliqueramus, ubi celoces procerum destinatæ servabantur, nos ad balnea virorum nos contulimus, et ex sententia lavati, rasi, tonsi, comtique, otio fruebamur. His peractis, postquam mulierculæ ad nos reverterunt, lintre nactá, proxime in Cothón traiecimus, et in adversa ripa pharum invisimus, tum per pedes in hortos ascendimus splendidissimos, inter arcem, inferioremque urbem sitos. Hic templum Achmon meis comitibus ostendi, inde vero ad puteos publicos visendos digressi sumus, ubi urbana multitudo per otium congregari, seque sermonibus diversitare consuevit.

Nocte iam appropinquante ad *Astarten* reversi sumus, ubi lampades iam accensas reperimus. Eo quum venimus, servum reperi diversitoris quondam mei, quum antea Uticam visitaveram, qui mihi invitationem postridie ad prandendum apud se tetendit. Nuntium ei cum gratiis remisi, qui diceret, nos hospitalitatis suæ cum grato lubentique animo participes futuros. Nobis toto die absentibus, cocus meus cœnam opiparam, pro pro-

prio arbitrio et indole domum reversis paravit, quá satis lassi, magnopere delectati eramus.

Tandem, postremo, tuba cecinit, nautasque omnes ad navigia sua officiaque revocavit. Hi bini ternique pedetentim convenerunt plerumque plus minus temulenti, nec defuerunt qui se loquaces et clamorosos præberent. Verumtamen tantum apud cunctos usus et disciplina valuerunt, ut primum quam constratum pede attigissent, confestim conticescerent, silentesque suas camas peterent. Inter ultimos reduces animadverti Himilconem, cuius in laudem memoratum esse volo me eum omnino parem comperisse, qui per se, sine Gisconis, sui amici, fultura tabulatum transire valeret.



CAPUT XII

Oraculum consulo.

POSTRIDIE mane primum mihi negotium statui summum forum, portui mercatorio ædique Achmonis contiguum visere. Cinctum id undique erat celsis domibus quæ arcubus insistebant, in quibus tabernæ sunt mercatorum, penuaria autem et cameræ horum in areis, a postico sitæ sunt. His in tabernis omnes merces diversissimarum artium et industriæ Libycæ venum propositæ erant. Sub oculis ibi erant positæ omnimodæ pelles crudæ et paratæ; lapides politi pro sculptoribus; cuprum Numidicum; pelles leonum e montibus Atlanticis; flagra et lora e corio hippopotamorum, a Lacu Tritonis; dentes elephantorum e Macar; frumenta e Zeugi atque e Byzatio; lana e regionibus Garamantum. Haud parum temporis absumpsi præstinando ebur et satis quidem magnam copiam æquo pretio. Postea, die labente, Hannibale et Hamilcare accitis, ad præstandam fidem cuidam hospiti, ut pridie vesperi convenerat, eum visum ivimus. Hanno et Sammai sese Chryseidi atque Abigail comites per urbem præbere maluerunt; Bichri vero ad vespertinas lautitias ire se paravit, assumptis in societatem Giscone, Hasdrubale et Himilcone.

Barca, noster hospes, unus opulentissimorum huius coloniæ navigatorum, sub tentorio in cæspite ante ædes suas, in sublimi colle positas, pro nobis erecto, lautissimas epulas paravit. Post diutinum convivium vina allata sunt, item chorus musicorum aderat, qui nos modulationibus, saltatrices autem suá arte sal-

tandi nos oblectabant. Insuper etiam senex quidam servus Barcæ, Libycus, traditæ suæ gentis historiæ, arcanorum item ac mirabilium eius originis peritissimus, qui nobis ea decinere cœpit.

Ut ex cantu eius intelligere nobis licuit, olim, in prisca vetustate, ad Meridiem Libyæ vastissimum exstitit mare, in quod complura flumina se effunderant. Ad Meridiem ab hoc mari terræ Æthiopum erant sitæ, qui vultu simiis admodum erant similes. Istud mare erat origo Lacûs Tritonis, sive Palladis; series autem lacuum a radicibus Montis Atlantis profecta, sese a viciniis Gadium usque ad Carth, in Byzatio (nunc Tritonum nomine nobis noto) protendebat, modo partim paludes sunt, e diluvione eorum fluminum oriundæ, quarum aquas, e Meridie fluentes, Mons Atlas dissipaverat; quæ vero usque salsæ sunt, reliquiæ eiusdem maris sunt. Itaque, ut ex eius dictis colligimus, duo montium iuga sunt: alterum, quod magis ad Austrum vergit, quod aquas suas usque ad Tritones Montemque Atlantem diffundit, alterum autem, quod suas aquas Macar, atque Bagradas, in nostrum Mare Magnum evertit. Longinquius ad Occasum, ex eodem Monte Atlante, alii fluvii manant, satis clari, sed hi ab arenis absorbentur. At vero hi fluvii, ante multa sæcula, in sinum Oceani Atlantici mediterraneum in continentem longe imminentem dilabebantur, atque hic sinus iis temporibus Meridianam Libyam terminabat; illinc autem Orientem versus porrectus, prope ad confinia Ægypti, postremo se Syrtibus coniunxit. Libya, itaque, in illa cana vetustate magna pæninsula erat, angustoque nonnisi isthmo, qui modo Fretum Gaditanum appellatur, continenti hærebat, alioquin undique aquis cincta; ab Aquilone Orienteque Syrtibus, quæ eam ab Ægypto disiungebant; a Meridie, memorato mari mediterraneo, cuius modo fundus superest, scilicet deserta arida ac salebrosa; ab Occasu denique Oceanus eam terminabat.

Temporum tamen lapsu summæ rerum mutationes factæ sunt. Seni hæc canenti, vultus clarescere cœpit, unde rerum peritia cognosci poterat, quum ingentes terrarum motus ac distortiones, quemadmodum isthmus Gaditanus in fretum commutatus sit, quemadmodum aquæ ingenti terræ concussione retror-

sum iactæ in mare fuerint, montesque aquarum ex Oceano in Mare Magnum irruerint, unde effectum esset, ut Mare Magnum emergentibus seque erigentibus terris cedere debuerit.

Post hæc etiam magis avidus auscultabam. Iam utique novi quí mare terram obruere poterat. Nec me Siculorum fides præterit, suam insulam in vetustate primæva angusto tractu terræ Vitalorum terris fuisse iunctam. Perinde memini a Phœnicibus accepisse, insulam Chittim, multis ante memoriam maiorum sæculis, ingenti diluvione a continente fuisse avulsam. Nunc vero narrari audio quemadmodum, miro quodam eventu, mare e Meridie Libyæ evanuerit.

Interim senex pergit narrare, ut aquæ a terra recedentes magnam insularum multitudinem obruerint, relictis, veluti memoriam pristini quondam archipelagi ingentis, Fortunatis Insulis, de quibus ipse mox plura, unde facilis erat aditus non modo ad terras Atlantidis, etiam lintribus, verum etiam ad vastas terras, longius ad Oceanum dissitas. Nunc tamen, quod Atlantis fluctibus obruta ac deleta est, omne cum illis terris remotissimis commercium intermissum esse, a quibus tam russi, quam albidi Libyes primas origines traxisse dicant, quique Orientem versus migrantes, oppida condiderint, primaque fundamenta Ægypti iecerint, atque Deorum suorum notitiam quaquaversum diffuderint, unde, profecto, Dionysus ac Minerva Graiorum atque Vitalorum, non secus ac Zeus, qui apud nos Phœnices *Báal Hammon* appellatur, ortos esse existimandum sit. Secundum propria tradita sua, quæ memoriá Græcorum confirmantur, Pelasgi, duce suo Melcarth-Uso, in Libyam migraverunt, inde tamen, successu temporis in Orientem sedes suas transtulerunt. Tum, ut ipse fari pergit, ingens illa terræ concussio facta erat, ut, deinde, aquæ retrorsum ruerint, terræ autem in præsentem speciem ac formam resederint. Tunc etiam factum esse aiebat, ut Sidonii, Deorum suorum operá freti, suum in maribus suprematum asserere cœpissent, missisque in omnem terrarum orbem navibus, emporia ubique instituissent, artem scribendi aliaque ingenii humani inventa, artesque humaniores apud cæteras gentes disseminassent.

Quo longius senecio narrandis suis e remota vetustate fa-

bulis progressus erat, eo acriori animo atque avidioribus auribus eum prosecuti sumus. Hannibal intentis ac patulis oculis assidebat, quandoque in stuporem coniectus, in verba erupit admirationis; quin et ego, quamquam minus obstupefactus, partim quod talia ab aliis memorari audiveram, partim quod et ego de his ipsis rebus sæpe et multum speculari consueveram, tamen facere non poteram, quin, concinnum ordinem narrationis, quo nobis ea proponebantur, alacerrimo animo exciperem. Ea nocte, ex imo commotus animo, propeque delirus, somno me tradidi, ac per quietem eximiæ classis me præfectum videri mihi videbar, et versatum me cum meis in infinito Oceano ultra Atlantidem, novas illic terras ibidem reperisse; ac mane proximo exsurgens votum mecum vovi, ut, primum quam expeditionem hanc Tartessum feliciter ad finem perducturus essem, novam, in Occasum, ad novas terras reperiendas, susciperem.

Triduum Uticæ exegimus, quum Adonibal mecum se colloqui velle nuntiavit. Itaque sine mora me in palatium contuli. Ministri in illud me conclave deduxerunt unde Præfecto commodissimus prospectus in portum navesque patebat. Percontanti, quamdiu me hic morari necesse esset, et quam mox soluturus essem, respondi, id biduo, mercibus comparatis, futurum.

"En, accipe itaque litteras," inquit ille, "ad Suffetes Rusadir et Gadium; volo insuper decem nautas tibi in eorum loco dare quos amiseras. Non enim credo tibi licere viribus parum pollere, si quo casu Bodmilcari obviam fias."

Iam gratias illi agitare pro insigni in me voluntate cœpi, quum ipse vetuit, dixitque sibi a me quinquaginta siclos deberi.

Ego quidem paratissimum me fassus sum solvere libenter quidquid deberem, tamen mirum mihi videri dixi me illi imprudentem debere, quæsivique rei causam.

"Parum est," inquit Adonibal, suo lepido more loquendi, "te in incitas haud aget. Ego, profecto, ne memorare quidem vellem, sed, ut scis, principium omnium Phœnicum recte sentientium est, ut æras in suis negotiis sarta tecta servent. Profecto, mulcta parvula ea est. Aliquot nautarum tuorum paucos meorum Ligurum in semimortuos verberarunt. Scordali ii ne-



farii in carcerem detrusi sunt, ut crapulam hesternæ ebrietatis edormiant; at tu modo solvas eorum mulctas, tum ego statim mandatum scriptum ad dimittendos eos tibi tradam, et si ita videbitur, ipse eos educere poteris."

"Aha!" subridens respondi illi, "propalam ostendere volebas diligentiam tuorum lictorum."

Facere non poteram quin in mentem eius per analogiam huius eventus tempus revocarem, quum ego ei gubernatorem egissem, quumque eum ipsum, ad me redimendum, in carcerem venire oportuisset, et hoc in Chittim, ubi captus eram, propterea quod caput Seir, magni cuiusdam mercatoris, infregeram.

"Nonne id vis significari quod me *Achmonis* navarcho evenerat, quæ quidem navis præclarissima fuit?" quærit Adonibal. "Ita, profecto; memini optime; ætate tunc longe fuimus minores, uterque nostrum, quam modo. Ephebus nunquam non in discrimina incidere consuevi, quoties littus tumente marsupio petivi; at nunc inanis cortex sum, exarmatus in sabulonem littoris elisus. Sic, eheu, vivitur! Iuvenes, alteruter alterius caput infringendo delectabamur; senes facti, iis amputandis otiamur."

"Sed serio, quibus rebus impliciti nautæ mei obnoxios sese reddiderunt?"

"Quantum e relatis compertum habeo," respondet Suffes, "ii sui negotii esse duxerunt quemdam Dionysi sacerdotem iocis suis impetere. Primo vino eum oneratum sopiverunt, tum vultum eius totum rubro et cærulo tingentes, eum saltare coegerunt. Aliqui meorum militum Ligurum, quid rei gereretur conspicati, ad tuendum sacerdotem accurrunt, tui tamen iocum suum ab his frustrandum non esse rati, resistere cœperunt. Duos itaque milites supplantant; quo viso, custodes prætorii ad dirimendum certamen accedunt, quaternosque ebriorum nautarum tuorum huc, ad me, rapiunt. Ego eos in vincula mancipari iussi, non tamen virgis cædi; patientem etenim me plerumque in eiusmodi procacitate nautarum præbere consuevi. Nunc Præfectus Navalium sum, servivique patriæ diu, quondam tamen iuvenem me gubernatorem fuisse nullo modo oblivione delevi."



Negotiis his peractis, Suffeti amicissime valedixi, atque e palatio Præfecturæ ad carceres visendos me contuli.

Fornices subterranei, quos me nunc ingredi oportebat, admodum opaci sunt. Pleraque hæc loca receptacula erant armorum et mercium, aliquot tamen carcerum officio fungebantur. Claviger ianuam unius horum pro me pandit, atque ope luminis tedæ eius Bichri ibi conspicio, nautarumque meorum tres. Omnes tristes, elingues et deiecti fluxum præbebant spectaculum, ita ut risum continere haud potuerim. Verumtamen statim severum finxi vultum, eosque aspere increpavi, atque solutos eos hinc cum monitu dimisi, nequis eorum in posterum navim relinquere auderet. Nec ipsi ullam moram ad alteram accipiendam obiurgationem interposuerunt, quin ictu oculi dissiluerunt. Carceres etenim Præfecti Navalium haud sunt loca appetenda, ac rari ea aliorsum quam ad crucem, vel patibulum, evadunt.

Reversus ad crepidinem, pertransii ductus subterraneos ad naupegiam, ubi reliquum diem navibus meis reparandis intentus exegi. Ad vesperum opus totum perfectum erat. Celeritas, quá naupegi omnem laborem administraverant, tam erat mihi grata, ut eá elatus, severitatem meam erga sontes penitus relaxarem, et exactis eorum votis, nunquam amplius id genus facinus ac dedecus se perpetraturos, iterum indulsi ut postero die aliis liceret eis frui feriis.

Ex mea parte statui eum diem in expeditione ad exiguum templum Báal Hammon, non longe ab urbe situm, explere, nec quemquam præter senem servum Libycum, amici mei Barcæ, eo accitum habere.

Templum hoc in opaco lugubrique recessu sylvarum situm est. Delubrum hoc figurá oblongum, tam ianuá quam fenestris caret; horum locum apertura in tecto tenet, quá fumus sacrificiorum dilabitur; cavum autem subterraneum præbet, quod dumis fruticibusque adumbratum, saxo quoque satis grandi advoluto clausum, occulitur. Prope ad introitum tres senes ac seminudi Libyes præstolantes adstabant, ac, post brevem cum servo mecum accito per susurrum consultationem, sublato saxo, introitus patuit. His hominibus comitantibus cavum ingredior, et haud longe progressus, in cavernam angustam opacamque per-

venio, cuius in adverso pariete lapis planus, cardinibus volubilis ostiolum operiebat, satis amplum quo quis penetrare possit, et in aliud atrium ducens, in conspectu erat. Istud quoque atrium satis angustum erat, sed duabus lampadibus, languido lumine rutilo collustratum, fumoque quodammodo umbratum. In adverso pariete huius quoque cavernæ ingens lapis planus impositus erat, cum foramine ampliore in medio. Adstantium unus hunc lapidem in axi suo paululum divertit, ita ut in tertium cavum, cæteris plus angustum, meramque cellam, in qua fenestella cœca cernebatur, in qua lapis informis cum incisione erat positus, qui a meis ducibus ipse Deus esse dicebatur, introspicere possem.

Ut iussus eram, per me coram Numine prostravi, mansique ita præstolabundus. Interea temporis ovis nigra mecum allata in sacrificium mactabatur, ita ut sanguis eius in cavum lapidem, de proposito ante cœcam fenestellam defossum, deflueret. Sacrificio perfecto, lapis perforatus retro conversus est, ita ut Numen cum cæsa ove oblata in cella interiore seclusum esset. Tunc iussus eram aures meas ad foramen lapidis aptare, atque verba Numinis excipere. Eodem tempore lumina extinguebantur, ego autem in caligine densissima relictus, verba exspectabam.

Extemplo vox surdissima, veluti ex ima voragine inferorum exsurgens, ad aures meas pervenit:

"Navigator Phœnicie, quid est quod a me audire velles?"

Attonitus miraculo, vix sonum edere poteram; viribus tamen postremo collectis, sic ausus sum respondere:

"O Oraculum Hammonis, scire cupio, utrum navigatio ad Occasum, ultra Fretum Gaditanum fieri possit, et, utrum illic terra sit."

"Est terra!" respondit Oraculum.

"Anne ad Occasum, an ad Septemtrionem, an, denique, ad Meridiem ea reperienda est?" ulterius quæsivi.

"Est terra ad Septemtrionem, est terra ad Occasum, est terra ad Meridiem," Oraculum respondit.

Audacior responso factus, ulterius inquiro:

"Iter autem proprium? — estne secundum Sacrum Pro-

montorium, an opus est ut summitatem Gadium sub oculis habeam?"

"O mortalis," vox oraculi decrevit, "plus exigis quam mortalibus ad cognoscendum concessum sit. I! nihil amplius dicam."

Ostium lapideum in cardinibus reversum est, ego autem egressus, cœcutiens in caligine, pedes cum comitibus meis retro tuli, ac denique aprico potitus sum. Administros liberali præmio donavi atque multum commotus ac perplexus, retro in urbem me contuli. Quamquam multum peturbatus, responsum tamen Oraculi mea dubia penitus solvit, et fide admodum confirmatus mecum decrevi Oceanum ipsum, ultra Freta Gaditana explorare, terrasque sive prope sive procul requirere.

Inter retro itandum quæsivi a meo comite utrum Zeugi atque Byzatii plura huiusmodi sint templa subterranea. Ipse certiorem me fecit in mediterraneis complura istiusmodi templa dari, quorum nonnulla etiam haud modicá arte esse effecta cum arcubus ac tholis, antiquitate tamen istud nullum superare; vera tamen templa Atlantidis cuncta huic, a quo modo discesseramus, fuisse similia. Eorum nonnulla profecto etiam longe simpliciora fuisse, atque e tribus lapidibus constitisse rudibus, quorum duo erecti, tertius autem supra eos transversum collocatus esset. Denique aliquot militaris vineæ instar e lapidibus collata fuisse. Horum aliquot sub dio, alia sub tumulis condita narrabat, quorum in summitate lapides erectos locum indicasse, ad radices vero collium magnis in circuito lapidibus collatis septos exstitisse, stato certo quodam ordine. Ut mihi quidem videtur, hæc loca non proprie templa, quam potius sepulcra dicenda sunt, quæ haud raro amplissimos terræ tractus operuerunt, et ita quidem collocata, ut e magno eorum numero figuræ ac species hominum, anguium, ovorum, ac scorpionum iis exprimerentur.

Hæc itaque fuit senis Libyci de sacris ac religiosis ædificiis narratio. Quum tamen ab eo sciscitarer, quid ista signa ac figuræ sibi vellent, quare aliqua sub terra, alia sub dio, quidque ædificiorum diversitates portendissent, nihil ab eo elicere potui, præterquam quod ex magia harum rerum origo explicanda es-

set, quarum magnum apparatum sui populares a patribus ac maioribus in hæreditatem accepissent.

Postridie primo mane, facultate a Suffete impetratá, onus aggressus sum satis magnam vim aquæ recentis e cisternis sub crepidinibus in hydrias meas comportandi. Quæque cisterna bifariam erat divisa. Pars pluviam, ut e viis lutulenta ac turbida decurrerat, excepit, altera autem apparatu ad hoc instituto percolatam continebat. Apparatus hic in medio inter duas pelves situs est, et ex eo epistomia, capitibus quadratis, quæ clavibus ligneis circumagi queunt, aquam repurgatam in alteram pelvim effundunt. Hic loci omnes domus privatæ, omniaque ædificia publica, inquilinorumque insulæ, cisternas id genus habent, et aquá eodem modo purificatá fruuntur. Pagi quoque sua propria habent aquarum receptacula vegrandia, rotunda, bifaria, quorum altera aquas recipiunt, altera autem dividicula sunt, unde incolæ aquam repurgatam obtinent.

Hannibal, qui interea ad mœnia inspicienda discesserat, visis perquam contentus revertit. Ipse mihi narrabat cunctas munitiones cisternis superstructas esse, murorumque opera silicea, ad radices, vicenos et quaternos, in summitate autem duodevicenos cubitos esse lata; contubernia militum in secundis atque tertiis sita esse contignationibus, extra ictum arietum, esseque eiusdem cum muris latitudinis; item, extra murum summum, quadrante iactus sagittæ dissitum, dimidiæ latitudinis murum, cum vallis, cum aggere et fossa, situm esse. Existimabat tamen aciem oculorum se non fallere, seque reperisse a dextra urbis parte munimenta minus secure firmata, inde e colle propiore in armamentarium esse despectum; qua in re ego quoque adstipulabar illi, censebamque alias ibidem, supra muros, munitiones fieri oportere, unde quilibet assultus repelli posset.

Solarium in palatio Præfecturæ iam meridiem indicabat, quum ego elenchum nautarum prælegi iussi, ut certo constaret omnes eos in navibus adesse; quo facto, ultimum vale dicturus Adonibal adii. Senex Suffes e corde mihi felix ac prosperum iter precatus est. Reversus ad navem, nullá interpositá morá, quæ ad profectionem spectabant apparavi, datoque tandem signo,

solvimus; et ut lente a crepidine divergebamus, salutem Præfecto, e mœniano suo despicienti, magná voce clamavimus. Quatuor illæ naves magno onere gravatæ Massiliam, ad ostia Rhodani tendentes, brevi post nos Uticá solverunt.

Fretum Gaditanum ab Utica octo millia octingenta stadia abest, quod iter quælibet navis expedita tempore unius septimanæ emetiri potest. Nunc tamen vehementiori Favonio flante, mare turbulentius navigationi non parum officiebat, ita ut quaternos insumpseremus dies, antequam in conspectum Cabirorum (h. e. Septem Promontoriorum) venissemus, quos biduo attingere nos oportebat; quin et tum, ad Promontorium superandum tam longas ac varicas flexivices oportebat nos perficere, ut non modo terra oculis nostris subduceretur, sed etiam haud prope ad Septemtrionem acti essemus. Verumtamen die septimo primum grande promontorium continentis, ad Meridiem ab Insulis Pityusis, tandem agnovi.

"Tartessus!" clamat Himilco, qui tam sedulo erat muneri intentus, ut vix omnino verbum interim proferret, "Tartessus tandem aliquando!"


Quiqui poterant, in stegam proruerunt; pluvia tamen atque aspergo contuentes ita obcœcabant, ut in terra nihil certi discernere possent.

Multum me iuvit satis magnam aquæ potabilis copiam, quæ quindenos dies duraret, comparavisse; tantam enim hæc littora, periculi plena, adeundi difficultatem, his in regionibus nequaquam raram, incurreramus, ut eædem longæ ac diuturnæ flexivices ulterius quoque repetendæ et continuandæ essent.

Post tridui cum rerum natura luctam, a littoribus Libycis usque procul aberamus; pluvia tamen subsedit, ventus sibi temperare cœpit, atque iubar solis iterum effulsit. Vergente nocte proximá, ego et Himilco, dum cæteri omnes somno sopiti erant, denique agnovimus celsos ad perpendiculum Calpes vertices, atque Abylæ; deinde mox subiimus rupes præcipites, quæ limites Tartessi Meridianos efficiunt, sub tempus autem matutinum in conspectum planæ ac demissæ linguæ terræ ad Meridiem ab ipso celeberrimo portu ac sinu Gaditano. Per totam longitudinem

exsurgentis iugi collium fastigia ædes, turres, ædificiaque urbis e virore pone albicare videbantur; super hæc autem omnia iuxta templum Astartes, pharus eminebat. Intrantes alveum, qui portús tam militaris, quam mercatorii vice fungitur, urbem triplici tubarum clangore clamoreque salutavimus.

Metam nostram attigimus, atque tandem eramus Tartessi.





CAPUT XIII

Argentifodinæ Tartessicæ.

OPPIDVM Gades, quamquam haud magnum, nitide ac faberrime ædificatum et situm est; atque horti in circuitu scito et concinno ordine conservati malogranatorum, malorum aurantium citrorumque, quæ cuncta híc a Phœnicibus propagata erant, feracissimi sunt. Medium circiter locum oppidi tenet, et cum portu rectá viá iunctum est, forum, quod non modo emporium est cuneorum argenti, e fodinis huc collatorum, et e tota regione congestorum, sed et doliorum salsamenti, quo murenæ, in contiguis littoribus captæ, condiuntur; item felium Tartessiacarum, usus quarum ad captandos lepores fit in venationibus; ferri quoque, cuius non ita magna copia e regione Septemtrionali huc comportatur; et, denique, plurimarum rerum curiosarum, quæ e provintiis remotioribus, rerum insolitarum feracibus, huc congeruntur. Circum forum sitæ sunt tabernæ opulentiorum mercatorum, atque trapezitarum, qui, domini argentifodinarum, argentum suum pro cupro, mercibus fabricatis, notionibusque, libenter commutant. Et ego, vix in oppido moratus, iam viam eo flexi.

Pcstquam naves meas ad loca iuxta crepidines attributa destinavi, et diligenti habitá curá ut omnia in tuto essent, stipendia nautis militibusque meis annumeravi, dein adventum meum Suffeti significavi, moxque egressus, viam in oppidum ducentem intravi, et sine negotio reperi tabernam Balsatzar, opulentissimi mercatoris, quocum iam priori meo huc itinere negotia factita-

veram. Balsatzar iam vitá functum reperi, sed negotium eius, in societate cum iliis mercatoribus, vidua eius, Tzîba, prosecuta erat. Ipsa perquam comiter me excepit, et enixe a me postulavit ut cum duabus mulierculis et cum meis vicariis navarchis et gubernatoribus ad domum suam ad secum cœnandum, me diverterem. Voluntati eius obtemperans stato tempore adveni, atque inter epulas fusius causam rationemque itineris mei aperui. Percontatus præterea sum quo potissimum modo, se iudice, argentum, sive in massa, sive in baccis et micis, comparare possem. Reperi e sermonibus eius pretium argenti, in præsenti, vile admodum esse, ita ut sperare liceret sive in urbe æquo pretio ac bene emere, sive vero, si ita visum esset, mediterranea petere, ibique a barbaris per cambium satis commode comparare posse. Docuit me etiam, non adeo pridem, ad Bætim, haud plus quatuor dierum itinere, versus interiora, novas argenti venas repertas fuisse, quæ hactenus ideo erui cœptæ non fuissent, quod non satis operarum suppeteret, quoniam multo maior incolarum pars oppidum incolere, mercatum exercere, aliis artibus victum et quæstum facere, aut vero nautæ evadere mallent.

"Multum prodesset," sic ipsa finit, "si militum multitudo hîc locata esset."

"Sine dubitatione," assentitur Hannibal avide, "tanta cuiusque regionis prosperitas est, quantum militum alit."

Diuturna Tzîbæ in colonia morandi consuetudo eam a rebus militaribus prorsus desuefecit; proinde non parum stupefacta oculos in eum convertit.

"Ita, sane," excipit illa, "hicce terrarum nos magno numero servorum, militum, deportandorumque malefactorum egemus."

Nunc vero Hannibalis erat de auditis stupere.

"Militesne et malefactores, ais tu? Quid tibi in mentem incidit? Numquid inter milites, servos ac malefactores quidquam commune interesse arbitraris?"

Ne verbis suis animum Hannibalis offendere voluisse videretur, ipsa sibi videri subiunxit, urbem, aut vero mercatores in collegia iunctos, si auctoritatem in argentiferis regionibus confirmatam habere vellent, milites aut emere, aut mercede condu-

bulis progressus erat, eo acriori animo atque avidioribus auribus eum prosecuti sumus. Hannibal intentis ac patulis oculis assidebat, quandoque in stuporem coniectus, in verba erupit admirationis; quin et ego, quamquam minus obstupefactus, partim quod talia ab aliis memorari audiveram, partim quod et ego de his ipsis rebus sæpe et multum speculari consueveram, tamen facere non poteram, quin, concinnum ordinem narrationis, quo nobis ea proponebantur, alacerrimo animo exciperem. Ea nocte, ex imo commotus animo, propeque delirus, somno me tradidi, ac per quietem eximiæ classis me præfectum videri mihi videbar, et versatum me cum meis in infinito Oceano ultra Atlantidem, novas illic terras ibidem reperisse; ac mane proximo exsurgens votum mecum vovi, ut, primum quam expeditionem hanc Tartessum feliciter ad finem perducturus essem, novam, in Occasum, ad novas terras reperiendas, susciperem.

Triduum Uticæ exegimus, quum Adonibal mecum se colloqui velle nuntiavit. Itaque sine mora me in palatium contuli. Ministri in illud me conclave deduxerunt unde Præfecto commodissimus prospectus in portum navesque patebat. Percontanti, quamdiu me hic morari necesse esset, et quam mox soluturus essem, respondi, id biduo, mercibus comparatis, futurum.

"En, accipe itaque litteras," inquit ille, "ad Suffetes Rusadir et Gadium; volo insuper decem nautas tibi in eorum loco dare quos amiseras. Non enim credo tibi licere viribus parum pollere, si quo casu Bodmilcari obviam fias."

Iam gratias illi agitare pro insigni in me voluntate cœpi, quum ipse vetuit, dixitque sibi a me quinquaginta siclos deberi.

Ego quidem paratissimum me fassus sum solvere libenter quidquid deberem, tamen mirum mihi videri dixi me illi imprudentem debere, quæsivique rei causam.

"Parum est," inquit Adonibal, suo lepido more loquendi, "te in incitas haud aget. Ego, profecto, ne memorare quidem vellem, sed, ut scis, principium omnium Phœnicum recte sentientium est, ut æras in suis negotiis sarta tecta servent. Profecto, mulcta parvula ea est. Aliquot nautarum tuorum paucos meorum Ligurum in semimortuos verberarunt. Scordali ii ne-

farii in carcerem detrusi sunt, ut crapulam hesternæ ebrietatis edormiant; at tu modo solvas eorum mulctas, tum ego statim mandatum scriptum ad dimittendos eos tibi tradam, et si ita videbitur, ipse eos educere poteris."

"Aha!" subridens respondi illi, "propalam ostendere volebas diligentiam tuorum lictorum."

Facere non poteram quin in mentem eius per analogiam huius eventus tempus revocarem, quum ego ei gubernatorem egissem, quumque eum ipsum, ad me redimendum, in carcerem venire oportuisset, et hoc in Chittim, ubi captus eram, propterea quod caput Seir, magni cuiusdam mercatoris, infregeram.

"Nonne id vis significari quod me *Achmonis* navarcho evenerat, quæ quidem navis præclarissima fuit?" quærit Adonibal. "Ita, profecto; memini optime; ætate tunc longe fuimus minores, uterque nostrum, quam modo. Ephebus nunquam non in discrimina incidere consuevi, quoties littus tumente marsupio petivi; at nunc inanis cortex sum, exarmatus in sabulonem littoris elisus. Sic, eheu, vivitur! Iuvenes, alteruter alterius caput infringendo delectabamur; senes facti, iis amputandis otiamur."

"Sed serio, quibus rebus impliciti nautæ mei obnoxios sese reddiderunt?"

"Quantum e relatis compertum habeo," respondet Suffes, "ii sui negotii esse duxerunt quemdam Dionysi sacerdotem iocis suis impetere. Primo vino eum oneratum sopiverunt, tum vultum eius totum rubro et cærulo tingentes, eum saltare coegerunt. Aliqui meorum militum Ligurum, quid rei gereretur conspicati, ad tuendum sacerdotem accurrunt, tui tamen iocum suum ab his frustrandum non esse rati, resistere cœperunt. Duos itaque milites supplantant; quo viso, custodes prætorii ad dirimendum certamen accedunt, quaternosque ebriorum nautarum tuorum huc, ad me, rapiunt. Ego eos in vincula mancipari iussi, non tamen virgis cædi; patientem etenim me plerumque in eiusmodi procacitate nautarum præbere consuevi. Nunc Præfectus Navalium sum, servivique patriæ diu, quondam tamen iuvenem me gubernatorem fuisse nullo modo oblivione delevi."

Negotiis his peractis, Suffeti amicissime valedixi, atque e palatio Præfecturæ ad carceres visendos me contuli.

Fornices subterranei, quos me nunc ingredi oportebat, admodum opaci sunt. Pleraque hæc loca receptacula erant armorum et mercium, aliquot tamen carcerum officio fungebantur. Claviger ianuam unius horum pro me pandit, atque ope luminis tedæ eius Bichri ibi conspicio, nautarumque meorum tres. Omnes tristes, elingues et deiecti fluxum præbebant spectaculum, ita ut risum continere haud potuerim. Verumtamen statim severum finxi vultum, eosque aspere increpavi, atque solutos eos hinc cum monitu dimisi, nequis eorum in posterum navim relinquere auderet. Nec ipsi ullam moram ad alteram accipiendam obiurgationem interposuerunt, quin ictu oculi dissiluerunt. Carceres etenim Præfecti Navalium haud sunt loca appetenda, ac rari ea aliorsum quam ad crucem, vel patibulum, evadunt.

Reversus ad crepidinem, pertransii ductus subterraneos ad naupegiam, ubi reliquum diem navibus meis reparandis intentus exegi. Ad vesperum opus totum perfectum erat. Celeritas, quá naupegi omnem laborem administraverant, tam erat mihi grata, ut eá elatus, severitatem meam erga sontes penitus relaxarem, et exactis eorum votis, nunquam amplius id genus facinus ac dedecus se perpetraturos, iterum indulsi ut postero die aliis liceret eis frui feriis.

Ex mea parte statui eum diem in expeditione ad exiguum templum Báal Hammon, non longe ab urbe situm, explere, nec quemquam præter senem servum Libycum, amici mei Barcæ, eo accitum habere.

Templum hoc in opaco lugubrique recessu sylvarum situm est. Delubrum hoc figurá oblongum, tam ianuá quam fenestris caret; horum locum apertura in tecto tenet, quá fumus sacrificiorum dilabitur; cavum autem subterraneum præbet, quod dumis fruticibusque adumbratum, saxo quoque satis grandi advoluto clausum, occulitur. Prope ad introitum tres senes ac seminudi Libyes præstolantes adstabant, ac, post brevem cum servo mecum accito per susurrum consultationem, sublato saxo, introitus patuit. His hominibus comitantibus cavum ingredior, et haud longe progressus, in cavernam angustam opacamque per-



venio, cuius in adverso pariete lapis planus, cardinibus volubilis ostiolum operiebat, satis amplum quo quis penetrare possit, et in aliud atrium ducens, in conspectu erat. Istud quoque atrium satis angustum erat, sed duabus lampadibus, languido lumine rutilo collustratum, fumoque quodammodo umbratum. In adverso pariete huius quoque cavernæ ingens lapis planus impositus erat, cum foramine ampliore in medio. Adstantium unus hunc lapidem in axi suo paululum divertit, ita ut in tertium cavum, cæteris plus angustum, meramque cellam, in qua fenestella cœca cernebatur, in qua lapis informis cum incisione erat positus, qui a meis ducibus ipse Deus esse dicebatur, introspicere possem.

Ut iussus eram, per me coram Numine prostravi, mansique ita præstolabundus. Interea temporis ovis nigra mecum allata in sacrificium mactabatur, ita ut sanguis eius in cavum lapidem, de proposito ante cœcam fenestellam defossum, deflueret. Sacrificio perfecto, lapis perforatus retro conversus est, ita ut Numen cum cæsa ove oblata in cella interiore seclusum esset. Tunc iussus eram aures meas ad foramen lapidis aptare, atque verba Numinis excipere. Eodem tempore lumina extinguebantur, ego autem in caligine densissima relictus, verba exspectabam.

Extemplo vox surdissima, veluti ex ima voragine inferorum exsurgens, ad aures meas pervenit:

"Navigator Phœnicie, quid est quod a me audire velles?"

Attonitus miraculo, vix sonum edere poteram; viribus tamen postremo collectis, sic ausus sum respondere:

"O Oraculum Hammonis, scire cupio, utrum navigatio ad Occasum, ultra Fretum Gaditanum fieri possit, et, utrum illic terra sit."

"Est terra!" respondit Oraculum.

"Anne ad Occasum, an ad Septemtrionem, an, denique, ad Meridiem ea reperienda est?" ulterius quæsivi.

"Est terra ad Septemtrionem, est terra ad Occasum, est terra ad Meridiem," Oraculum respondit.

Audacior responso factus, ulterius inquiro:

"Iter autem proprium? — estne secundum Sacrum Pro-



montorium, an opus est ut summitatem Gadium sub oculis habeam?"

"O mortalis," vox oraculi decrevit, "plus exigis quam mortalibus ad cognoscendum concessum sit. I! nihil amplius dicam."

Ostium lapideum in cardinibus reversum est, ego autem egressus, cœcutiens in caligine, pedes cum comitibus meis retro tuli, ac denique aprico potitus sum. Administros liberali præmio donavi atque multum commotus ac perplexus, retro in urbem me contuli. Quamquam multum peturbatus, responsum tamen Oraculi mea dubia penitus solvit, et fide admodum confirmatus mecum decrevi Oceanum ipsum, ultra Freta Gaditana explorare, terrasque sive prope sive procul requirere.

Inter retro itandum quæsivi a meo comite utrum Zeugi atque Byzatii plura huiusmodi sint templa subterranea. Ipse certiorem me fecit in mediterraneis complura istiusmodi templa dari, quorum nonnulla etiam haud modicâ arte esse effecta cum arcubus ac tholis, antiquitate tamen istud nullum superare; vera tamen templa Atlantidis cuncta huic, a quo modo discesseramus, fuisse similia. Eorum nonnulla profecto etiam longe simpliciora fuisse, atque e tribus lapidibus constitisse rudibus, quorum duo erecti, tertius autem supra eos transversum collocatus esset. Denique aliquot militaris vineæ instar e lapidibus collata fuisse. Horum aliquot sub dio, alia sub tumulis condita narrabat, quorum in summitate lapides erectos locum indicasse, ad radices vero collium magnis in circuito lapidibus collatis septos exstitisse, stato certo quodam ordine. Ut mihi quidem videtur, hæc loca non proprie templa, quam potius sepulcra dicenda sunt, quæ haud raro amplissimos terræ tractus operuerunt, et ita quidem collocata, ut e magno eorum numero figuræ ac species hominum, anguium, ovorum, ac scorpionum iis exprimerentur.

Hæc itaque fuit senis Libyci de sacris ac religiosis ædificiis narratio. Quum tamen ab eo sciscitarer, quid ista signa ac figuræ sibi vellent, quare aliqua sub terra, alia sub dio, quidque ædificiorum diversitates portendissent, nihil ab eo elicere potui, præterquam quod ex magia harum rerum origo explicanda es-

set, quarum magnum apparatum sui populares a patribus ac maioribus in hæreditatem accepissent.

Postridie primo mane, facultate a Suffete impetratá, onus aggressus sum satis magnam vim aquæ recentis e cisternis sub crepidinibus in hydrias meas comportandi. Quæque cisterna bifariam erat divisa. Pars pluviam, ut e viis lutulenta ac turbida decurrerat, excepit, altera autem apparatu ad hoc instituto percolatam continebat. Apparatus hic in medio inter duas pelves situs est, et ex eo epistomia, capitibus quadratis, quæ clavibus ligneis circumagi queunt, aquam repurgatam in alteram pelvim effundunt. Hic loci omnes domus privatæ, omniaque ædificia publica, inquilinorumque insulæ, cisternas id genus habent, et aquá eodem modo purificatá fruuntur. Pagi quoque sua propria habent aquarum receptacula vegrandia, rotunda, bifaria, quorum altera aquas recipiunt, altera autem dividicula sunt, unde incolæ aquam repurgatam obtinent.

Hannibal, qui interea ad mœnia inspicienda discesserat, visis perquam contentus revertit. Ipse mihi narrabat cunctas munitiones cisternis superstructas esse, murorumque opera silicea, ad radices, vicenos et quaternos, in summitate autem duodevicenos cubitos esse lata; contubernia militum in secundis atque tertiis sita esse contignationibus, extra ictum arietum, esseque eiusdem cum muris latitudinis; item, extra murum summum, quadrante iactus sagittæ dissitum, dimidiæ latitudinis murum, cum vallis, cum aggere et fossa, situm esse. Existimabat tamen aciem oculorum se non fallere, seque reperisse a dextra urbis parte munimenta minus secure firmata, inde e colle propiore in armamentarium esse despectum; qua in re ego quoque adstipulabar illi, censebamque alias ibidem, supra muros, munitiones fieri oportere, unde quilibet assultus repelli posset.

Solarium in palatio Præfecturæ iam meridiem indicabat, quum ego elenchum nautarum prælegi iussi, ut certo constaret omnes eos in navibus adesse; quo facto, ultimum vale dicturus Adonibal adii. Senex Suffes e corde mihi felix ac prosperum iter precatus est. Reversus ad navem, nullá interpositá morá, quæ ad profectionem spectabant apparavi, datoque tandem signo,

solvimus; et ut lente a crepidine divergebamus, salutem Præfecto, e mœniano suo despicienti, magnâ voce clamavimus. Quatuor illæ naves magno onere gravatæ Massiliam, ad ostia Rhodani tendentes, brevi post nos Uticâ solverunt.

Fretum Gaditanum ab Utica octo millia octingenta stadia abest, quod iter quælibet navis expedita tempore unius septimanæ emetiri potest. Nunc tamen vehementiori Favonio flante, mare turbulentius navigationi non parum officiebat, ita ut quaternos insumpseremus dies, antequam in conspectum Cabirorum (h. e. Septem Promontoriorum) venissemus, quos biduo attingere nos oportebat; quin et tum, ad Promontorium superandum tam longas ac varicas flexivices oportebat nos perficere, ut non modo terra oculis nostris subduceretur, sed etiam haud prope ad Septemtrionem acti essemus. Verumtamen die septimo primum grande promontorium continentis, ad Meridiem ab Insulis Pityusis, tandem agnovi.

"Tartessus!" clamat Himilco, qui tam sedulo erat muneri intentus, ut vix omnino verbum interim proferret, "Tartessus tandem aliquando!"

Quiqui poterant, in stegam proruerunt; pluvia tamen atque aspergo contuentes ita obcœcabant, ut in terra nihil certi discernere possent.

Multum me iuvit satis magnam aquæ potabilis copiam, quæ quindenos dies duraret, comparavisse; tantam enim hæc littora, periculi plena, adeundi difficultatem, his in regionibus nequaquam raram, incurreramus, ut eædem longæ ac diuturnæ flexivices ulterius quoque repetendæ et continuandæ essent.

Post tridui cum rerum natura luctam, a littoribus Libycis usque procul aberamus; pluvia tamen subsedit, ventus sibi temperare cœpit, atque iubar solis iterum effulsit. Vergente nocte proximâ, ego et Himilco, dum cæteri omnes somno sopiti erant, denique agnovimus celsos ad perpendiculum Calpes vertices, atque Abylæ; deinde mox subiimus rupes præcipites, quæ limites Tartessi Meridianos efficiunt, sub tempus autem matutinum in conspectum planæ ac demissæ linguæ terræ ad Meridiem ab ipso celeberrimo portu ac sinu Gaditano. Per totam longitudinem



exsurgentis iugi collium fastigia ædes, turres, ædificiaque urbis e virore pone albicare videbantur; super hæc autem omnia iuxta templum Astartes, pharus eminebat. Intrantes alveum, qui portûs tam militaris, quam mercatorii vice fungitur, urbem triplici tubarum clangore clamoreque salutavimus.

Metam nostram attigimus, atque tandem eramus Tartessi.



CAPUT XIII

Argentifodinæ Tartessicæ.

OPPIDVM Gades, quamquam haud magnum, nitide ac faberrime ædificatum et situm est; atque horti in circuitu scito et concinno ordine conservati malogranatorum, malorum aurantium citrorumque, quæ cuncta híc a Phœnicibus propagata erant, feracissimi sunt. Medium circiter locum oppidi tenet, et cum portu rectá viá iunctum est, forum, quod non modo emporium est cuneorum argenti, e fodinis huc collatorum, et e tota regione congestorum, sed et doliorum salsamenti, quo murenæ, in contiguis littoribus captæ, condiuntur; item felium Tartessiacarum, usus quarum ad captandos lepores fit in venationibus; ferri quoque, cuius non ita magna copia e regione Septemtrionali huc comportatur; et, denique, plurimarum rerum curiosarum, quæ e provintiis remotioribus, rerum insolitarum feracibus, huc congeruntur. Circum forum sitæ sunt tabernæ opulentiorum mercatorum, atque trapezitarum, qui, domini argentifodinarum, argentum suum pro cupro, mercibus fabricatis, notionibusque, libenter commutant. Et ego, vix in oppido moratus, iam viam eo flexi.

Pcstquam naves meas ad loca iuxta crepidines attributa destinavi, et diligenti habitá curá ut omnia in tuto essent, stipendia nautis militibusque meis annumeravi, dein adventum meum Suffeti significavi, moxque egressus, viam in oppidum ducentem intravi, et sine negotio reperi tabernam Balsatzar, opulentissimi mercatoris, quocum iam priori meo huc itinere negotia factita-



veram. Balsatzar iam vitá functum reperi, sed negotium eius, in societate cum iliis mercatoribus, vidua eius, Tzîba, prosecuta erat. Ipsa perquam comiter me excepit, et enixe a me postulavit ut cum duabus mulierculis et cum meis vicariis navarchis et gubernatoribus ad domum suam ad secum cœnandum, me diverterem. Voluntati eius obtemperans stato tempore adveni, atque inter epulas fusius causam rationemque itineris mei aperui. Percontatus præterea sum quo potissimum modo, se iudice, argentum, sive in massa, sive in baccis et micis, comparare possem. Reperi e sermonibus eius pretium argenti, in præsenti, vile admodum esse, ita ut sperare liceret sive in urbe æquo pretio ac bene emere, sive vero, si ita visum esset, mediterranea petere, ibique a barbaris per cambium satis commode comparare posse. Docuit me etiam, non adeo pridem, ad Bætim, haud plus quatuor dierum itinere, versus interiora, novas argenti venas repertas fuisse, quæ hactenus ideo erui cœptæ non fuissent, quod non satis operarum suppeteret, quoniam multo maior incolarum pars oppidum incolere, mercatum exercere, aliis artibus victum et quæstum facere, aut vero nautæ evadere mallent.

"Multum prodesset," sic ipsa finit, "si militum multitudo híc locata esset."

"Sine dubitatione," assentitur Hannibal avide, "tanta cuiusque regionis prosperitas est, quantum militum alit."

Diuturna Tzîbæ in colonia morandi consuetudo eam a rebus militaribus prorsus desuefecit; proinde non parum stupefacta oculos in eum convertit.

"Ita, sane," excipit illa, "hicce terrarum nos magno numero servorum, militum, deportandorumque malefactorum egemus."

Nunc vero Hannibalis erat de auditis stupere.

"Militesne et malefactores, ais tu? Quid tibi in mentem incidit? Numquid inter milites, servos ac malefactores quidquam commune interesse arbitraris?"

Ne verbis suis animum Hannibalis offendere voluisse videretur, ipsa sibi videri subiunxit, urbem, aut vero mercatores in collegia iunctos, si auctoritatem in argentiferis regionibus confirmatam habere vellent, milites aut emere, aut mercede condu-

cere oportere, eorumque operá barbaros reprimere. Mancipia vero, quæ hi capturi essent, in fodinas mitti oportere, atque his tribus tot servos addi debere, quot capi possent; præterea, etiam malefactores deportatos, qui nihilo nisi alimonii sumptu starent, suo, aut publico sumptu, ali.

Quum animadverterem Hannibalem aliquid severioris secum in responsum volvere, me ingessi, ab ea sciscitando, utrum in his partibus mancipia comparari possent, atque, utrum incolæ regionis amico an inimico animo essent.

"Ne unum quidem mancipium in lapide híc reperias," respondit illa, "non prius huc afferuntur, quam præstinentur. Quod vero ad barbaros attinet, ii quidem satis tranquilli ac mansueti sunt; sed, quum ignari non sint quanti suum argentum faciamus, operam suam ingenti mercede vendere conantur."

"Siccine? Tune eos tranquillos et mansuetos appellas?" incidit in sermonem Himilco, et, cavo oculi eruti exhibito, prosequitur: "Ita, sane, mansueti fortasse dicendi sunt, si ad effodiendos hominum oculos hastis utantur; tunc Iberi Tartessici omnium mansuetissimi prædicandi sunt; quod quidem mihi secus videtur."

Tzíba nihil nisi subridebat. Quamquam ipsa mulier negotiis dedita, leporis non erat prorsus ignara.

"Ita, profecto, gubernator mi," lepide ipsa reddit verbum, "tui omnino memor sum infortunii, quod ultimum tibi híc versanti acciderat; quin vulnus tuum oleo roreque marino ipsa obleveram. Verumtamen certiorem te esse velim tribus, secundum ripas Bætis, longe malle merces tuas abs te mercari, quam iniuriá corpus tuum afficere. Nec dubito fore quin tempus prope sit ubi hi nostro imperio sese suá sponte dedant."

"Atque tunc," interloquor ego, "Tartessus, haud secus ac Zeugis, coronæ nostræ gloriosæ Sidonis splendidissima gemma futura est."

Ad hæc verba mea, claræ nostræ urbi apprecaturus, quisque poculum prehendit suum, complevit idem, ac funditus hausit.

"Sed ut ad negotia redeamus," excipit Tzíba, "mihi quidem

consultissimum videtur ut tu mecum ad Suffetem Navalem venias, cuius consilio forte operis potiri, ac novas fodinas adaperire posses. Flumen Bætis satis altum est, quod naves tuas intra unius diei spatium dissitum a locis argenti feracissimis te admittat, milites autem tui nautæque ab assultibus Iberorum barbarorum ad tutandum mihi sufficere omnino videntur."

Consilio eius facile adstipulabar. Vidua post hæc, sumpto ricinio, mulum conscendit laute loricatum, a duobus servis ornatissime indutis ductum, quibus tertius, longá perticá in manu, præcucurrit. Eam sic præcedentem nos omnes subsecuti iter versus palatium Præfecturæ Navalium ingressi sumus. Suffes in amplo ac spatioso conclavi, in sella picta sedens, nos excepit. Postquam illi causam ac rationem itineris mei aperueram, ipse sic fari cœpit:

"Si modo vel quaternis diebus ante venisses, cum Tyrio quodam mercatore, qui ad fodinas hac profectus erat, iter commode facere potuisses."

Dicto celerius suspicio mihi incidit, interrogavique:

"Anne Bodmilcarem innuis?"

"Eum ipsum," respondet Suffes; "Bodmilcarem, eiusque turbam indico, quam secum habebat malæ notæ, aspectuque profligatæ. Nos híc plerumque raro et parum curamus qui cuiusque sint indolis qui ad fodinas contendant; tamen, fateor, pæne nunquam mihi talium perditorum fæcem et quisquilias sub oculos venisse. Furibus ac latronibus nulli unquam mortalium similiores."

"Nec aliud quidquam illi erant," dixi ego, "nec dux cæteris absimilis est. Modo lege istud, iam intelliges quid ipse sit," quibus dictis, litteras Adonibalis illi tradidi.

"Per Astarten!" clamat indignatus, "quis furcifer is est!"

Paullo post sic prosequitur:

"Sine ut dicam tibi quid facto opus esse arbitrer. Commodabo tibi quinquaginta armatos, ut eorum opera nequissimum hunc furciferum, eiusque turbam prorsus delere possis. Si possem, plures tibi commodarem. Equidem probe novi quam sit necesse ut is, qui expeditionem id genus in se suscipit, præser-

tim in his regionibus mediterraneis, ex omni parte munitus ac securus sit. Nam circa fodinas omne genus hominum ad laborandum confluit; nec quidquam facilius est quam hos contra novissimos concitare, et horum operá illos opprimere. At plures commodare nequeo. Interim spero tempus prope esse, quum abundantiori præsidio muniti efficere possimus ut metallici circa fodinas nostrum imperium auctoritatemque probe sentiant."

Tzíba nunc narrabat inter se principemque quemdam tribus Ibericæ, nomine Aitz, conventum esse, quo hic se ad comparandos baiulos atque operas obligaverat, ut mille ducenis mancipiis, quæ ipsa ad exhumandam fodinam novam suppeditaverat, auxilio esset. Præterea docuit etiam Suffetem se munitiones exstruxisse, quæ centum militum præsidio tenerentur, quibus et domicilium præfecto operum fodinæ adiecisset, seque undique esse paratam, certis legibus, exsecutionem earum rerum mihi concredere. Paratam quoque se esse aiebat totum mihi committere quod sibi obveniret, item me suis sistere, eorumque præfecto, tutelam sui parvuli præsidii meæ curæ tradere, si ego partem quintam proventus crudi sibi attribuendam stipulari vellem.

Propositum Suffeti prorsus æquum esse videbatur; ego tamen id illiberale existimabam, enitebarque animum eius flectere adducereque ut uná sextá, loco unius quintæ, proventús crudi contenta esset.

Postquam aliquantum de eá re disceptassemus, Tzíba denique assensum præbuit, quo facto, Hannonem duo exempla pacti exscribere iussi, quæ uterque nostrum subscripsit, quo peracto in ædem Astartes digressi sumus, ibique Deæ sacra persolvimus, atque nos conditionibus pacti staturos iureiurando confirmavimus.

Tempus anni cœptui nostro admodum favebat; nec ego ullam partem eius pessum ire volebam antequam opus aggrederemur. Sic itaque, quadriduum non præterivit antea quam naves nostræ Gadibus iterum relictis versus ostia Bætis iterum in mari versarentur, quibus bidui cursu potiti eramus.

Mare ultra Fretum Gaditanum etiam maiores fluctus volvere consuevit quam *Iam Suf;* quamobrem morari nos oporte-



bat atque adventum æstus exspectare ut vada fluminis superare possemus. Simul autem ac vada superari poterant, species fluminis atque conspectus admodum mutabantur; omnis enim generis navigia in motum acta erant, tum ad flumen ascendendum, tum ad descendendum: Phœniciæ, a gravibus gaulis ad levissimas naviculas piscatorias; Ibericæ lintres, cum atris e corticibus velis; longæ Celtarum scaphæ e corio consutæ. Nullæ harum erant vacuæ; nam quidquid ad victum pertinet, a Gadibus ad regionem fodinariam comportari debent; atque eædem naves, quæ commeatum eo devehunt, metalla secum revehunt.

Transgressus syrtem, quod nulla prorsus flabra erant, æstus autem vehementiori lapsu ferebatur, vela subduci, ac naves remis agi iussi, adverso nempe flumine. Aquæ fluminis cœno flavæ inter ripas magná celeritate labuntur, aliquando inter sylvas umbrosas, alias inter demissas planities late steriles. Regio nunc utrimque montibus riget, nec nisi longo interdum intervallo vici Iberorum conspiciuntur, qui quidem nihil aliud nisi acervi e luto, sarmentis tecti sunt, meraque gurgustia, alias vero nihil plus quam cava et antra in terra effossa, stramentoque constrata sunt. Vici metallicorum quoque haud sunt diversi, nisi quod gurgustia paullo ampliora et commodiora sunt, atque quod in medio vico cuiusque coloniæ munitio est e muro lateritio, item ex aggere cum vallis, pinnatum murum sepientibus.

"Nihil admodum festivi ac lauti híc quidem," iocatur Hanno; "eruere quam erogare argentum tristius esse negotium videtur."

Hannibal situm vicorum meditatus, loca naturá probe munita esse arbitrabatur, atque Bætin ipsum cursum describere munitionibus maxime idoneum, atque acerrimis luctaminibus opportuna loca præbere.

"Testis eius rei ipse sum," interloquitur Himilco, "nam barbari hi Tartessii longe malunt oculos hominum eruere, quam ei pocillum vini præbere. Ecce balatrones, vide sis illic horsum appropinquare!"

Quisque nostrum oculos protinus in eum locum convertit, quem Himilco indicavit. Illic, supra ripam, vel viceni homuncio-

nes, habitu barbari, gressu incerto, oberrare cernebantur, atque nostram navim speculari. Hi fere nudi, nec nisi rude præcinctorium e libro textum, item, genus capeduli, ex eadem materia confectum gerebant. Corpora eorum sole erant usta, crines nigri, ocelli atri, ac pæne obliqui; cæteroquin staturá erant mediocri, atque satis magná pernicitate. Perspicuum tamen erat nonnullos eorum alterius esse generis, utpote proceriores et graciliores, barbis perquam densis, sed vultu turpissimi. Eorum quisque longiora scuta gerebat, pro armis autem clavas, fundas, atque hastas, quæ spiculis osseis, partim autem siliceis erant instructæ.

Ego quidem inclamavi illos, sed ii, nullo signo edito, iter suum prosequi nec nos curare videbantur.

"Heus, tu, Bichri!" inclamat Himilco sagittarium, qui cum Iona in puppi sedebat, et uterque cum simia lusitabat, "mitte sis sagittam inter illos muscarios, quippe qui navarchum se non audisse affectant."

Is surrexit et sagittam iam arcui aptatam habebat quum ego intercessi:

"Sine eos, velim; adoriri eos satis erit quando ipsi nos adorti fuerint; nolimus eos lacessere."

Bichri manus protinus demisit.

"Tum iuvabit," inquit ille, "me cum simiola ulterius divertere; quam, profecto, ludicrum istud animal est! Vellicat mihi crines, palpat vultum atque scalpitat; sed ego id libenter fero, quum sit isthoc tam scitulum ac dextrum animalculum."

"Sic, sic, facies bene; revertere ad tua crepundia; simiola ea quam par Iberis aspectu est!" subridens nugatur Hanno.

Sagittarius meus iuvencus vix duodevicesimum ætatis annum excessit, et cordis levitate, ludibundáque naturá, puerulo duodenúm annorum simillimus erat. Pernicitate, præter simiam, nullus ei erat æquiparandus, quamobrem et simiam perquam adamavit, et alter alterum agilitate superare conabatur; modo uter celerius malum ascendere, modo uter se in extremo fune oscillando altius vel longius se effligere posset, inter se æmulabantur. Alter Iudicis Gebal eximius cultor Ionas erat. Gigas



noster curam terræ insolitarum ferarum deposuisse videbatur, seque totum simiæ devovisse, quam in suam gratiam et amicitiam prorsus cooptavit, et quam ob sua nugacia ludicra buccellis maxime opimis, undecunque comparatis donare consuevit. Plurimum oblectamenti videbatur simiola e conscendendo caput tubicinis capere reptans in humeris et dorso, verticeque capitis potita, villoso capillitio se sustinens, inde, veluti e pertica sua lusitare, porriginosum eius caput scalpitare, vultu torvo, dentibus frendens, cæteris illudere solebat. Bichri itaque et Ionas, atque simia trinitatem amicitiæ inter se conciliarunt, quam pauci ictus, scariphatæque genæ, vel manus irritam minime reddiderunt.

Sub vesperum, iussu meo, e regione vici metallici constitimus. Præfectus e tugurio suo salutatum ad nos venit. Homo is perquam rudis erat et parum bonæ frugis, utpote qui vix verbum sine maledictis proferre solitus esset. Ipse ex Arvad oriundus erat, proinde popularis Hannibalis.

"Per omnes Inferorum Deos," inquit ille, "ista certe hospitum septimana est."

"Quid ita?" interrogo eum.

"Quin male peream, si alius quis Tyrius quinis hinc diebus híc non fuerit. Bodmilcar ei nomen fuit, perditissimorumque hominum sentinam secum habebat. Ebriosarum belluarum illa erat turba, quæ híc non paucas casas compilarunt, ac, per Chusor Phta, iuro tibi, ii nos omnes iugulassent, nisi ipsi celeri manu eos oppressissemus. Multos iam in vita mea vidi scelioneṡ, sed, malum, similes his nunquam. Atque, siquis tam fortunatus fuerit, ut Bodmilcarem ex imo fune suspenderit, et hoc propriá suá manu, toti mundo officium gratum fecerit."

"Ubinam nunc ipse est?" quæro ex eo, "poterisne mihi indicare? Ipse quoque habeo quod cum eo agam."

"Dii immortales! procul hinc tibi eundum erit. Magnam sibi Iberorum turbam comparavit, et ad interiora commigravit. Cæterum vide quid feceris; periculosissimum genus prædonum illi sunt, et in unum conglobati cohortem efficiunt formidandam."



"Nihil tu cura quam sint illi formidabiles," monet Sammai, "numeri nihil sunt: modo liceat nobis ad gladii longitudinem ad eos accedere, cætera nostrum erit curare."

"Alacritas animi decet quidem iuvenculum, tui similem," respondet præfectus, "modo cave in antecessum victoriam canas." Inde ad me conversus, satis civiliter: "Sed tu firmum videris consilium cepisse," inquit, "rem periclitandi. Porrige mihi poculum vini, tunc, Hercle, tunc pauca te docebo, quorum meminisse usui esse possit. Cæterum, argentum esse argentum, tibi satis clarum."

"Ita quidem," subiungit Himilco, "et vinum vinum est;" eius nimirum rei ipse semper satis memor.

Itaque utrem vini generosi afferri ac proponi iubeo, ut dum nostra consilia pertractamus, ipse commode bibere posset; sed præfectus hospitalitate a nobis superari nolebat; itaque manibus acriter complosis, magistrum servorum suo more accersivit, quem, quum advenisset, vitulum, quem habebat maxime opimum, cædere, ac sub umbra proximi arboreti, in nostrum honoremeum epulas apparare iussit.

Datis redditisque cunctis e Phœnici Tartessoque novis, præfectus, suo agresti modo, sic fatur:

"Vos fortes quidem et audaces estis; numeros tamen ego magni facio. Nec vinum vestrum secus, bene id amo. Etiam gaudio mihi est popularem meum convenisse. Nunc vero in compendium pro vino, Dii me omnes perdant, nisi omnia quæ possim vestri gratia facturus sim."

Tamen, ad summam, parum nobis novi dicere poterat. Verum certiores nos fecit in agres Aitz contiguis, qui cum Tzíba pactum pepigerat, venas argenti feracissimas sitas esse; atque, licet Iberes, quorum esset territorium, potius hostili ferrerentur animo, tamen hos subdolá quádam arte mercatoriá munusculisque vel, in extremis, etiam vi et armis subigi posse.

"Quam prope possumus navibus ad eos accedere?" quæro ex eo.

"Ad iter trium dierum," respondit ille. "Attamen non adeo longitudo itineris refert, quam viæ, quæ ibi nullæ sunt, ac, post naves relictas, nullum cum eis commercium intercedere po-

terit. Sylvæ vobis penetrandæ sunt, et hoc pedibus, nam equis vel mulis loca impervia sunt."

"Præclarum iter istud!" notat Hannibal, cum quodam supercilio; "quin, ais tu etiam commeatum nos nobiscum baiulare oportere?"

"Quod ad hoc attinet, asseverare non dubito, quin a præfecto Tzîbæ aliquot Iberos impetrare possimus, qui se eximios baiulos gerant."

"Placet," assentitur Himilco, "ego autem existimo efficere me posse ut ii tolutim, vel etiam quadrupedantes, ferantur. Fustem mihi modo dederis quo tergis eorum litteras suá linguá Hibericá inscribere queam modo quo meminerint."

Præfecto asper insulsusque iocus placere videbatur, quia risu excepit. Cæterum exsiccatis nostris poculis, finem epulis fecimus.

Postridie iam primá luce iter nostrum adverso flumine prosecuti sumus, atque minus uno die iam ad agrum Tzîbæ pervenimus. Præfectus eius Uticensis quidam ducena mancipia mihi commodavit, quæ in baiulos et metallicos, in duo agmina divisi, quibus duos e meis præfeci. Naves cum præsidio, quantum mihi sufficere videbatur, curæ Hasdrubalis relinquebantur; *Dagon* et *Astarte* ad seligendum pro anchoris aptiorem locum, prorsum descendere iussi; *Cabiri* autem, quippe quæ minore aquæ mole impediebatur, ad circitandum in flumine et ad commeatum comparandum relinquebatur. Ductore viæ nobis dato, omnibusque quæ ad iter faciendum usui essent compositis, ad explorandam novam regionem profecti sumus.

Eo in itinere per vastam et editiorem planitiem per plures sylvas ac præcipitia multas solitudines traiiciebamus, vesperi autem satis idoneum nacti locum, castrametati sumus. Iter plurium dierum per loca deserta longosque anfractus perquam tædiosum fuit; et etiam iam quartus ex quo Bætim reliquebamus illuxit dies quum denique circa meridiem primum vicum Ibericum conspicati sumus. Omnes incolæ sub armis erant, seque, quum adveneramus, difficiles præbere videbantur, sed pauca munuscula principum animos emollire et permulcere cœperunt; quo facto, etiam impetravimus ab iis ut in sterilibus



tumulis, circiter tria stadia ab suis paucis mappalibus, castra nobis ponere liceret. Hannibale administrante castra nostra fossá, aggere atque vallo munivimus, ac biduo ad opus fodiendi parati eramus, quo in cœpto consilio utebamur periti metallici quem eo proposito nobiscum acciveramus.

Molimen ingens aggressi sumus. Tres menses diuturnos sine intercapedine prosequebamur. Iberi diffidentes quidem se erga nos præbuerunt, nihil tamen cum hostili animo contra nos susceperunt. Astarte tamen nobis propitiá, quamvis labores nostri perquam erant ardui, magno tamen emolumento consummati. Fossiones, altera post alteram, fructuosissimas se comprobarunt, ita quidem, ut compendii pars e cœpto fodinario quæ mihi obvenerat, bina millia siclorum exæquaret. Partem huius ipso eodem loco repurgandam curavi, ac retinendam apud me censui, cæteram terram argenteam statis temporibus, per servos conductitios ad *Astarten* comportari iussi, unde mihi post singulas vecturas apochæ, ut conventum erat, remissæ sunt.

Tandem tempus advenisse arbitrabar ut agmina nostra ad redeundum instruerem. His administratis, duce itineris Iberico quodam delecto, quem singulari curá custodiri iusseram, iter ad naves suscepimus, ex imo corde læti, quod ex his desertis, post tam diuturnum tempus, nobis ac libertati redditi sumus.

Vix interim pedes e castris extuleramus, quum Iberi impetum eo fecerunt, valla everterunt, cunctasque res, etiam minutas, ac prorsus nullius pretii, avidissime conquisiverunt.





CAPUT XIV

Insidiæ.

PER biduum iter nostrum retrorsum prosequebamur sine intermissione et adversitate, et iam radices attigeramus declivitatis planitiei editioris, unde despectus est in flumen.

Ascensus in eam arduam planitiem haud carebat difficultate. Scandendum nobis erat caprarum prope more. Subinde scopulorum cautiumque cornua, alias ramulos et cirros dumorum ad nos sustinendos apprehendebamus, pedibus rubos, frutices sentesque terentes, quin et vix his adminiculis viam, ab agmine tritam, subsequentes tenere valebamus.

Medio circiter huius clivi ascensu subito prærupta vallis iter nostrum cohibuit, cuius tamen barathrum ad prosequendum iter superandum erat. In margine voraginis gradus, ad hauriendam auram, stitimus. A tergo longum nautarum militumque nostrorum agmen pedetentim conglobari cœpit, ut tractim singuli e dumeto emerserunt; ante nos barathrum ipsum hiabat; ex adverso, latera montis surgebant ad summum usque iugum, arboreto denso atrum; aliquot aquilæ alis pendebant supra barathrum.

"Locus pro insidiis præclarus!" notat Hannibal, dum de fronte sudorem detergebat, nihil suspicatus quid nobis impendéret.

Himilco haustu vini ex utre tracto, quem ex humeris pendentem secum gerebat, longum edidit suspirium:

"A!" inquit circumspectans, "plane istiusmodi damnosa ter-



ræ plaga erat ubi ego, denis ab hinc annis, oculum amiseram. Spero eam, quæ hastam mihi illiserat manum, iam pridem putredine absumptam esse."

Quantis periculis terra Tartessia obsita esset, propriá experientiá doctus, perquam cautum me esse oportere, intellexi; idcirco duobus vicariis etiam probantibus, Hannonem et Ionam ad novissimum agmen remisi, qui palantes, aut in avia dispersos et errantes ad medium agmen colligerent; Bichri autem cum denis Beniaminitis sagittariis, item Aminoclem, cum quinis sociis Phocæis præmisi, qui viam sibi per voraginem quærerent, adversaque in declivi monte explorarent.

Tuba Ionæ a tergo mox insonuit ut palantes convocabat, ac paullo post Bichri et Aminocles adversum clivum scandere videbantur, barathro iam superato. Nullum suspicati periculum quo terreremur, ducem viæ, quem nautæ mei usque arcte observabant, iter ingredi, nosque per anfractum ducere iussi. Aliqui nostrum iam in fundum pervenerunt, cæterum vero agmen lento cautoque gradu molestissimum descensum tentans, quisque pro se viá repertá, proprium iter tenebat, quum extemplo dux stitit. Ipse circiter quinquaginta passus nos præcedebat, et iam alterum latus e voragine ascendere cœpit. Quamprimum ipse substitit, stridula vox fistulæ e sylva exaudita est, nec procul a nobis, quum Himilco magná voce exclamavit:

"Cave sis, Navarche, cave sis! Facinus híc paratur!"

Maximá quam poteram voce exploratorem ad celerius procedendum adhortor, nauta autem, qui custos illi additus erat, eum iam vi prorsum impellere cœpit, quum barbarus subito prosilit, nautam uno ictu prosternit, spatium inter se sylvamque magnis saltibus transvolat, seque in dumeto oculis nostris subducit.

"Factum ut dixi," clamat Himilco; "ego enim probe suspicabar futurum, ut Iberi furciferi ad priscam suam perfidiam redirent."

Usque loquente eo, tuba Ionæ periculum indicare audiebatur, quo significabatur novissimum agmen a tergo lac[illegible] esse; simul a fronte ingens clamor ac boatu[illegible] lapidibus simul pluere cœpit. Misero ad latu[illegible]

pis caput perfregit, et misellus eo ictu occisus est. Viso hoc, omnes nostri baiuli, depositis sarcinis, ad unum discurrerunt.

"Ad arma! In aciem!" inclamat suos Hannibal, ac nihil territus grandine circum se cadentium lapidum, dux intrepidus magno conatu in saxum editum ante se prosiliens, micante gladio, suas copias ad se celerrime adscivit. Interea manus nautarum duas mulieres pro præsidio circumsepsit. Sammai furore concitatus ac pallidus, stricto gladio se ad Hannibalem recepit.

"Quid tibi, pro scelus, de ista re videtur?" affatur eum Himilco, animo commotus, lapidem ostentans, qui vix palmi spatio ab suo latere inciderat. "Ista, Hercle, amygdala Tartessiaca iusto densius cadunt."

Ac, veluti responsum ad sua verba, alter nos grando, priore etiam spissior, prope obruere cœpit, et profecto aliquot nostrum etiam prostravit. Modo tamen assultus a tergo veniebat, nempe a convalle, unde paullo ante eluctati sumus; hinc manifestum erat nos a fronte non secus atque a tergo hostibus septos esse.

"O, utinam aliquanto equitatu, et paucis essedis instructi essemus!" suspirat Hannibal, "quam facile utrumque latus eorum circumveniretur, uti Chetæ Assyrios circumvenerunt. Equitatum ad dextrum, essedas ad lævum immitteremus, quo cito efficeretur, ut per medium via nobis facile pateret."

"Quum tamen neutrum habeamus," interloquor ego, "nostrum erit optimo quo poterimus modo hinc eluctari."

Nihil verbis meis motus, sua theoremata ulterius texere pergit, de utilitate, deque iniquitate nostri sitûs, quum, denique lapis maiusculus galeam suam percussit, cristam diffregit, capitis autem tegumentum ipsum gravi læsit vibice, quo efficacius quam meis verbis admonitus erat hic non de theoriis quæri, sed factis rem agi. Gravitate ictus primum titubare cœpit, sed mox sese recipiens, clamavit:

"Per Deum Nergal, hoc ferendum non est! Sacer El-Adonai! [illegible]m hoc æquo plus est; sed faxo ut hæc expient. Sagittarii, [illegible]ivum, ferite quemcunque vallem intrantem videbitis!"

[illegible]em, Navarche," inquit, me allocutus, "fac reduc

tuos nautas eádem quá descenderas semitá, et circumveni balatrones, qui nos inde a vertice molestant."

"Vos autem, gentis Iudaicæ," prosequitur, "Sammai sequimini. Tu vero Sammai, fac deduc eos illò, ad lævum. Vos vero cæteri mihi adeste, invadite ad rectum! Itote!"

"Prorsum, ad lævum! Dii Regem servent!" summá voce clamat Sammai, proruens, ut mandatum erat, suosque in contrariam ab Hannibale partem abducit.

Sagittarii sub Hamilcare, circum mulieres impedimentaque, in imo vallis fundo, in globum concurrebant. Himilco atque Gisco mecum profecti, unà iugum montis, unde paullo ante descenderamus, cito attigimus, quo facto, hostibus undique frontem advertimus.

Simul ac vertice ascensús potiti eramus, nautæ, copidibus in manu, operi incumbere cœperunt. Seminudi barbari Tartessiaci, fustibus, partim hastis ligneis præustis armati, acutissimis nostrorum armis nullo pacto resistere poterant, et multi eorum cæsi occubuerunt; at nos, quamvis multi eorum in dumeto sese abdiderunt, phalangem solvere, ut eos insectaremur, noluimus, sed progredi satius duximus. Multi hostium fruticetis arboribusque tecti, veluti ex tuto nos subsequi, iaculaque varia in nos iactare cœperunt. Quandoque, quum in loca patula veniremus, ubi nullæ arbores visui obstarent, nostri manipuli semel iterumque irruebant fruticeta, si quo pacto aliquot barbarorum capere possent; barbari tamen utique pedibus celeriores, pernicitate nostros superarunt, nec se facile capi siverunt, ita ut vix quindeni eorum in manus nostras inciderent; his tamen nostri non pepercerunt.

Quamvis bina stadia præcesseramus, Hannonis atque Ionæ nulla omnino vestigia reperire poteramus. Ulterius procedere consultum non duxi, sed in quodam minutiori luco meos circum proceram quercum in circulum conglobavi; verum Himilco, quem sua vindictæ cupido agebat, accitis Giscone atque nautarum quindenis, spatium circiter unius stadii ulterius progressus est. Hi intra unius horæ tempus ad nos reverterunt, postquam duos Iberos cepissent, eosque interfecissent. Sed ea res magis nos movit quod hi renuntiarunt calamarium Hannonis, cruore

madens, in cumulo cadaverum hostium reperisse, quorum illic octona, vel novena, cum uno nautarum nostrorum iacebant. Terra ibi detrita, cruore conspersa et humectata, cadaveraque barbarorum circumquaque iacentia admodum verosimile esse arguebat scribam, miserumque Ionam, numeris oppressos succubuisse, ac non modo interfectos, verum etiam cadavera eorum ablata fuisse.

Mœrentes, animoque admodum contristati, ad locum, ubi primum impetum tuleramus, revertimur, repulsis identidem hostibus nos continuo lacessentibus. Postquam ad descensum perventum est, in vallem despexi, et ubi præsidium cum mulieribus salvum et incolume cognoveram, aciem explevi, et iacturam nostram reputare cœpi. Seni meorum ceciderunt. Interea temporis etiam de salute Hannibalis Sammaique sollicitari cœpi, quod quidem haud diu me angebat, nam hi mox unà in adverso vertice præcipitii, simul cum Bichri, in conspectum venerunt, quos et cæteri armati, solito ordine, comitati sunt. Hi fere quadraginta captivos secum habebant. In media caterva Aminoclem conspiciebam in amplexu nati sui, inter captivos autem mulierem, tum duos viros chitonetis indutos, unum autem talarem Syriacam gerentem. Hannibal anteibat. Simul ac me conspicatus erat, gladio supra caput in indicium triumphi elato, mihi gesticulabatur; Sammai vero, etiam magis commotus, nudo capite, fronte cruentatá, acie relictá, ad me cucurrit. Ratione quadam prætextá, dum ipse inter currendum ad deosculandam Abigail subsisteret, ego vultum aliorsum converti; sed in puncto temporis ipse iuxta me adstitit, gaudio, gloriáque renidens. Anhelus ac pavitans sic orsus est narrare:

"Ex angustiis quidem venimus, sed negotia cum iis bene gessimus; iam illi plus satis habent!"

Viso in fronte patulo vulnere, gladioque cruentato, hæc signa esse memoravi rei sanguinolentæ, sed bene cum Iberibus gestæ.

"Iberes?" veluti per contemptum respondit; "quisnam Iberes ullo in numero habeat? Næ, Ædepol, isti adeo ipsi nostri Tyrii erant, qui nobis insidias tetenderunt. Utut tamen res sit, scordalum Hazaelem cepimus, Aminocles vero recuperavit filium,

nes, habitu barbari, gressu incerto, oberrare cernebantur, atque nostram navim speculari. Hi fere nudi, nec nisi rude præcinctorium e libro textum, item, genus capeduli, ex eadem materia confectum gerebant. Corpora eorum sole erant usta, crines nigri, ocelli atri, ac pæne obliqui; cæteroquin staturá erant mediocri, atque satis magná pernicitate. Perspicuum tamen erat nonnullos eorum alterius esse generis, utpote proceriores et graciliores, barbis perquam densis, sed vultu turpissimi. Eorum quisque longiora scuta gerebat, pro armis autem clavas, fundas, atque hastas, quæ spiculis osseis, partim autem siliceis erant instructæ.

Ego quidem inclamavi illos, sed ii, nullo signo edito, iter suum prosequi nec nos curare videbantur.

"Heus, tu, Bichri!" inclamat Himilco sagittarium, qui cum Iona in puppi sedebat, et uterque cum simia lusitabat, "mitte sis sagittam inter illos muscarios, quippe qui navarchum se non audisse affectant."

Is surrexit et sagittam iam arcui aptatam habebat quum ego intercessi:

"Sine eos, velim; adoriri eos satis erit quando ipsi nos adorti fuerint; nolimus eos lacessere."

Bichri manus protinus demisit.

"Tum iuvabit," inquit ille, "me cum simiola ulterius divertere; quam, profecto, ludicrum istud animal est! Vellicat mihi crines, palpat vultum atque scalpitat; sed ego id libenter fero, quum sit isthoc tam scitulum ac dextrum animalculum."

"Sic, sic, facies bene; revertere ad tua crepundia; simiola ea quam par Iberis aspectu est!" subridens nugatur Hanno.

Sagittarius meus iuvencus vix duodevicesimum ætatis annum excessit, et cordis levitate, ludibundáque naturá, puerulo duodenûm annorum simillimus erat. Pernicitate, præter simiam, nullus ei erat æquiparandus, quamobrem et simiam perquam adamavit, et alter alterum agilitate superare conabatur; modo uter celerius malum ascendere, modo uter se in extremo fune oscillando altius vel longius se effligere posset, inter se æmulabantur. Alter Iudicis Gebal eximius cultor Ionas erat. Gigas

noster curam terræ insolitarum ferarum deposuisse videbatur, seque totum simiæ devovissè, quam in suam gratiam et amicitiam prorsus cooptavit, et quam ob sua nugacia ludicra buccellis maxime opimis, undecunque comparatis donare consuevit. Plurimum oblectamenti videbatur simiola e conscendendo caput tubicinis capere reptans in humeris et dorso, verticeque capitis potita, villoso capillitio se sustinens, inde, veluti e pertica sua lusitare, porriginosum eius caput scalpitare, vultu torvo, dentibus frendens, cæteris illudere solebat. Bichri itaque et Ionas, atque simia trinitatem amicitiæ inter se conciliarunt, quam pauci ictus, scariphatæque genæ, vel manus irritam minime reddiderunt.

Sub vesperum, iussu meo, e regione vici metallici constitimus. Præfectus e tugurio suo salutatum ad nos venit. Homo is perquam rudis erat et parum bonæ frugis, utpote qui vix verbum sine maledictis proferre solitus esset. Ipse ex Arvad oriundus erat, proinde popularis Hannibalis.

"Per omnes Inferorum Deos," inquit ille, "ista certe hospitum septimana est."

"Quid ita?" interrogo eum.

"Quin male peream, si alius quis Tyrius quinis hinc diebus híc non fuerit. Bodmilcar ei nomen fuit, perditissimorumque hominum sentinam secum habebat. Ebriosarum belluarum illa erat turba, quæ híc non paucas casas compilarunt, ac, per Chusor Phta, iuro tibi, ii nos omnes iugulassent, nisi ipsi celeri manu eos oppressissemus. Multos iam in vita mea vidi sceliones, sed, malum, similes his nunquam. Atque, siquis tam fortunatus fuerit, ut Bodmilcarem ex imo fune suspenderit, et hoc propriá suá manu, toti mundo officium gratum fecerit."

"Ubinam nunc ipse est?" quæro ex eo, "poterisne mihi indicare? Ipse quoque habeo quod cum eo agam."

"Dii immortales! procul hinc tibi eundum erit. Magnam sibi Iberorum turbam comparavit, et ad interiora commigravit. Cæterum vide quid feceris; periculosissimum genus prædonum illi sunt, et in unum conglobati cohortem efficiunt formidandam."

"Nihil tu cura quam sint illi formidabiles," monet Sammai, "numeri nihil sunt: modo liceat nobis ad gladii longitudinem ad eos accedere, cætera nostrum erit curare."

"Alacritas animi decet quidem iuvenculum, tui similem," respondet præfectus, "modo cave in antecessum victoriam canas." Inde ad me conversus, satis civiliter: "Sed tu firmum videris consilium cepisse," inquit, "rem periclitandi. Porrige mihi poculum vini, tunc, Hercle, tunc pauca te docebo, quorum meminisse usui esse possit. Cæterum, argentum esse argentum, tibi satis clarum."

"Ita quidem," subiungit Himilco, "et vinum vinum est;" eius nimirum rei ipse semper satis memor.

Itaque utrem vini generosi afferri ac proponi iubeo, ut dum nostra consilia pertractamus, ipse commode bibere posset; sed præfectus hospitalitate a nobis superari nolebat; itaque manibus acriter complosis, magistrum servorum suo more accersivit, quem, quum advenisset, vitulum, quem habebat maxime opimum, cædere, ac sub umbra proximi arboreti, in nostrum honoremeum epulas apparare iussit.

Datis redditisque cunctis e Phœnici Tartessoque novis, præfectus, suo agresti modo, sic fatur:

"Vos fortes quidem et audaces estis; numeros tamen ego magni facio. Nec vinum vestrum secus, bene id amo. Etiam gaudio mihi est popularem meum convenisse. Nunc vero in compendium pro vino, Dii me omnes perdant, nisi omnia quæ possim vestri gratia facturus sim."

Tamen, ad summam, parum nobis novi dicere poterat. Verum certiores nos fecit in agres Aitz contiguis, qui cum Tzíba pactum pepigerat, venas argenti feracissimas sitas esse; atque, licet Iberes, quorum esset territorium, potius hostili ferrerentur animo, tamen hos subdolá quádam arte mercatoriá munusculisque vel, in extremis, etiam vi et armis subigi posse.

"Quam prope possumus navibus ad eos accedere?" quæro ex eo.

"Ad iter trium dierum," respondit ille. "Attamen non adeo longitudo itineris refert, quam viæ, quæ ibi nullæ sunt, ac, post naves relictas, nullum cum eis commercium intercedere po-

terit. Sylvæ vobis penetrandæ sunt, et hoc pedibus, nam equis vel mulis loca impervia sunt."

"Præclarum iter istud!" notat Hannibal, cum quodam supercilio; "quin, ais tu etiam commeatum nos nobiscum baiulare oportere?"

"Quod ad hoc attinet, asseverare non dubito, quin a præfecto Tzíbæ aliquot Iberos impetrare possimus, qui se eximios baiulos gerant."

"Placet," assentitur Himilco, "ego autem existimo efficere me posse ut ii tolutim, vel etiam quadrupedantes, ferantur. Fustem mihi modo dederis quo tergis eorum litteras suá linguá Ibericá inscribere queam modo quo meminerint."

Præfecto asper insulsusque iocus placere videbatur, quia risu excepit. Cæterum exsiccatis nostris poculis, finem epulis fecimus.

Postridie iam primá luce iter nostrum adverso flumine prosecuti sumus, atque minus uno die iam ad agrum Tzíbæ pervenimus. Præfectus eius Uticensis quidam ducena mancipia mihi commodavit, quæ in baiulos et metallicos, in duo agmina divisi, quibus duos e meis præfeci. Naves cum præsidio, quantum mihi sufficere videbatur, curæ Hasdrubalis relinquebantur; *Dagon* et *Astarte* ad seligendum pro anchoris aptiorem locum, prorsum descendere iussi; *Cabiri* autem, quippe quæ minore aquæ mole impediebatur, ad circitandum in flumine et ad commeatum comparandum relinquebatur. Ductore viæ nobis dato, omnibusque quæ ad iter faciendum usui essent compositis, ad explorandam novam regionem profecti sumus.

Eo in itinere per vastam et editiorem planitiem per plures sylvas ac præcipitia multas solitudines traiiciebamus, vesperi autem satis idoneum nacti locum, castrametati sumus. Iter plurium dierum per loca deserta longosque anfractus perquam tædiosum fuit; et etiam iam quartus ex quo Bætim reliquebamus illuxit dies quum denique circa meridiem primum vicum Ibericum conspicati sumus. Omnes incolæ sub armis erant, seque, quum adveneramus, difficiles præbere videbantur, sed pauca munuscula principum animos emollire et permulcere cœperunt; quo facto, etiam impetravimus ab iis ut in sterilibus

tumulis, circiter tria stadia ab suis paucis mappalibus, castra nobis ponere liceret. Hannibale administrante castra nostra fossá, aggere atque vallo munivimus, ac biduo ad opus fodiendi parati eramus, quo in cœpto consilio utebamur periti metallici quem eo proposito nobiscum acciveramus.

Molimen ingens aggressi sumus. Tres menses diuturnos sine intercapedine prosequebamur. Iberi diffidentes quidem se erga nos præbuerunt, nihil tamen cum hostili animo contra nos susceperunt. Astarte tamen nobis propitiá, quamvis labores nostri perquam erant ardui, magno tamen emolumento consummati. Fossiones, altera post alteram, fructuosissimas se comprobarunt, ita quidem, ut compendii pars e cœpto fodinario quæ mihi obvenerat, bina millia siclorum exæquaret. Partem huius ipso eodem loco repurgandam curavi, ac retinendam apud me censui, cæteram terram argenteam statis temporibus, per servos conductitios ad *Astarten* comportari iussi, unde mihi post singulas vecturas apochæ, ut conventum erat, remissæ sunt.

Tandem tempus advenisse arbitrabar ut agmina nostra ad redeundum instruerem. His administratis, duce itineris Iberico quodam delecto, quem singulari curá custodiri iusseram, iter ad naves suscepimus, ex imo corde læti, quod ex his desertis, post tam diuturnum tempus, nobis ac libertati redditi sumus.

Vix interim pedes e castris extuleramus, quum Iberi impetum eo fecerunt, valla everterunt, cunctasque res, etiam minutas, ac prorsus nullius pretii, avidissime conquisiverunt.





CAPUT XIV

Insidiæ.

Per biduum iter nostrum retrorsum prosequebamur sine intermissione et adversitate, et iam radices attigeramus declivitatis planitiei editioris, unde despectus est in flumen.

Ascensus in eam arduam planitiem haud carebat difficultate. Scandendum nobis erat caprarum prope more. Subinde scopulorum cautiumque cornua, alias ramulos et cirros dumorum ad nos sustinendos apprehendebamus, pedibus rubos, frutices sentesque terentes, quin et vix his adminiculis viam, ab agmine tritam, subsequentes tenere valebamus.

Medio circiter huius clivi ascensu subito prærupta vallis iter nostrum cohibuit, cuius tamen barathrum ad prosequendum iter superandum erat. In margine voraginis gradus, ad hauriendam auram, stitimus. A tergo longum nautarum militumque nostrorum agmen pedetentim conglobari cœpit, ut tractim singuli e dumeto emerserunt; ante nos barathrum ipsum hiabat; ex adverso, latera montis surgebant ad summum usque iugum, arboreto denso atrum; aliquot aquilæ alis pendebant supra barathrum.

"Locus pro insidiis præclarus!" notat Hannibal, dum de fronte sudorem detergebat, nihil suspicatus quid nobis impendéret.

Himilco haustu vini ex utre tracto, quem ex humeris pendentem secum gerebat, longum edidit suspirium:

"A!" inquit circumspectans, "plane istiusmodi damnosa ter-



ræ plaga erat ubi ego, denis ab hinc annis, oculum amiseram. Spero eam, quæ hastam mihi illiserat manum, iam pridem putredine absumptam esse."

Quantis periculis terra Tartessia obsita esset, propriá experientiá doctus, perquam cautum me esse oportere, intellexi; idcirco duobus vicariis etiam probantibus, Hannonem et Ionam ad novissimum agmen remisi, qui palantes, aut in avia dispersos et errantes ad medium agmen colligerent; Bichri autem cum denis Beniaminitis sagittariis, item Aminoclem, cum quinis sociis Phocæis præmisi, qui viam sibi per voraginem quærerent, adversaque in declivi monte explorarent.

Tuba Ionæ a tergo mox insonuit ut palantes convocabat, ac paullo post Bichri et Aminocles adversum clivum scandere videbantur, barathro iam superato. Nullum suspicati periculum quo terreremur, ducem viæ, quem nautæ mei usque arcte observabant, iter ingredi, nosque per anfractum ducere iussi. Aliqui nostrum iam in fundum pervenerunt, cæterum vero agmen lento cautoque gradu molestissimum descensum tentans, quisque pro se viá repertá, proprium iter tenebat, quum extemplo dux stitit. Ipse circiter quinquaginta passus nos præcedebat, et iam alterum latus e voragine ascendere cœpit. Quamprimum ipse substitit, stridula vox fistulæ e sylva exaudita est, nec procul a nobis, quum Himilco magná voce exclamavit:

"Cave sis, Navarche, cave sis! Facinus híc paratur!"

Maximá quam poteram voce exploratorem ad celerius procedendum adhortor, nauta autem, qui custos illi additus erat, eum iam vi prorsum impellere cœpit, quum barbarus subito prosilit, nautam uno ictu prosternit, spatium inter se sylvamque magnis saltibus transvolat, seque in dumeto oculis nostris subducit.

"Factum ut dixi," clamat Himilco; "ego enim probe suspicabar futurum, ut Iberi furciferi ad priscam suam perfidiam redirent."

Usque loquente eo, tuba Ionæ periculum indicare audiebatur, quo significabatur novissimum agmen a tergo lacessitum esse; simul a fronte ingens clamor ac boatus nos excepit, item, lapidibus simul pluere cœpit. Misero ad lat[illegible] um [illegible] la-

pis caput perfregit, et misellus eo ictu occisus est. Viso hoc, omnes nostri baiuli, depositis sarcinis, ad unum discurrerunt.

"Ad arma! In aciem!" inclamat suos Hannibal, ac nihil territus grandine circum se cadentium lapidum, dux intrepidus magno conatu in saxum editum ante se prosiliens, micante gladio, suas copias ad se celerrime adscivit. Interea manus nautarum duas mulieres pro præsidio circumsepsit. Sammai furore concitatus ac pallidus, stricto gladio se ad Hannibalem recepit.

"Quid tibi, pro scelus, de ista re videtur?" affatur eum Himilco, animo commotus, lapidem ostentans, qui vix palmi spatio ab suo latere inciderat. "Ista, Hercle, amygdala Tartessiaca iusto densius cadunt."

Ac, veluti responsum ad sua verba, alter nos grando, priore etiam spissior, prope obruere cœpit, et profecto aliquot nostrum etiam prostravit. Modo tamen assultus a tergo veniebat, nempe a convalle, unde paullo ante eluctati sumus; hinc manifestum erat nos a fronte non secus atque a tergo hostibus septos esse.

"O, utinam aliquanto equitatu, et paucis essedis instructi essemus!" suspirat Hannibal, "quam facile utrumque latus eorum circumveniretur, uti Chetæ Assyrios circumvenerunt. Equitatum ad dextrum, essedas ad lævum immitteremus, quo cito efficeretur, ut per medium via nobis facile pateret."

"Quum tamen neutrum habeamus," interloquor ego, "nostrum erit optimo quo poterimus modo hinc eluctari."

Nihil verbis meis motus, sua theoremata ulterius texere pergit, de utilitate, deque iniquitate nostri sitús, quum, denique lapis maiusculus galeam suam percussit, cristam diffregit, capitis autem tegumentum ipsum gravi læsit vibice, quo efficacius quam meis verbis admonitus erat hic non de theoriis quæri, sed factis rem agi. Gravitate ictus primum titubare cœpit, sed mox sese recipiens, clamavit:

"Per Deum Nergal, hoc ferendum non est! Sacer El-Adonai! iam hoc æquo plus est; sed faxo ut hæc expient. Sagittarii, scandite clivum, ferite quemcunque vallem intrantem videbitis!"

"Tu autem, Navarche," inquit, me allocutus, "fac reduc

tuos nautas eádem quá descenderas semitá, et circumveni balatrones, qui nos inde a vertice molestant."

"Vos autem, gentis Iudaicæ," prosequitur, "Sammai sequimini. Tu vero Sammai, fac deduc eos illò, ad lævum. Vos vero cæteri mihi adeste, invadite ad rectum! Itote!"

"Prorsum, ad lævum! Dii Regem servent!" summá voce clamat Sammai, proruens, ut mandatum erat, suosque in contrariam ab Hannibale partem abducit.

Sagittarii sub Hamilcare, circum mulieres impedimentaque, in imo vallis fundo, in globum concurrebant. Himilco atque Gisco mecum profecti, unà iugum montis, unde paullo ante descenderamus, cito attigimus, quo facto, hostibus undique frontem advertimus.

Simul ac vertice ascensûs potiti eramus, nautæ, copidibus in manu, operi incumbere cœperunt. Seminudi barbari Tartessiaci, fustibus, partim hastis ligneis præustis armati, acutissimis nostrorum armis nullo pacto resistere poterant, et multi eorum cæsi occubuerunt; at nos, quamvis multi eorum in dumeto sese abdiderunt, phalangem solvere, ut eos insectaremur, noluimus, sed progredi satius duximus. Multi hostium fruticetis arboribusque tecti, veluti ex tuto nos subsequi, iaculaque varia in nos iactare cœperunt. Quandoque, quum in loca patula veniremus, ubi nullæ arbores visui obstarent, nostri manipuli semel iterumque irruebant fruticeta, si quo pacto aliquot barbarorum capere possent; barbari tamen utique pedibus celeriores, pernicitate nostros superarunt, nec se facile capi siverunt, ita ut vix quindeni eorum in manus nostras inciderent; his tamen nostri non pepercerunt.

Quamvis bina stadia præcesseramus, Hannonis atque Ionæ nulla omnino vestigia reperire poteramus. Ulterius procedere consultum non duxi, sed in quodam minutiori luco meos circum proceram quercum in circulum conglobavi; verum Himilco, quem sua vindictæ cupido agebat, accitis Giscone atque nautarum quindenis, spatium circiter unius stadii ulterius progressus est. Hi intra unius horæ tempus ad nos reverterunt, postquam duos Iberos cepissent, eosque interfecissent. Sed ea res magis nos movit quod hi renuntiarunt calamarium Hannonis, cruore

madens, in cumulo cadaverum hostium reperisse, quorum illic octona, vel novena, cum uno nautarum nostrorum iacebant. Terra ibi detrita, cruore conspersa et humectata, cadaveraque barbarorum circumquaque iacentia admodum verosimile esse arguebat scribam, miserumque Ionam, numeris oppressos succubuisse, ac non modo interfectos, verum etiam cadavera eorum ablata fuisse.

Mœrentes, animoque admodum contristati, ad locum, ubi primum impetum tuleramus, revertimur, repulsis identidem hostibus nos continuo lacessentibus. Postquam ad descensum perventum est, in vallem despexi, et ubi præsidium cum mulieribus salvum et incolume cognoveram, aciem explevi, et iacturam nostram reputare cœpi. Seni meorum ceciderunt. Interea temporis etiam de salute Hannibalis Sammaique sollicitari cœpi, quod quidem haud diu me angebat, nam hi mox unà in adverso vertice præcipitii, simul cum Bichri, in conspectum venerunt, quos et cæteri armati, solito ordine, comitati sunt. Hi fere quadraginta captivos secum habebant. In media caterva Aminoclem conspiciebam in amplexu nati sui, inter captivos autem mulierem, tum duos viros chitonetis indutos, unum autem talarem Syriacam gerentem. Hannibal anteibat. Simul ac me conspicatus erat, gladio supra caput in indicium triumphi elato, mihi gesticulabatur; Sammai vero, etiam magis commotus, nudo capite, fronte cruentatá, acie relictá, ad me cucurrit. Ratione quadam prætextá, dum ipse inter currendum ad deosculandam Abigail subsisteret, ego vultum aliorsum converti; sed in puncto temporis ipse iuxta me adstitit, gaudio, gloriáque renidens. Anhelus ac pavitans sic orsus est narrare:

"Ex angustiis quidem venimus, sed negotia cum iis bene gessimus; iam illi plus satis habent!"

Viso in fronte patulo vulnere, gladioque cruentato, hæc signa esse memoravi rei sanguinolentæ, sed bene cum Iberibus gestæ.

"Iberes?" veluti per contemptum respondit; "quisnam Iberes ullo in numero habeat? Næ, Ædepol, isti adeo ipsi nostri Tyrii erant, qui nobis insidias tetenderunt. Utut tamen res sit, scordalum Hazaelem cepimus, Aminocles vero recuperavit filium,



et hoc quidem in extremo vitæ discrimine, et quum iamiam iugularetur, eo potitus est."

"Ecquid de Bodmilcare?" quæro his novis gravissime motus.

"Tantum quod non cepimus eum!" respondit ille; "Hannibal ad costas eius carpendas satis prope serpsit; ac nisi infortunatum istud vulnus mihi incidisset, híc eum teneremus; suorum tamen diligentiá servatus, et in sylvas abreptus est."

In furorem concitatus, ac vindictæ de meo adversario sumendæ avidus, discriminis proprii fere immemor, ut argentum nostrum erat disiectum, tum etiam fata scribæ incerta, etiam impatiens moræ, monebam Sammai nos, sine unius horæ dispendio, ad persequendum Bodmilcarem properare oportere, eoque sive vivo sive mortuo potiri. Itaque, accitis qui me sequi vellent, meisque *valete* dicto, in propinquum anfractum irruo.

Dein Himilco ostendebat Chryseidi thecam scriptoriam sanguine infectam; ea e paucis verbis intelligebat quid nos de fatis scribæ iudicandum putaremus. Ipsa obmutuit, atque dum Abigail eam amplexata, lacrymis coortis ei condolescebat, ipsa iunctis ac pressis digitis, vultu mœsto omnes animi motus fortiter compescebat, nec nisi tremor humerorum indicio erat quantum luctum ac dolorem frænare pro viribus conaretur. Sammai, quem remiseram, ut cæteros de verosimili fato Hannonis Ionæque certiores faceret, paucis percontabatur ab Himilcone quid de iis actum esset; sed gubernator nihil respondit, nisi manu sylvam a tergo indicabat, velut qui mali ominis quid sine verbis prodere vellet.

Ubi Hannibali propius obviam factus essem, ipse me conventum properabat, valdeque lætus videbatur, atque licet id quod illi de Hannone nuntiabamus se graviter tulisse certum erat, dolorem verbis lenire affectabat dixitque omnes nos belli incommoda æquo animo ferre oportere.

"Sed, dic, obsecro, quid proxime facto opus est," a me quærit.

Docui eum mihi in animo esse, quidquid eveniret, Bodmilcarem persequi, neque committendum esse ut ipse nobis fugá se subducere posset.

"Dictu, quam factu, faciliora memoras," respondet Hannibal; "Bodmilcar non modo magno Phœniciorum malefactorum manu pollet, atque omnigenûm perfugarum, verum, ut istá pugná docti eramus, magnam etiam turbam barbarorum secum habet, qui omnes partim fustibus, partim iaculis, bene armati sunt. Cæterum, quidquid sit, ipse satis in tuto est. Præterea, ad circumveniendum eum numeris non sufficimus: sic autem eum persequi nihil esset aliud, nisi iterum in insidias ruere."

"Quidnam tunc ad agendum superest?" quæro, præ ira dentibus frendens.

"Ante solis occasum hinc, e loco iniquo, in verticem nos evadere oportebit;" animo firmo ille respondet; "tum ad planitiem progrediendum erit, ne secreto nobis iterum obrepere possint. Quando semel planitie editá potiti fuerimus in tuto erimus, et tunc licebit nostris cibum quietemque concedere, iam enim laboribus prope confecti sunt, simul etiam ad interrogandos captivos otium tibi suppetet."

Graviter ut res has ferebam, negare, quin consilia Hannibalis iustissima, prudentiæque plena fuerint, non poteram, et a consilio meo proprio hostes statim persequendi, desistendum iudicavi. Captivos itaque, fune circum colla eorum immisso, ligandos et constringendos curavi, atque præsidio quadraginta armatorum sub Himilcone cum mandato iis relicto edixi, unumquemque, qui rebellare aut effugere tentaret, inauditum interficiendum esse.

"Mihi quidem tute eos credideris," respondet gubernator, ægro quodam gestu, "unum nonnisi oculum mihi reliquerunt, sed is acutus est."

Captivis rite colligatis, impedimenta argentumque omne, quod profugi baiuli quaquaversum circumstrata reliquerant, colligi et colligari iussi.

"Duplum onus sarcinarum latronibus his baiulandum erit, "dixi ego, "et probe in posterum cavebo, nequid rerum mearum Iberibus concredatur, antequam eos accurate constrictos sensero."

...arcinæ, sine ulla turba recrudescente, collectæ erant,

tumulis, circiter tria stadia ab suis paucis mappalibus, castra nobis ponere liceret. Hannibale administrante castra nostra fossá, aggere atque vallo munivimus, ac biduo ad opus fodiendi parati eramus, quo in cœpto consilio utebamur periti metallici quem eo proposito nobiscum acciveramus.

Molimen ingens aggressi sumus. Tres menses diuturnos sine intercapedine prosequebamur. Iberi diffidentes quidem se erga nos præbuerunt, nihil tamen cum hostili animo contra nos susceperunt. Astarte tamen nobis propitiá, quamvis labores nostri perquam erant ardui, magno tamen emolumento consummati. Fossiones, altera post alteram, fructuosissimas se comprobarunt, ita quidem, ut compendii pars e cœpto fodinario quæ mihi obvenerat, bina millia siclorum exæquaret. Partem huius ipso eodem loco repurgandam curavi, ac retinendam apud me censui, cæteram terram argenteam statis temporibus, per servos conductitios ad *Astarten* comportari iussi, unde mihi post singulas vecturas apochæ, ut conventum erat, remissæ sunt.

Tandem tempus advenisse arbitrabar ut agmina nostra ad redeundum instruerem. His administratis, duce itineris Iberico quodam delecto, quem singulari curá custodiri iusseram, iter ad naves suscepimus, ex imo corde læti, quod ex his desertis, post tam diuturnum tempus, nobis ac libertati redditi sumus.

Vix interim pedes e castris extuleramus, quum Iberi impetum eo fecerunt, valla everterunt, cunctasque res, etiam minutas, ac prorsus nullius pretii, avidissime conquisiverunt.



CAPUT XIV

Insidiæ.

Per biduum iter nostrum retrorsum prosequebamur sine intermissione et adversitate, et iam radices attigeramus declivitatis planitiei editioris, unde despectus est in flumen.

Ascensus in eam arduam planitiem haud carebat difficultate. Scandendum nobis erat caprarum prope more. Subinde scopulorum cautiumque cornua, alias ramulos et cirros dumorum ad nos sustinendos apprehendebamus, pedibus rubos, frutices sentesque terentes, quin et vix his adminiculis viam, ab agmine tritam, subsequentes tenere valebamus.

Medio circiter huius clivi ascensu subito prærupta vallis iter nostrum cohibuit, cuius tamen barathrum ad prosequendum iter superandum erat. In margine voraginis gradus, ad hauriendam auram, stitimus. A tergo longum nautarum militumque nostrorum agmen pedetentim conglobari cœpit, ut tractim singuli e dumeto emerserunt; ante nos barathrum ipsum hiabat; ex adverso, latera montis surgebant ad summum usque iugum, arboreto denso atrum; aliquot aquilæ alis pendebant supra barathrum.

"Locus pro insidiis præclarus!" notat Hannibal, dum de fronte sudorem detergebat, nihil suspicatus quid nobis impendéret.

Himilco haustu vini ex utre tracto, quem ex humeris pendentem secum gerebat, longum edidit suspirium:

"A!" inquit circumspectans, "plane istiusmodi damnosa ter-

tumulis, circiter tria stadia ab suis paucis mappalibus, castra nobis ponere liceret. Hannibale administrante castra nostra fossá, aggere atque vallo munivimus, ac biduo ad opus fodiendi parati eramus, quo in cœpto consilio utebamur periti metallici quem eo proposito nobiscum acciveramus.

Molimen ingens aggressi sumus. Tres menses diuturnos sine intercapedine prosequebamur. Iberi diffidentes quidem se erga nos præbuerunt, nihil tamen cum hostili animo contra nos susceperunt. Astarte tamen nobis propitiá, quamvis labores nostri perquam erant ardui, magno tamen emolumento consummati. Fossiones, altera post alteram, fructuosissimas se comprobarunt, ita quidem, ut compendii pars e cœpto fodinario quæ mihi obvenerat, bina millia siclorum exæquaret. Partem huius ipso eodem loco repurgandam curavi, ac retinendam apud me censui, cæteram terram argenteam statis temporibus, per servos conductitios ad *Astarten* comportari iussi, unde mihi post singulas vecturas apochæ, ut conventum erat, remissæ sunt.

Tandem tempus advenisse arbitrabar ut agmina nostra ad redeundum instruerem. His administratis, duce itineris Iberico quodam delecto, quem singulari curá custodiri iusseram, iter ad naves suscepimus, ex imo corde læti, quod ex his desertis, post tam diuturnum tempus, nobis ac libertati redditi sumus.

Vix interim pedes e castris extuleramus, quum Iberi impetum eo fecerunt, valla everterunt, cunctasque res, etiam minutas, ac prorsus nullius pretii, avidissime conquisiverunt.



CAPUT XIV

Insidiæ.

PER biduum iter nostrum retrorsum prosequebamur sine intermissione et adversitate, et iam radices attigeramus declivitatis planitiei editioris, unde despectus est in flumen.

Ascensus in eam arduam planitiem haud carebat difficultate. Scandendum nobis erat caprarum prope more. Subinde scopulorum cautiumque cornua, alias ramulos et cirros dumorum ad nos sustinendos apprehendebamus, pedibus rubos, frutices sentesque terentes, quin et vix his adminiculis viam, ab agmine tritam, subsequentes tenere valebamus.

Medio circiter huius clivi ascensu subito prærupta vallis iter nostrum cohibuit, cuius tamen barathrum ad prosequendum iter superandum erat. In margine voraginis gradus, ad hauriendam auram, stitimus. A tergo longum nautarum militumque nostrorum agmen pedetentim conglobari cœpit, ut tractim singuli e dumeto emerserunt; ante nos barathrum ipsum hiabat; ex adverso, latera montis surgebant ad summum usque iugum, arboreto denso atrum; aliquot aquilæ alis pendebant supra barathrum.

"Locus pro insidiis præclarus!" notat Hannibal, dum de fronte sudorem detergebat, nihil suspicatus quid nobis impendéret.

Himilco haustu vini ex utre tracto, quem ex humeris pendentem secum gerebat, longum edidit suspirium:

"A!" inquit circumspectans, "plane istiusmodi damnosa ter-

ræ plaga erat ubi ego, denis ab hinc annis, oculum amiseram. Spero eam, quæ hastam mihi illiserat manum, iam pridem putredine absumptam esse."

Quantis periculis terra Tartessia obsita esset, propriá experientiá doctus, perquam cautum me esse oportere, intellexi; idcirco duobus vicariis etiam probantibus, Hannonem et Ionam ad novissimum agmen remisi, qui palantes, aut in avia dispersos et errantes ad medium agmen colligerent; Bichri autem cum denis Beniaminitis sagittariis, item Aminoclem, cum quinis sociis Phocæis præmisi, qui viam sibi per voraginem quærerent, adversaque in declivi monte explorarent.

Tuba Ionæ a tergo mox insonuit ut palantes convocabat, ac paullo post Bichri et Aminocles adversum clivum scandere videbantur, barathro iam superato. Nullum suspicati periculum quo terreremur, ducem viæ, quem nautæ mei usque arcte observabant, iter ingredi, nosque per anfractum ducere iussi. Aliqui nostrum iam in fundum pervenerunt, cæterum vero agmen lento cautoque gradu molestissimum descensum tentans, quisque pro se viá repertá, proprium iter tenebat, quum extemplo dux stitit. Ipse circiter quinquaginta passus nos præcedebat, et iam alterum latus e voragine ascendere cœpit. Quamprimum ipse substitit, stridula vox fistulæ e sylva exaudita est, nec procul a nobis, quum Himilco magná voce exclamavit:

"Cave sis, Navarche, cave sis! Facinus híc paratur!"

Maximá quam poteram voce exploratorem ad celerius procedendum adhortor, nauta autem, qui custos illi additus erat, eum iam vi prorsum impellere cœpit, quum barbarus subito prosilit, nautam uno ictu prosternit, spatium inter se sylvamque magnis saltibus transvolat, seque in dumeto oculis nostris subducit.

"Factum ut dixi," clamat Himilco; "ego enim probe suspicabar futurum, ut Iberi furciferi ad priscam suam perfidiam redirent."

Usque loquente eo, tuba Ionæ periculum indicare audiebatur, quo significabatur novissimum agmen a tergo lacessitum esse; simul a fronte ingens clamor ac boatus nos excepit, item, lapidibus simul pluere cœpit. Misero ad latus meum nautæ la-

pis caput perfregit, et misellus eo ictu occisus est. Viso hoc, omnes nostri baiuli, depositis sarcinis, ad unum discurrerunt.

"Ad arma! In aciem!" inclamat suos Hannibal, ac nihil territus grandine circum se cadentium lapidum, dux intrepidus magno conatu in saxum editum ante se prosiliens, micante gladio, suas copias ad se celerrime adscivit. Interea manus nautarum duas mulieres pro præsidio circumsepsit. Sammai furore concitatus ac pallidus, stricto gladio se ad Hannibalem recepit.

"Quid tibi, pro scelus, de ista re videtur?" affatur eum Himilco, animo commotus, lapidem ostentans, qui vix palmi spatio ab suo latere inciderat. "Ista, Hercle, amygdala Tartessiaca iusto densius cadunt."

Ac, veluti responsum ad sua verba, alter nos grando, priore etiam spissior, prope obruere cœpit, et profecto aliquot nostrum etiam prostravit. Modo tamen assultus a tergo veniebat, nempe a convalle, unde paullo ante eluctati sumus; hinc manifestum erat nos a fronte non secus atque a tergo hostibus septos esse.

"O, utinam aliquanto equitatu, et paucis essedis instructi essemus!" suspirat Hannibal, "quam facile utrumque latus eorum circumveniretur, uti Chetæ Assyrios circumvenerunt. Equitatum ad dextrum, essedas ad lævum immitteremus, quo cito efficeretur, ut per medium via nobis facile pateret."

"Quum tamen neutrum habeamus," interloquor ego, "nostrum erit optimo quo poterimus modo hinc eluctari."

Nihil verbis meis motus, sua theoremata ulterius texere pergit, de utilitate, deque iniquitate nostri sitús, quum, denique lapis maiusculus galeam suam percussit, cristam diffregit, capitis autem tegumentum ipsum gravi læsit vibice, quo efficacius quam meis verbis admonitus erat hic non de theoriis quæri, sed factis rem agi. Gravitate ictus primum titubare cœpit, sed mox sese recipiens, clamavit:

"Per Deum Nergal, hoc ferendum non est! Sacer El-Adonai! iam hoc æquo plus est; sed faxo ut hæc expient. Sagittarii, scandite clivum, ferite quemcunque vallem intrantem videbitis!"

"Tu autem, Navarche," inquit, me allocutus, "fac reduc

tuos nautas eádem quá descenderas semitá, et circumveni balatrones, qui nos inde a vertice molestant."

"Vos autem, gentis Iudaicæ," prosequitur, "Sammai sequimini. Tu vero Sammai, fac deduc eos illò, ad lævum. Vos vero cæteri mihi adeste, invadite ad rectum! Itote!"

"Prorsum, ad lævum! Dii Regem servent!" summá voce clamat Sammai, proruens, ut mandatum erat, suosque in contrariam ab Hannibale partem abducit.

Sagittarii sub Hamilcare, circum mulieres impedimentaque, in imo vallis fundo, in globum concurrebant. Himilco atque Gisco mecum profecti, unà iugum montis, unde paullo ante descenderamus, cito attigimus, quo facto, hostibus undique frontem advertimus.

Simul ac vertice ascensús potiti eramus, nautæ, copidibus in manu, operi incumbere cœperunt. Seminudi barbari Tartessiaci, fustibus, partim hastis ligneis præustis armati, acutissimis nostrorum armis nullo pacto resistere poterant, et multi eorum cæsi occubuerunt; at nos, quamvis multi eorum in dumeto sese abdiderunt, phalangem solvere, ut eos insectaremur, noluimus, sed progredi satius duximus. Multi hostium fruticetis arboribusque tecti, veluti ex tuto nos subsequi, iaculaque varia in nos iactare cœperunt. Quandoque, quum in loca patula veniremus, ubi nullæ arbores visui obstarent, nostri manipuli semel iterumque irruebant fruticeta, si quo pacto aliquot barbarorum capere possent; barbari tamen utique pedibus celeriores, pernicitate nostros superarunt, nec se facile capi siverunt, ita ut vix quindeni eorum in manus nostras inciderent; his tamen nostri non pepercerunt.

Quamvis bina stadia præcesseramus, Hannonis atque Ionæ nulla omnino vestigia reperire poteramus. Ulterius procedere consultum non duxi, sed in quodam minutiori luco meos circum proceram quercum in circulum conglobavi; verum Himilco, quem sua vindictæ cupido agebat, accitis Giscone atque nautarum quindenis, spatium circiter unius stadii ulterius progressus est. Hi intra unius horæ tempus ad nos reverterunt, postquam duos Iberos cepissent, eosque interfecissent. Sed ea res magis nos movit quod hi renuntiarunt calamarium Hannonis, cruore

madens, in cumulo cadaverum hostium reperisse, quorum illic octona, vel novena, cum uno nautarum nostrorum iacebant. Terra ibi detrita, cruore conspersa et humectata, cadaveraque barbarorum circumquaque iacentia admodum verosimile esse arguebat scribam, miserumque Ionam, numeris oppressos succubuisse, ac non modo interfectos, verum etiam cadavera eorum ablata fuisse.

Mœrentes, animoque admodum contristati, ad locum, ubi primum impetum tuleramus, revertimur, repulsis identidem hostibus nos continuo lacessentibus. Postquam ad descensum perventum est, in vallem despexi, et ubi præsidium cum mulieribus salvum et incolume cognoveram, aciem explevi, et iacturam nostram reputare cœpi. Seni meorum ceciderunt. Interea temporis etiam de salute Hannibalis Sammaique sollicitari cœpi, quod quidem haud diu me angebat, nam hi mox unà in adverso vertice præcipitii, simul cum Bichri, in conspectum venerunt, quos et cæteri armati, solito ordine, comitati sunt. Hi fere quadraginta captivos secum habebant. In media caterva Aminoclem conspiciebam in amplexu nati sui, inter captivos autem mulierem, tum duos viros chitonetis indutos, unum autem talarem Syriacam gerentem. Hannibal anteibat. Simul ac me conspicatus erat, gladio supra caput in indicium triumphi elato, mihi gesticulabatur; Sammai vero, etiam magis commotus, nudo capite, fronte cruentatá, acie relictá, ad me cucurrit. Ratione quadam prætextá, dum ipse inter currendum ad deosculandam Abigail subsisteret, ego vultum aliorsum converti; sed in puncto temporis ipse iuxta me adstitit, gaudio, gloriáque renidens. Anhelus ac pavitans sic orsus est narrare:

"Ex angustiis quidem venimus, sed negotia cum iis bene gessimus; iam illi plus satis habent!"

Viso in fronte patulo vulnere, gladioque cruentato, hæc signa esse memoravi rei sanguinolentæ, sed bene cum Iberibus gestæ.

"Iberes?" veluti per contemptum respondit; "quisnam Iberes ullo in numero habeat? Næ, Ædepol, isti adeo ipsi nostri Tyrii erant, qui nobis insidias tetenderunt. Utut tamen res sit, scordalum Hazaelem cepimus, Aminocles vero recuperavit filium,

et hoc quidem in extremo vitæ discrimine, et quum iamiam iugularetur, eo potitus est."

"Ecquid de Bodmilcare?" quæro his novis gravissime motus.

"Tantum quod non cepimus eum!" respondit ille; "Hannibal ad costas eius carpendas satis prope serpsit; ac nisi infortunatum istud vulnus mihi incidisset, híc eum teneremus; suorum tamen diligentiá servatus, et in sylvas abreptus est."

In furorem concitatus, ac vindictæ de meo adversario sumendæ avidus, discriminis proprii fere immemor, ut argentum nostrum erat disiectum, tum etiam fata scribæ incerta, etiam impatiens moræ, monebam Sammai nos, sine unius horæ dispendio, ad persequendum Bodmilcarem properare oportere, eoque sive vivo sive mortuo potiri. Itaque, accitis qui me sequi vellent, meisque *valete* dicto, in propinquum anfractum irruo.

Dein Himilco ostendebat Chryseidi thecam scriptoriam sanguine infectam; ea e paucis verbis intelligebat quid nos de fatis scribæ iudicandum putaremus. Ipsa obmutuit, atque dum Abigail eam amplexata, lacrymis coortis ei condolescebat, ipsa iunctis ac pressis digitis, vultu mœsto omnes animi motus fortiter compescebat, nec nisi tremor humerorum indicio erat quantum luctum ac dolorem frænare pro viribus conaretur. Sammai, quem remiseram, ut cæteros de verosimili fato Hannonis Ionæque certiores faceret, paucis percontabatur ab Himilcone quid de iis actum esset; sed gubernator nihil respondit, nisi manu sylvam a tergo indicabat, velut qui mali ominis quid sine verbis prodere vellet.

Ubi Hannibali propius obviam factus essem, ipse me conventum properabat, valdeque lætus videbatur, atque licet id quod illi de Hannone nuntiabamus se graviter tulisse certum erat, dolorem verbis lenire affectabat dixitque omnes nos belli incommoda æquo animo ferre oportere.

"Sed, dic, obsecro, quid proxime facto opus est," a me quærit.

Docui eum mihi in animo esse, quidquid eveniret, Bodmilcarem persequi, neque committendum esse ut ipse nobis fugá se subducere posset.



"Dictu, quam factu, faciliora memoras," respondet Hannibal; "Bodmilcar non modo magno Phœniciorum malefactorum manu pollet, atque omnigenûm perfugarum, verum, ut istá pugná docti eramus, magnam etiam turbam barbarorum secum habet, qui omnes partim fustibus, partim iaculis, bene armati sunt. Cæterum, quidquid sit, ipse satis in tuto est. Præterea, ad circumveniendum eum numeris non sufficimus: sic autem eum persequi nihil esset aliud, nisi iterum in insidias ruere."

"Quidnam tunc ad agendum superest?" quæro, præ ira dentibus frendens.

"Ante solis occasum hinc, e loco iniquo, in verticem nos evadere oportebit;" animo firmo ille respondet; "tum ad planitiem progrediendum erit, ne secreto nobis iterum obrepere possint. Quando semel planitie editá potiti fuerimus in tuto erimus, et tunc licebit nostris cibum quietemque concedere, iam enim laboribus prope confecti sunt, simul etiam ad interrogandos captivos otium tibi suppetet."

Graviter ut res has ferebam, negare, quin consilia Hannibalis iustissima, prudentiæque plena fuerint, non poteram, et a consilio meo proprio hostes statim persequendi, desistendum iudicavi. Captivos itaque, fune circum colla eorum immisso, ligandos et constringendos curavi, atque præsidio quadraginta armatorum sub Himilcone cum mandato iis relicto edixi, unumquemque, qui rebellare aut effugere tentaret, inauditum interficiendum esse.

"Mihi quidem tute eos credideris," respondet gubernator, ægro quodam gestu, "unum nonnisi oculum mihi reliquerunt, sed is acutus est."

Captivis rite colligatis, impedimenta argentumque omne, quod profugi baiuli quaquaversum circumstrata reliquerant, colligi et colligari iussi.

"Duplum onus sarcinarum latronibus his baiulandum erit, "dixi ego, "et probe in posterum cavebo, nequid rerum mearum Iberibus concredatur, antequam eos accurate constrictos sensero."

Dein sarcinæ, sine ulla turba recrudescente, collectæ erant,



et Gisco interea e sylva eluctatus rediit, fustem ibi cæsum manu gerens, lætusque ostentans ramum nempe quernum satis gravem.

"Ecce stimulum!" inquit, ut captivos magna sua onera subire videbat, "iam faxo ut intelligant quemadmodum crura celerius movenda sint."

"Nunc ergo incedite, belluæ!" inclamat eos linguá suá Ibericá Himilco, "et siquis vestrum repugnaverit, vapulabit."


Captivis itaque in medium collocatis, cautissimo gressu iter nostrum e profundo versus summitatem præcipitii suscepimus; atque dum arduum ascensum non sine continuis periculis prosequebamur, a Bichri sciscitari cœpi quemadmodum cum Bodmilcare congressi essent.

"Accuratissime quam potero," respondet ille, "rem totam ordine evolvam. Paullo post nostrum abs te digressum, vix centum passus in sylvam penetravimus, quum nos subito obviam factos hostilibus Iberum copiis animadvertimus, alii autem simul a tergo adventantes utrimque lapidibus iaculisque impetere cœperunt. Nos confestim locum nacti, ubi arbores minus densæ apertiore spatio suffugium præbebant, magno cursu eo pedem retulimus. Celsæ ibi rupes veluti invitarunt nos, ut tergo ad illas conversi certamen defenderemus. Mox manipulum conspicabamur militum, ex alto adversum nos decurrentium. Bodmilcar, suique latrones erant. Nulla nobis salus superesse videbatur. Brevi de nobis actum iri sentiebamus; pro bona tamen nostra fortuna, eodem fere temporis puncto Hannibal et Sammai in conspectum venerunt, atque acerrimum certamen utrimque initum erat. Vidi Bodmilcarem cadentem; Sammai tantum quod eo non potitus erat, quum machærá icto, desistendum illi fuit; quo Tyrii spatium nacti ducem suum e certamine eripuerunt, quos pugná excedentes, barbari veluti præsidium secuti, grandine lapidum telorumque immiso nobis, pedetentim recesserunt. Sic itaque nos servati eramus."

Animo intentissimus verba Bichri excepi, ac, postquam dixisset, rogavi ex eo:

"Sed quid, obsecro. de Hazaële, de muliere, [illegible]ro?"

"Exspectadum, sodes, et hoc au[illegible]po. [illegible] sic



loqui pergit: "Consilium itaque cepimus hostis persequendi, quum nullum subesset dubium quin Bodmilcar graviter vulneratus esset, et sic mox in densiora sylvæ progressi sumus, quum subito in congeriem lignorum, cum puero colligato ac superimposito incideramus. Hunc quaternideni vel quindeni milites circumsistebant, Hazael autem, longo cultro in manu, puerum iamiam mactaturus erat, dum duo viri mulierem amoliebantur, quæ, uti res parebat, sese ad puerum proprio corpore tutandum in eum coniecerat. Aminocles, eo ipso momento quo victimam conspexerat, ingentem vagitum edidit: 'Mi fili! Mi fili!' et ad eum præceps ruebat, homini rabido ac furioso simillimus. Cuncti nos eo concurrebamus. At Hazaël, quum se periclitari sensisset, ictu versus puerum edito, tergum vertit et effugere tentavit. Verum, celerior ego eum apprehendi, et ad locum reduxi. Interea Aminocles meique sagittarii cum militibus præsidii negotium brevi expediverunt, atque puerum intermortuum, vinculis præcisis, liberaverunt, et ut mox repereramus ille nullum maius incommodum sustinuit. Mulier quoque, quæ cultrum a puero avertere conabatur, ab uno Phocæorum mox agnita erat ut uxor amissa unius popularium. Quæ si omnia ex æquo æstimemus, quippe qui eunuchum Syriacum cepimus, puerum servavimus, uxorem abreptam marito restituimus, haud puto nos iniquum diei laborem explevisse."

Sed nunc, mutatá voce, Bichri modo prope lugubri subiunxit:

"At quam ægre nos omnes Hannonem nostrum, amicumque fortissimum, tam miserabili vice nobis ereptum esse, et etiam Ionam desiderari! Utrumque æquo amore sum prosecutus; eheu, nos infortunatos! — Etiam mirum quid de sene Gebal factum sit. Num etiam ille interiit?"

Ego quidem, ex mea sententia, haud dubium censebam simiam quoque, quippe quæ solito suo loco, super humerum tubicinis sederat, idem fatum oppetivisse. Bichri longo suspirio indicare videbatur simiæ fata non minus cordi sibi fuisse, quam salutem amicorum suorum atque sodalium.

Interea iam ad editam planitiem pervenimus. Locus admodum tristis ac desertus erat, vix paucis passim arboribus pau-

cisque cirris sentium ac sterilium herbarum interspersus, et, ut æstimare poteram, ad duodena stadia a flumine Bæti. Aqua nostra potabilis quum interea admodum diminuta esset, inter cœnandum perparce nobis adhibenda erat. Eá satis quidem frugali exactá, postquam Hannibal suas excubias disposuisset, cunctaque lumina extincta essent, Hazaélem accersi iussi. Ipse consedi, utrimque meis officialibus adstantibus. Etiam Bichri, Aminoclen cum suo filio, et Phocæum cum sua uxore adhibui.

Captivus pallore suffusus atque formidine tremens producebatur. Manus suæ a tergo vinctæ erant, talaris autem lacerata cruoreque ac sordibus infecta.

"Nonne tu me nosti?" magna voce eum appello.

"Novi te, Here mi clementissime!" trepidabundus, voceque hæsitante respondit, ne oculos quidem levare ausus.

"Etiamne meministi quí tute erga me gesseris?" prosequebar.

Reus nullum responsum dedit.

"Num ad tendendas mihi in Ægypto, Uticæ, Gadibusque insidias a me circumvectatum te putas?"

Usque nullum responsum datum.

"Eccur es ausus hunc puerum mactare tentare?"

"Mandatum eram executurus," flebili voce respondit, "a Bodmilcare adactus. Ad placandum Numen Moloch puerum hostiam immolari iussit. Obsistere illi ausus non sum, omnis enim eram in sua potestate. Non ego, Bodmilcar te male habuit."

"Nihil id refert;" respondeo, "omnes Dii Bodmilcari male faciant! Quid? num eam ob rem vis ut vitæ tuæ parcam? Uno atque unico tantum modo id a me impetrabis."

Syrus perditissimus, humi volutans, gemebundus flagitabat:

"Ignosce mihi, obsecro! Parce vitæ meæ, te etiam atque etiam imploro et appello! Posce a me quod velis; calcibus pete mihi iugulum; fac me servum tuum pro omni vita mea, sed vitam, te obtestor, serva!"

Sammai, qui ad latus mihi adstabat, capitis vulnere colligato, vultum cum indignatione avertit.

"Vitæne tuæ parcam? aisne tu?" inquam; "quid si officio



meo rite functus essem, iam antehac oportebat me Diis Manibus eorum te immolare, qui ob tuam perfidiam, fortiter pugnando interierunt." Tum, paullo post: "Verumtamen, audi!" prosequor sermonem, "fac quod abs te postulo, et ego vitá plus tibi præstabo: quum Gades pervenerimus, te libertate donabo."

"O, Here mi, paratissimus sum cuncta facere, modo iura, iura, quæso, me servaturum!" implorabat me, ac lacrymis miserabiliter obtestabatur, usque in pulvere volutans.

"Esto! Ausculta!" respondeo illi, "per Astarten, Deam cœli summam iuro tibi promissa me facturum."

Præsenti terrore levatus, ignavus furcifer se in pedes erexit, atque voce in audaciorem mutatá, sciscitari cœpit quid ab eo postularem.

"Primum indicare te oportebit, quid Bodmilcar viribus possit."

"Copiæ eius constant e centum et sexaginta Phœnicibus, et e sexcentis aut septingentis Iberibus."

"Deinde revelabis nobis locum refugii, quem, siquo incommodo afficeretur, sibi præstituerit."

Hazaël dubitabat. Ex opinione Sammai, si iste hoc proderet, qui vicies penderetur dignus esset. Moram nihili faciens quæstionem itero:

"Eius latibulum nobis patefacies."

Iterum nullum responsum.

"Nisi edixeris, confestim pendebis."

Simul ut ostenderem nihil me perperam loqui, funem afferri iubeo. Himilco evolvit oram quam corpori circumvolutam secum gerere solebat, chitonetá obtectam. Hazaël contremuit, pallore offusus.

"Sine, sine! Noli me pendere: cuncta *fatebor.*"

"Cedo, confestim responde!"

"Locus is *Tumulus Lupi* est."

"Hactenus, valet; sed ubinam locus ille est?"

"In sylva, ad duo stadia."

"Sed quá viá?"

"Pone nos; illac!" inquit, "versus dextrum."

"Placet; veni nobiscum, ostende viam!"



Itaque, viribus tametsi ultra modum eram exhaustus, facere non poteram quin occasione etiam minimá usus, adversarium mihi tam exosum quæsitum ire pergerem. Milites itaque meos appellans edixi me quinquaginta volonibus ad Bodmilcarem in latibulo suo deprehendendum indigere. Longe plures quam opus habebam sese ad id mihi obtulerunt, ad decertandum omnes cupidi; quamobrem Hannibalem aptissimum quemque ex omni numero deligere iussi, et ad expeditionem præparare, cæteris autem curam mulierum, pueri, impedimentique tutandi, accuratam demandavi, item, ut securitati captivorum invigilarent.

Aminocles enixe me oravit ut sibi in tutelam filioli, item ut Demareti, cum modo restituta uxore eodem proposito remanere liceret. Agnovit quidem utrumque eorum grato erga me ob recuperatos suos animo teneri, spoponditque fore, ut alias eo fortius pro me dimicaturi essent, petivit tamen, ut saltem nunc, cum mea voluntate, eis manere liceret. Ego utique minime dubitavi precibus suis adstipulari.

Antequam iter ingressi essemus, obiter meis memoravi fieri posse ut fortuná favente cadaver dumtaxat unius vel alterius amicorum, Hannonis nempe atque Ionæ, aut utriusque, reperiamus. Chryseis protinus surrexit, atque multum agitata ac pallida ad me accessit. Quærenti autem mihi quonam ire pararet, firmá voce respondit:

"Ibo quæsitum cadaver sponsi mei. Si Dii faverint, tumulo id condere volo."

"Placet propositum, licebitque ut venias," respondi illi, eius animi dolore multum commotus, nec minus mirabar eius fortitudinem, suam tantam calamitatem æqui bonique faciendi; "utinam Astarte nobis propitia sit!"

Hannibal cum suis copiis iter ingressus est. Bichri, lassitudinis patientissimus, agmen ducebat, cum Hazaéle iuxta se, quem manibus vinctum fune tenebat. Gisco, cum securi in humero, ex adverso latere eunuchi itabat, Himilco autem, destricto gladio, a tergo sequebatur. Versus sylvam in silentio progrediebamur, ea plerumque secuti cava viarum, quæ luna in umbra reliquisset, ac paullo post in conspectu eramus atræ foliorum mo-

lis, quæ planitiem claudebat. Hac opacá plagá admodum cauti, ac veluti furtim, arboreta ac dumeta penetravimus, pervenimusque ad tumulum sub radice clivi, quem mane transcenderamus. Híc præruptus editusque erat anfractus, quem Hazaël nobis ut *Lupi Tumulum* descripserat, quique, secundum eum, latibulum Bodmilcaris suorumque celaret. Quum ibi constitimus, prorsus nullum lumen videri, nullus sonus audiri poterat, nec quidquam formidolosum sylvarum silentium turbabat.

"Antequam ad impetum faciendum signum daremus," submissá voce eloquitur Hannibal, "quid apud eos ageretur nos scire oporteret."

"Ipse ego optime mihi viam reperiam," ait eunuchus: "sinite ut ipse procedam, resque vobis renuntiem."

"O tu nimis sapis," redarguit eum Himilco, "valde etiam nobis faves, at nos eá re non te fatigabimus."

Post hanc suam nos eludendi apertissimam astutiam severe repulsam, Hazaël in pristinum suum silentium recidit. Tunc, suadente Bichri, visum est ipsum cum eunucho proficisci satius esse, atque quo in loco res starent explorare. Quo consilio probato, ipse edixit fore ut, si eunuchus e suis manibus se eripere tentaturus esset, pugione eum síne mora perfoderet.

Hannibale consilium probante, ipsi duo profecti sunt et in tenebris e conspectu mox evanuerunt, Bichri suum captivum ante se prorsum agente. Minus quam dimidiá horá post, ramorum ac sarmentorum fragorem audiebamus, atque eorum uterque iterum coram nobis steterunt.

"Ecquid novi?" quærebamus nos.

"Decepit nos furcifer iste," respondet Bichri, "totum tumulum circuivimus, sed nusquam ullum hominem reperimus."

"Imo, ita vivam, ut ego vos decepi!" singultabat eunuchus: non vos decepi. Iuro me Bodmilcarem Lupi Tumulum pro suffugio sibi indicare audivisse. Linguam mihi præcidite nisi verum dicam; hoc iuro."

"Mitte iuramenta, hominum mendacissime!" inclamo eum animo irritato indignabundus. "Fortunatum te censeas me tibi vitam spopondisse; at cave tibi, nam, per Astarten, si alias — —"

"Fieri certe potest," interloquitur Hannibal, "furciferos híc loci latitasse, nobisque adventantibus perterritos hinc dissiluisse. Fortasse spado verum fassus est. Quidquid sit, nihil effici potest, fateorque me victum esse."

Himilco et Hamilcar quoque agnoverunt se delusos esse; atque hinc consultissimum statui ad nostra castra reverti, ibique quiete, tam bene meritá, nos recreare.





CAPUT XV

Iudex Gebal præclarum edit Facinus.

AD CASTRA nostra appropinquantes, excubitores nostri, securitati sedulam dantes operam, nos stiterunt. Vix limites excubiarum ingressi sumus, quum Aminocles, admodum concitatus, manibus gestiens, mihi obviam currit, vixque fandi a me facultate impetratá, ut requirerem quid interea evenisset, narrat mihi incondita, confragosáque linguá Phœniciá, nobis alibi agentibus, "homunculum" redivisse, iterumque discessisse, seque haud procul in arboreto continére.

In præsenti confusus hæsi; sed Bichri, celerius me hominis mente perspectá, exclamabat: "Gebal! Iudex Gebal!" ac locum indicatum versus discurrit, consuetoque sibilo profugum lactare cœpit. Brevi post læto vultu rediit cum simia in humero eius sedente, quæ nos turpissimo vagitu ac stridore, et perquam torvis gestibus vultûs excipiebat. Turpis ut bellua erat, tamen fateor eam iterum ad nos revertisse non parum gaudii mihi parasse, ac pæne omnes nostrum ad videndam eam prodiverunt; et quamvis barbam Hannibalis vellicaret vultumque Himilconis scaripharet, non secus ac nasum Gisconis momordisset, nihil quidquam hostili animo tribuebatur, cunctaque in bonam partem accipiebantur, donec bellua manum Sammai scalpere tentaret, quod quidem Sammai nec ab homine nec a bellua parum gravatim tulisset; is eum ictu sævo feriit, quo hæc magno saltu ad Bichri confugit. Ut illinc dissiluit, aliquid, quod corrigiæ calcei similitudinem referebat, illi excidit. Quod quum Sammai



sustulisset, et ad lumen tædæ accuratius inspexisset, sic fatus est:

"Pol!" inquit, "hic aliquid litteris Phœniciis scriptum est."

"Moræ impatiens, eripio illi corium, accuratius perscrutor, reperioque litteris, sanguine scriptis, esse consignatum. Ne ad legendum quidem tempore sumpto, exclamavi:

"Hanno vivit! Vetulus Gebal nova attulit! Hanno ipse nobis ista scripsit."

Enucleatis pedetentim litteris, omni quá poteram curá, nostros alacri animo intentos sic alloquor:

"Auscultate, velim, amici, hæc sunt quæ ipse nuntiat: 'Captivi sumus vivi et salvi: tuba Ionæ nos servarat; barbari nos Bodmilcari dedere se negaverunt; princeps horum egebat tubicine Phœnicio. Alius quoque princeps tubicinem comparare vult, antequam filiam huic in matrimonium det. Mihi quoque pepercerunt. Mox ad principem Septemtrionalem mittemur. Animum erectum serves. Nos mox effugiemus. A Bodmilcare cave, insidias parat: vos flumine prohibere cupit.' Hæc, itaque sunt, commilitones, quæ ipse nuntiat. Usque speramus eos visuros."

Finitá lectione, Chryseis intra brachia Abigail flens se coniecit; Gisco cuculum suum sursum iactabat; Himilco ex utre satis liberalem haustum suxit; Hannibal autem animi affectum septies in successum sternutando prodebat. Quod vero ad Bichri attinet, simiam in ulnam prehendit, amplexatus eam pæne est, quod affectionis testimonium Gebal cirrum evellendo crinium eius compensabat.

"O, Gebal, pudeat te! Tune mihi capillos evellicas, quum scias quantopere te amem? Fortissime Gebal, vetule, ego gratulatus tibi modo eram ob eximium et insigne tuum facinus."

Cæteri quoque haud minus læti belluam contrectare satagebant, eamque amygdalis uvisque passis donare pergebant, quæ ipsa, quin humeros Bichri reliquisset, grata accepit.

"Ohe, iam satis, siste ioca!" inquam, "otium pro nugis modo non suppetit. Aqua nobis deficit: oportet ut ad flumen quo citius deveniamus, quocirca Bodmilcarem nos antevertere oportebit. Interim et aliud negotium superest, quod nobis dirimendum erit. Adducite huc Hazaélem!"

Eo allato, severá voce eum alloquor:

"Has litteras, Hazaël, nonne audivisti? Eæ te mendacem atque proditorem comprobant. Tuum scelus nobis multis molestiis constitit; nunc nullum iam levamen tibi suppetit; ad longe aliud iudicium deferri te oportebit: "Menath, Hoce, atque Rhadamathus sunto tui iudices. Moriendum tibi est."

Ad pedes meos devolutus, plorans et eiulans supplex me miser pro vita sua implorabat, et ut sibi parcerem singultibus orabat. At ego nullis precibus flecti poteram. Duo nautæ eum sublevaverunt, Himilco autem laqueum in fune suo colligans, collo Syri iniecit.

"Selige sis tibi, vir bone, arborem quam velis," alloquitur eum Himilco; "ex mea quidem parte ilicem quamdam robustam ac probam vellem commendare."

Hazaël nullum responsum dedit, sed omnibus viribus suis ita erat obluctatus ut vi opprimi et abduci debuisset.

"Noli fatuari!" acclamat eum Gisco. "Quid obtrectas pendi? Volæ tuæ soleisque favebis."

"Nunc, itaque," iocatur Himilco, quamprimum spadonem sub arborem collocassent, "fac trahas, age in sublime, in arborem infelicem! Sic! iste suam navigationem absolvit!"

Atque eo pæne usque loquente, Hazaël in sublimi, in lumine lunæ oscillabat.

"Unus proditorum ad rationes supremas reddendas discessit;" monui ego.

"Alterum autem," addit Hannibal, "speremus mox secuturum."

Brevis atque exilis eá nocte nostrum omnium fuit quies. Ac postridie, quum sol in cœlo claro surrexerat, post certamina laboresque adeo eramus irrequieti, ut summo nonnisi conatu ac labore planitiem æstuantem et pulverulentam assequi possemus. Mihi ipsi faux exaruit, alvusque quodam genere spasmi convellebatur, cuius teterrimus sensus iis nonnisi notus est, qui cruciatum urentis sitis unquam pertulerint. Himilco suum utrem iam ad ultimam usque guttam exsiccavit, iterque suum, temeto consueto privatus, et omnino destitutus, languido gressu prosequebatur. Hannibal sublatá et e cingulo suspensá galeá itabat; cæ-



terique omnes ita erant lassi et confecti, ut vel verbum proferre inter itandum eos pigeret. Unus Bichri erat, qui ex omni numero nostrum nulla vestigia lassitudinis proderet, utpote cuius fibrosum corpus lassitudini fere impervium esse videretur.

Circa dimidum temporis pomeridiani levis nebula suspensa indicare nobis videbatur cursum fluminis, quo non parum recreati eramus; nam conscientia nos in vicinia aquæ versari ad alacrius agendum nos incitavit. Bichri et aliquot aliis, qui utres aut cucurbitas secum gerebant accitis, prorsum cucurri, ut sine iactura temporis aquá potiremur, ac reversus, meos haustu aquæ reficerem; sed quum circiter intra dimidium stadii a flumine pervenissem, tanto dolore nauseaque arripiebar, ut vix pedibus consistere possem. Perseveravi tamen, et vix passibus vicenis a margine aquæ aberamus, quum subito e fruticeto sonum virgarum ac sarmenti crepantis exaudiebamus, ac fere vicena iacula sibilantia nos prætervolare cœperunt, et clamor bellicus Iberum aures nostras perstrinxit. Stupentes quidem, tamen ver sus aquam progredimur, quum triceni vel quadrageni barbari ex insidiis inter dumeta consurgunt, nobisque lanceis armati occurrunt, atque alter tantus eorum numerus latus apertum agminis nostri cum ingenti eiulatu adoritur. Hannibal atque Sammai hostes suos cito repulerunt, sed mihi, qui paucos passus præcesseram, fortuna haud tam æqua fuit; nam, licet Bichri uno plus interfecerit ex iis dumtaxat qui sibi a fronte obversabantur, tamen nos circumvenerunt. Brachium unius nautarum lancea perfodit; sura Bichri hastá vulnerabatur, mihi autem in movendo me magno incommodo erat hasta, quæ inter scutum loraque humeri mei hæserat, et, fateor, iam de salute mea meorumque desperare cœperam; sed in ipso extremi discriminis momento cantus tubæ Phœniciæ notissimus perstrepuit, voxque audita erat: "Forti este animo! hic sumus!" simulque facies rerum mutari cœpit. Veluti grex pavidarum avium, barbari pedem referre cœperunt; agmen adventans, forte Bodmilcaris ipsius, cito terga vertit, seseque in fugam mandat: Hasdrubalem sunt conspicati, qui a ripa fluminis nobis opem latum adventabat. Amicus amicum haud unquam tanto excepit gaudio. Quærenti mihi, qui id contigisset ut nobis tam opportune suc-

curreret, respondit, totum mane se hostium motus speculatum fuisse, qui, propriis insidiis nimis occupati, suum adventum non animadvertissent; sed quum sibi persuasum esset illos nefandum quoddam facinus machinari, malum *Cabirorum* demitti, atque in sinum ad ripam fluminis prorsum moveri iussisse, ita egressum in tempore nobis subvenisse.

Sic itaque periculo instantissimo erepti, agmen nostrum ad sitim restinguendam, ad flumen adduximus. Nec, fortasse, in vita mea contigisse arbitror ut Himilconem aquam, et maximis quidem haustibus, (nec sine ingenti voluptate), potare vidissem. Alterius horæ spatio secundo flumine Bæti deorsum navigare cœpimus, lætus quisque sua pericula narrando.

Tota nox quam in *Cabiris* exegeramus ex omni parte quieti optime meritæ erat data. Postridie primo mane iter suscepimus ad locum ubi *Dagon* et *Astarte* destinatæ morabantur.

Eo quum perveneramus, cuique nautarum quinos siclos ac ternas portiones vini donavi; nam satis perspectum habui singulos eorum labores fere ultra vires suas præstitisse; item, quatuor et viginti horarum otium eis concessi, ante iter susceptum. Otium autem istud quisque suo modo et ad suam indolem exigebat: aliqui ad satietatem potabant, aliqui cantabant, vel saltando se oblectabant, nonnulli varietatis causâ etiam secum certabant; tamen, etiamsi rudius ac non sine tumultu interdiu se gesserint, sub vesperum omnes ad saniora rediverunt, seque consuetæ disciplinæ legibus parato animo subdiderunt.

Proximo mane iam iterum altum nos habebat, et, ego dumtaxat, vix effabili gaudio intuebar eius cærulum ac perpetuo mutabilem vultum, non secus atque aquarum in latera navis liquidum impetum.

Biduo Gades attigimus, ubi cunctas meas rationes cum Tzíba ex ordine pariavi.

Nunc demum tempus advenisse existimavi, ubi officialibus cæteræque manui mea prisca consilia proponere possem. Hoc igitur proposito omnes eos ad convivium sub tentorio, in quodam horto publico extra urbem strato, invitavi. Convivio peracto, surrexi explicuique illis quare eos convocassem.

"Amici," inquam, "cœptum, propter quod missi eramus,



persolvimus. Voluntati regis Davidis satis est factum; mandata regis Hiram exsecuti sumus. Subditis regis Davidis licebit in Palæstinam reverti; et ideo vos omnes híc congregavi, ut cunctis valedicerem."

Consurgit Sammai impatiens, meque acie acerrimá indagabundus contuetur, quid ego mihi vellem, a me percontari cœpit.

"Quid ego mihi velim?" respondi illi, "id tibi facile explicabo. Mihi in animo est omne argentum in *Dagonem* comportare, eamque imperio Hasdrubalis concredere. Licebit et vobis cum *Dagone* domum reverti. Demandatum erit Hasdrubali ut te, Abigail, Hannibalemque, atque cæteros quibus visum fuerit vobiscum reverti, Ioppam deferre."

Hoc audito, Hannibal, animo prorsus commotus, exclamavit:

"Tu vero? Quid de ipso te? An nec Himilco, Hamilcar, neque Gisco nobiscum revertentur?"

"Nullus horum," respondeo; "nos alia negotia exspectant."

Silentium omnes oppressit. Hannibal consternatus lacrymabundus me contuetur. Sammai, veluti e sopore evigilans, silentium rupit, pugno suo sellæ tentá vi illiso ut eam diffringeret; paullo autem post Bichri, leni sibilo cantilenam suæ gentis recitare cœpit, quo, more suo, acsi res suá minime interesset, curam discutere tentabat.

Sammai primus loqui cœpit:

"Per Deum nostrum sacratissimum, Navarche mi, sic te agere posse mihi nunquam persuadere potuissem!" ganniit ipse.

"Sic, prorsus, quæ ubivis sint sacra!" receptá voce fatur Hannibal: "Itane de te omnes nos meriti sumus, ut sic de nobis statuas?"

"Nihil contra vos pecco," respondi, "amici hactenus fuimus, amici separabimur. Certe nihil plus æquo a me postulabitis, quam ut vos in suam quemque patriam restaurem, ut cæteram vitam in otio affluenti degere possitis."

"At quamobrem ipse tu non revertis?" quæsiverunt omnes.

"Eo proposito vos huc invitavi ut id quoque vobis palam facerem. Mihi nimirum, Sidoniisque qui mecum sunt, in animo est iter exploratorium suscipere. Iam pridem mihi proposueram explorare, utrum et aliæ terræ sint nec ne, et quales eæ sint,



insulæne an continentes, et utrum ad Septemtriones hinc lateant. Statui mecum, si possim, dirimere, utrum Occasum versus a Tartesso navigando Celtarum terræ attingi queant nec ne. Hæc est quæstio quam solvendam mihi suscepi."

"At tune putas," obloquitur Sammai, "nos interea, dum tu in ignotorum marium discriminibus periclitaberis, posse otio vitæque commodis frui? Absit! Non adeo sumus ingrati."

"Numquid nos signa deseremus medio prœlio? Nunquam, Medius Fidius, faciemus!" obtestatur Hannibal; "eat domum qui velit; fata mea ad te me iungunt."

Sammai ei adstipulatur; Abigail negat se ab suo sponso abscessuram. Motus omnium fide meique desiderio, manus cunctorum seorsim prehendi:

"Dii vestram fidem fortitudinemque remunerabuntur" respondi illis. "Sed aliqui vestrum tamen malent in patriam reverti. Quid tibi videtur, Aminocles? Num tu non mavis filium tuum ad patrios Penates referre? Tu autem, Chryseis, tu certe noles periclis maris ignoti obiici?"

Aminocles respondit se filio aptiorem patriam quam inter bellatores fortesque nautas degere vitam posse, nequaquam optare; Chryseis autem ingenue fassa est se ad me vinculis grati animi devinctam: quod ego eam e servitute eripuerim, fieri etiam posse, ut, si apud me perseveret, quondam suum sponsum sibi restitutum videat.

Tunc ad Bichri conversus, qui usque cantilenam suæ gentis tristi ac languido sono sibilabat, sic eum alloquor:


"Heus, mi ephebe, necdum audivi quid tibi probandum videretur. Nihilne tu habes dicere?"

"Nihil multum," is respondit, "areolam in vinea Tzíbæ palmitibus consevi. Vobiscum in Septemtriones me profecturum reor, atque redux huc, Tartessum, excurram visum quemadmodum sata a me vinea prosperet ac vigeat."

Bichri nullum responsum Himilconi dare dignatus, prosequitur quasi secum loquens:

"Cum sene Gebal parvuloque Dionyso puto me satis contentum futurum, Ioná tamen ægre carebo."

[illegible] itaque admodum mirabar nullum sociorum a me disce-



Itaque, viribus tametsi ultra modum eram exhaustus, facere non poteram quin occasione etiam minimá usus, adversarium mihi tam exosum quæsitum ire pergerem. Milites itaque meos appellans edixi me quinquaginta volonibus ad Bodmilcarem in latibulo suo deprehendendum indigere. Longe plures quam opus habebam sese ad id mihi obtulerunt, ad decertandum omnes cupidi; quamobrem Hannibalem aptissimum quemque ex omni numero deligere iussi, et ad expeditionem præparare, cæteris autem curam mulierum, pueri, impedimentique tutandi, accuratam demandavi, item, ut securitati captivorum invigilarent.

Aminocles enixe me oravit ut sibi in tutelam filioli, item ut Demareti, cum modo restituta uxore eodem proposito remanere liceret. Agnovit quidem utrumque eorum grato erga me ob recuperatos suos animo teneri, spoponditque fore, ut alias eo fortius pro me dimicaturi essent, petivit tamen, ut saltem nunc, cum mea voluntate, eis manere liceret. Ego utique minime dubitavi precibus suis adstipulari.

Antequam iter ingressi essemus, obiter meis memoravi fieri posse ut fortuná favente cadaver dumtaxat unius vel alterius amicorum, Hannonis nempe atque Ionæ, aut utriusque, reperiamus. Chryseis protinus surrexit, atque multum agitata ac pallida ad me accessit. Quærenti autem mihi quonam ire pararet, firmá voce respondit:

"Ibo quæsitum cadaver sponsi mei. Si Dii faverint, tumulo id condere volo."

"Placet propositum, licebitque ut venias," respondi illi, eius animi dolore multum commotus, nec minus mirabar eius fortitudinem, suam tantam calamitatem æqui bonique faciendi; "utinam Astarte nobis propitia sit!"

Hannibal cum suis copiis iter ingressus est. Bichri, lassitudinis patientissimus, agmen ducebat, cum Hazaéle iuxta se, quem manibus vinctum fune tenebat. Gisco, cum securi in humero, ex adverso latere eunuchi itabat, Himilco autem, destricto gladio, a tergo sequebatur. Versus sylvam in silentio progrediebamur, ea plerumque secuti cava viarum, quæ luna in umbra reliquisset, ac paullo post in conspectu eramus atræ foliorum mo-

lis, quæ planitiem claudebat. Hac opacá plagá admodum cauti, ac veluti furtim, arboreta ac dumeta penetravimus, pervenimusque ad tumulum sub radice clivi, quem mane transcenderamus. Híc præruptus editusque erat anfractus, quem Hazaël nobis ut *Lupi Tumulum* descripserat, quique, secundum eum, latibulum Bodmilcaris suorumque celaret. Quum ibi constitimus, prorsus nullum lumen videri, nullus sonus audiri poterat, nec quidquam formidolosum sylvarum silentium turbabat.

"Antequam ad impetum faciendum signum daremus," submissá voce eloquitur Hannibal, "quid apud eos ageretur nos scire oporteret."

"Ipse ego optime mihi viam reperiam," ait eunuchus: "sinite ut ipse procedam, resque vobis renuntiem."

"O tu nimis sapis," redarguit eum Himilco, "valde etiam nobis faves, at nos eá re non te fatigabimus."

Post hanc suam nos eludendi apertissimam astutiam severe repulsam, Hazaël in pristinum suum silentium recidit. Tunc, suadente Bichri, visum est ipsum cum eunucho proficisci satius esse, atque quo in loco res starent explorare. Quo consilio probato, ipse edixit fore ut, si eunuchus e suis manibus se eripere tentaturus esset, pugione eum síne mora perfoderet.

Hannibale consilium probante, ipsi duo profecti sunt et in tenebris e conspectu mox evanuerunt, Bichri suum captivum ante se prorsum agente. Minus quam dimidiá horá post, ramorum ac sarmentorum fragorem audiebamus, atque eorum uterque iterum coram nobis steterunt.

"Ecquid novi?" quærebamus nos.

"Decepit nos furcifer iste," respondet Bichri, "totum tumulum circuivimus, sed nusquam ullum hominem reperimus."

"Imo, ita vivam, ut ego vos decepi!" singultabat eunuchus: non vos decepi. Iuro me Bodmilcarem Lupi Tumulum pro suffugio sibi indicare audivisse. Linguam mihi præcidite nisi verum dicam; hoc iuro."

"Mitte iuramenta, hominum mendacissime!" inclamo eum animo irritato indignabundus. "Fortunatum te censeas me tibi vitam spopondisse; at cave tibi, nam, per Astarten, si alias — —"

"Fieri certe potest," interloquitur Hannibal, "furciferos híc loci latitasse, nobisque adventantibus perterritos hinc dissiluisse. Fortasse spado verum fassus est. Quidquid sit, nihil effici potest, fateorque me victum esse."

Himilco et Hamilcar quoque agnoverunt se delusos esse; atque hinc consultissimum statui ad nostra castra reverti, ibique quiete, tam bene meritá, nos recreare.



CAPUT XV

Iudex Gebal præclarum edit Facinus.

AD CASTRA nostra appropinquantes, excubitores nostri, securitati sedulam dantes operam, nos stiterunt. Vix limites excubiarum ingressi sumus, quum Aminocles, admodum concitatus, manibus gestiens, mihi obviam currit, vixque fandi a me facultate impetratá, ut requirerem quid interea evenisset, narrat mihi incondita, confragosáque linguá Phœniciá, nobis alibi agentibus, "homunculum" redivisse, iterumque discessisse, seque haud procul in arboreto continére.

In præsenti confusus hæsi; sed Bichri, celerius me hominis mente perspectá, exclamabat: "Gebal! Iudex Gebal!" ac locum indicatum versus discurrit, consuetoque sibilo profugum lactare cœpit. Brevi post læto vultu rediit cum simia in humero eius sedente, quæ nos turpissimo vagitu ac stridore, et perquam torvis gestibus vultús excipiebat. Turpis ut bellua erat, tamen fateor eam iterum ad nos revertisse non parum gaudii míhi parasse, ac pæne omnes nostrum ad videndam eam prodiverunt; et quamvis barbam Hannibalis vellicaret vultumque Himilconis scaripharet, non secus ac nasum Gisconis momordisset, nihil quidquam hostili animo tribuebatur, cunctaque in bonam partem accipiebantur, donec bellua manum Sammai scalpere tentaret, quod quidem Sammai nec ab homine nec a bellua parum gravatim tulisset; is eum ictu sævo feriit, quo hæc magno saltu ad Bichri confugit. Ut illinc dissiluit, aliquid, quod corrigiæ calcei similitudinem referebat, illi excidit. Quod quum Sammai

sustulisset, et ad lumen tædæ accuratius inspexisset, sic fatus est:

"Pol!" inquit, "híc aliquid litteris Phœniciis scriptum est."

"Moræ impatiens, eripio illi corium, accuratius perscrutor, reperioque litteris, sanguine scriptis, esse consignatum. Ne ad legendum quidem tempore sumpto, exclamavi:

"Hanno vivit! Vetulus Gebal nova attulit! Hanno ipse nobis ista scripsit."

Enucleatis pedetentim litteris, omni quá poteram curá, nostros alacri animo intentos sic alloquor:

"Auscultate, velim, amici, hæc sunt quæ ipse nuntiat: 'Captivi sumus vivi et salvi: tuba Ionæ nos servarat; barbari nos Bodmilcari dedere se negaverunt; princeps horum egebat tubicine Phœnicio. Alius quoque princeps tubicinem comparare vult, antequam filiam huic in matrimonium det. Mihi quoque pepercerunt. Mox ad principem Septemtrionalem mittemur. Animum erectum serves. Nos mox effugiemus. A Bodmilcare cave, insidias parat: vos flumine prohibere cupit.' Hæc, itaque sunt, commilitones, quæ ipse nuntiat. Usque speramus eos visuros."

Finitá lectione, Chryseis intra brachia Abigail flens se coniecit; Gisco cuculum suum sursum iactabat; Himilco ex utre satis liberalem haustum suxit; Hannibal autem animi affectum septies in successum sternutando prodebat. Quod vero ad Bichri attinet, simiam in ulnam prehendit, amplexatus eam pæne est, quod affectionis testimonium Gebal cirrum evellendo crinium eius compensabat.

"O, Gebal, pudeat te! Tune mihi capillos evellicas, quum scias quantopere te amem? Fortissime Gebal, vetule, ego gratulatus tibi modo eram ob eximium et insigne tuum facinus."

Cæteri quoque haud minus læti belluam contrectare satagebant, eamque amygdalis uvisque passis donare pergebant, quæ ipsa, quin humeros Bichri reliquisset, grata accepit.

"Ohe, iam satis, siste ioca!" inquam, "otium pro nugis modo non suppetit. Aqua nobis deficit: oportet ut ad flumen quo citius deveniamus, quocirca Bodmilcarem nos antevertere oportebit. Interim et aliud negotium superest, quod nobis dirimendum erit. Adducite huc Hazaélem!"

Eo allato, severá voce eum alloquor:

"Has litteras, Hazaël, nonne audivisti? Eæ te mendacem atque proditorem comprobant. Tuum scelus nobis multis molestiis constitit; nunc nullum iam levamen tibi suppetit; ad longe aliud iudicium deferri te oportebit: "Menath, Hoce, atque Rhadamathus sunto tui iudices. Moriendum tibi est."

Ad pedes meos devolutus, plorans et eiulans supplex me miser pro vita sua implorabat, et ut sibi parcerem singultibus orabat. At ego nullis precibus flecti poteram. Duo nautæ eum sublevaverunt, Himilco autem laqueum in fune suo colligans, collo Syri iniecit.

"Selige sis tibi, vir bone, arborem quam velis," alloquitur eum Himilco; "ex mea quidem parte ilicem quamdam robustam ac probam vellem commendare."

Hazaël nullum responsum dedit, sed omnibus viribus suis ita erat obluctatus ut vi opprimi et abduci debuisset.

"Noli fatuari!" acclamat eum Gisco. "Quid obtrectas pendi? Volæ tuæ soleisque favebis."

"Nunc, itaque," iocatur Himilco, quamprimum spadonem sub arborem collocassent, "fac trahas, age in sublime, in arborem infelicem! Sic! iste suam navigationem absolvit!"

Atque eo pæne usque loquente, Hazaël in sublimi, in lumine lunæ oscillabat.

"Unus proditorum ad rationes supremas reddendas discessit;" monui ego.

"Alterum autem," addit Hannibal, "speremus mox secuturum."

Brevis atque exilis eá nocte nostrum omnium fuit quies. Ac postridie, quum sol in cœlo claro surrexerat, post certamina laboresque adeo eramus irrequieti, ut summo nonnisi conatu ac labore planitiem æstuantem et pulverulentam assequi possemus. Mihi ipsi faux exaruit, alvusque quodam genere spasmi convellebatur, cuius teterrimus sensus iis nonnisi notus est, qui cruciatum urentis sitis unquam pertulerint. Himilco suum utrem iam ad ultimam usque guttam exsiccavit, iterque suum, temeto consueto privatus, et omnino destitutus, languido gressu prosequebatur. Hannibal sublatá et e cingulo suspensá galeá itabat; cæ-

terique omnes ita erant lassi et confecti, ut vel verbum proferre inter itandum eos pigeret. Unus Bichri erat, qui ex omni numero nostrum nulla vestigia lassitudinis proderet, utpote cuius fibrosum corpus lassitudini fere impervium esse videretur.

Circa dimidum temporis pomeridiani levis nebula suspensa indicare nobis videbatur cursum fluminis, quo non parum recreati eramus; nam conscientia nos in vicinia aquæ versari ad alacrius agendum nos incitavit. Bichri et aliquot aliis, qui utres aut cucurbitas secum gerebant accitis, prorsum cucurri, ut sine iactura temporis aquá potiremur, ac reversus, meos haustu aquæ reficerem; sed quum circiter intra dimidium stadii a flumine pervenissem, tanto dolore nauseaque arripiebar, ut vix pedibus consistere possem. Perseveravi tamen, et vix passibus vicenis a margine aquæ aberamus, quum subito e fruticeto sonum virgarum ac sarmenti crepantis exaudiebamus, ac fere vicena iacula sibilantia nos prætervolare cœperunt, et clamor bellicus Iberum aures nostras perstrinxit. Stupentes quidem, tamen ver sus aquam progredimur, quum triceni vel quadrageni barbari ex insidiis inter dumeta consurgunt, nobisque lanceis armati occurrunt, atque alter tantus eorum numerus latus apertum agminis nostri cum ingenti eiulatu adoritur. Hannibal atque Sammai hostes suos cito repulerunt, sed mihi, qui paucos passus præcesseram, fortuna haud tam æqua fuit; nam, licet Bichri uno plus interfecerit ex iis dumtaxat qui sibi a fronte obversabantur, tamen nos circumvenerunt. Brachium unius nautarum lancea perfodit; sura Bichri hastá vulnerabatur, mihi autem in movendo me magno incommodo erat hasta, quæ inter scutum loraque humeri mei hæserat, et, fateor, iam de salute mea meorumque desperare cœperam; sed in ipso extremi discriminis momento cantus tubæ Phœniciæ notissimus perstrepuit, voxque audita erat: "Forti este animo! hic sumus!" simulque facies rerum mutari cœpit. Veluti grex pavidarum avium, barbari pedem referre cœperunt; agmen adventans, forte Bodmilcaris ipsius, cito terga vertit, seseque in fugam mandat: Hasdrubalem sunt conspicati, qui a ripa fluminis nobis opem latum adventabat. Amicus amicum haud unquam tanto excepit gaudio. Quærenti mihi, quí id contigisset ut nobis tam opportune suc-

curreret, respondit, totum mane se hostium motus speculatum fuisse, qui, propriis insidiis nimis occupati, suum adventum non animadvertissent; sed quum sibi persuasum esset illos nefandum quoddam facinus machinari, malum *Cabirorum* demitti, atque in sinum ad ripam fluminis prorsum moveri iussisse, ita egressum in tempore nobis subvenisse.

Sic itaque periculo instantissimo erepti, agmen nostrum ad sitim restinguendam, ad flumen adduximus. Nec, fortasse, in vita mea contigisse arbitror ut Himilconem aquam, et maximis quidem haustibus, (nec sine ingenti voluptate), potare vidissem. Alterius horæ spatio secundo flumine Bæti deorsum navigare cœpimus, lætus quisque sua pericula narrando.

Tota nox quam in *Cabiris* exegeramus ex omni parte quieti optime meritæ erat data. Postridie primo mane iter suscepimus ad locum ubi *Dagon* et *Astarte* destinatæ morabantur.

Eo quum perveneramus, cuique nautarum quinos siclos ac ternas portiones vini donavi; nam satis perspectum habui singulos eorum labores fere ultra vires suas præstitisse; item, quatuor et viginti horarum otium eis concessi, ante iter susceptum. Otium autem istud quisque suo modo et ad suam indolem exigebat: aliqui ad satietatem potabant, aliqui cantabant, vel saltando se oblectabant, nonnulli varietatis causá etiam secum certabant; tamen, etiamsi rudius ac non sine tumultu interdiu se gesserint, sub vesperum omnes ad saniora rediverunt, seque consuetæ disciplinæ legibus parato animo subdiderunt.

Proximo mane iam iterum altum nos habebat, et, ego dumtaxat, vix effabili gaudio intuebar eius cærulum ac perpetuo mutabilem vultum, non secus atque aquarum in latera navis liquidum impetum.

Biduo Gades attigimus, ubi cunctas meas rationes cum Tzíba ex ordine pariavi.

Nunc demum tempus advenisse existimavi, ubi officialibus cæteræque manui mea prisca consilia proponere possem. Hoc igitur proposito omnes eos ad convivium sub tentorio, in quodam horto publico extra urbem strato, invitavi. Convivio peracto, surrexi explicuique illis quare eos convocassem.

"Amici," inquam, "cœptum, propter quod missi eramus,

persolvimus. Voluntati regis Davidis satis est factum; mandata regis Hiram exsecuti sumus. Subditis regis Davidis licebit in Palæstinam reverti; et ideo vos omnes híc congregavi, ut cunctis valedicerem."

Consurgit Sammai impatiens, meque acie acerrimá indagabundus contuetur, quid ego mihi vellem, a me percontari cœpit.

"Quid ego mihi velim?" respondi illi, "id tibi facile explicabo. Mihi in animo est omne argentum in *Dagonem* comportare, eamque imperio Hasdrubalis concredere. Licebit et vobis cum *Dagone* domum reverti. Demandatum erit Hasdrubali ut te, Abigail, Hannibalemque, atque cæteros quibus visum fuerit vobiscum reverti, Ioppam deferre."

Hoc audito, Hannibal, animo prorsus commotus, exclamavit:

"Tu vero? Quid de ipso te? An nec Himilco, Hamilcar, neque Gisco nobiscum revertentur?"

"Nullus horum," respondeo; "nos alia negotia exspectant."

Silentium omnes oppressit. Hannibal consternatus lacrymabundus me contuetur. Sammai, veluti e sopore evigilans, silentium rupit, pugno suo sellæ tentá vi illiso ut eam diffringeret; paullo autem post Bichri, leni sibilo cantilenam suæ gentis recitare cœpit, quo, more suo, acsi res suá minime interesset, curam discutere tentabat.

Sammai primus loqui cœpit:


"Per Deum nostrum sacratissimum, Navarche mi, sic te agere posse mihi nunquam persuadere potuissem!" ganniit ipse.

"Sic, prorsus, quæ ubivis sint sacra!" receptá voce fatur Hannibal: "Itane de te omnes nos meriti sumus, ut sic de nobis statuas?"

"Nihil contra vos pecco," respondi, "amici hactenus fuimus, amici separabimur. Certe nihil plus æquo a me postulabitis, quam ut vos in suam quemque patriam restaurem, ut cæteram vitam in otio affluenti degere possitis."

"At quamobrem ipse tu non revertis?" quæsiverunt omnes.

"Eo proposito vos huc invitavi ut id quoque vobis palam facerem. Mihi nimirum, Sidoniisque qui mecum sunt, in animo est iter exploratorium suscipere. Iam pridem mihi proposueram explorare, utrum et aliæ terræ sint nec ne, et quales eæ sint,



insulæne an continentes, et utrum ad Septemtriones hinc lateant. Statui mecum, si possim, dirimere, utrum Occasum versus a Tartesso navigando Celtarum terræ attingi queant nec ne. Hæc est quæstio quam solvendam mihi suscepi."

"At tune putas," obloquitur Sammai, "nos interea, dum tu in ignotorum marium discriminibus periclitaberis, posse otio vitæque commodis frui? Absit! Non adeo sumus ingrati."

"Numquid nos signa deseremus medio prœlio? Nunquam, Medius Fidius, faciemus!" obtestatur Hannibal; "eat domum qui velit; fata mea ad te me iungunt."

Sammai ei adstipulatur; Abigail negat se ab suo sponso abscessuram. Motus omnium fide meique desiderio, manus cunctorum seorsim prehendi:

"Dii vestram fidem fortitudinemque remunerabuntur" respondi illis. "Sed aliqui vestrum tamen malent in patriam reverti. Quid tibi videtur, Aminocles? Num tu non mavis filium tuum ad patrios Penates referre? Tu autem, Chryseis, tu certe noles periclis maris ignoti obiici?"

Aminocles respondit se filio aptiorem patriam quam inter bellatores fortesque nautas degere vitam posse, nequaquam optare; Chryseis autem ingenue fassa est se ad me vinculis grati animi devinctam: quod ego eam e servitute eripuerim, fieri etiam posse, ut, si apud me perseveret, quondam suum sponsum sibi restitutum videat.

Tunc ad Bichri conversus, qui usque cantilenam suæ gentis tristi ac languido sono sibilabat, sic eum alloquor:

"Heus, mi ephebe, necdum audivi quid tibi probandum videretur. Nihilne tu habes dicere?"

"Nihil multum," is respondit, "areolam in vinea Tzíbæ palmitibus consevi. Vobiscum in Septemtriones me profecturum reor, atque redux huc, Tartessum, excurram visum quemadmodum sata a me vinea prosperet ac vigeat."

Bichri nullum responsum Himilconi dare dignatus, prosequitur quasi secum loquens:

"Cum sene Gebal parvuloque Dionyso puto me satis contentum futurum, Ioná tamen ægre carebo."

Sic itaque admodum mirabar nullum sociorum a me disce-



dere velle. Constitui itaque totam meam embolam, cum argento unà, fidei navarchi cuiusdam Sidonii concredere, qui domum reverti parabat, tunc vero, sine mora, magnam vim commeatûs comparare, ut haberem quo victum in navigando ignota maria Occidentis sustentarem.

Mane eius diei quo solvere statueram, Suffetem Navalem, atque Tzíbam valedictum adii. Ut marginem obeo ostium portûs petens, magnam hominum turbam conspicio, quæ huc confluxit ut duas magnas columnas a fabris erigi spectaret, quarum una imaginem solis, altera autem signum Dei nostri Melcarth referebat. Ne ego quidem minus cupidus eram sciendi quid hæ duæ columnæ sibi vellent. Responsum tuli iis finem habitabilis terrarum orbis significari, atque ultra eas, præter oceanum, nihil dari. Verumtamen effatum oraculi mihi usque memoriæ hærebat; mihi quidem mundum latius patere persuasum habebam, ac mecum subridens, iter meum, plenus spei, securus prosequebar.





CAPUT XVI

Oceani Discrimina.

Septimanam integram oras continentis versus Septemtriones contendendo exegi; superatoque celso quodam promontorio, iter ad Ortum flexi. In nulla a me anteacta navigatione tam arduum expertus sum laborem navigandi, nec fluctus unquam vidi tam iratos quam qui híc saxosas oras verberabant. Lingua terræ híc erat, quam circuire vix quaternorum dierum spatio nobis licebat; nec nisi quindenis ferme exactis diebus, per fluctus tempestatesque iactatis licebat nobis denique aquis placidioribus, orisque demissioribus potiri. Híc montes desinentes planities amplissima excipit, quæ iterum ad Septemtriones vergit. Diuturna hæc contra tempestates luctamina defatigarunt nos fere ultra vires nostras.

Antequam multum progressi essemus, ad ostia pervenimus fluminis cuiusdam adeo lata ut primum quemdam maris sinum ea existimarem. Ripæ eius utrimque nemorosæ et collinæ erant, terræ autem tam hospitales mihi videbantur, ut, denique consistendum ratus, in quodam haud longe dissito fluminis æstuario, aptum ad anchoras iaciendas locum nullo labore reperi.

"Per Deúm hominumque fidem!" Gisco clamat multum concitatus: "Mappalia ista ego certe agnosco! Vicus Celticus est." His dictis, manu ordinem tuguriorum indicabat cum tectis conicis, ex arundinibus consertis, ac sine multis argumentis quatuor remiges se ad littus deferri iussit, ut priscos veluti agnatos suos viseret.

Nec spe deceptus fuit. Dimidiæ horæ spatio circa navigia nostra multitudo Celticarum trabalium ac lintrium, ærumnose factarum, scatebat. Celtarum plurimi adeo avidi erant nos videndi, ut haud pauci se in aquam præcipitare non dubitarent, et spatium ab oris ad nos usque natando emetirentur, nec multo post constratum nostrum, cæterarumque navium, examinis apum instar obsiderent. Hi omnes hilari risu gesticulabundi, omnes eodem tempore elatá voce, iucunde sermocinari cœperunt, quorum tamen lingua auditu nobis quidem haud omnino suavis esse parebat; ipsi tamen omnes amicissimos sese nobis præbuerunt, ac moribus multo minus erant barbari quam incolæ Tartesso vicini. Tunicas hi admodum breves, e materia rudi, ab ipsis se texta confectas gerebant, crura vero sua braccis, ad talos usque pertingentibus, tegebantur. Erant autem hi vultu rotundo, indiciaque boni animi præ se ferebant. Oculi iis erant clari, ac plerumque cæsii, capillis helvis, non raro plane flavis. Aliqui eorum arma ænea, atque monilia gerebant, quæ ex Phœnici per Salios, secundum flumen Rhodanum in has terras importabantur, multo plures tamen eorum instrumenta lapidea atque lignea, scitissime facta, usque adhibebant.

Celtæ, ut quum vicum eorum visum iveram comperi, casulas suas pilis, in aquam demissis, superstructas habent, artisque piscandi peritissimi esse cognoscuntur. Emi ab iis aliquantum arenæ auriferæ; et quum varias merces nostras perquam appetivissent, plures ex his erga sua mercimonia campsi. Quærenti mihi de sua origine, se ex Oriente cum Septemtrione primitus hucce migrasse, omnes ad unum asseruerunt, suosque proavos ante sæculum hicce terrarum consedisse, atque hinc gentem Iberibus, Liguribusque consimiles exegisse, aiebantque pone se alios quoque esse Celtas, quos illi Gallos et Cimbros vocarunt.

Relictis eorum vicis, quos ipsi *mas* nominant, ad naves redii, iterque nostrum versus Septemtriones prosequebamur. Post navigationem octonúm dierum ad ambages pervenimus scopulorum atque insularum. Egressi in continentem, alias Celtarum tribus reperimus, qui nos do[illegible]uerun[illegible]m terram *Ar-Mor*, hoc est, 'terram maris' vocari; et ab [illegible]us, ad Septemtrio-

nes, quamdam insulam magnam, opulentam ac fertilem sitam esse, illud iter aggredi mecum statui.

Post biduum ingens tempestas nos assecuta est, et simul etiam caliginosa nebula mari undique incubuerat, quam nostri *pulmones oceani* vocitabant; ab undis per complures dies vehementer iactati, in regionibus lugubribus orci errare nobis videbamur. Die quinto iam omnem sitús itinerisque rationem et computum amisimus, atque venti ac fluctus ad suum arbitrium, quo lubebat, nos egerunt. Sub mediam eius diei noctem, vigiliis, laboribusque fractus, ad imum malum quietem capiebam, quum subito magná voce Himilconis suscitor sic clamantis: "Veniliæ undæ ante nos!"

Puncto temporis exsilui in pedes, et ad clavum cucurri.

"Refluxus!" clamo, "indicate cæteris navibus!"

Præcipites omnes ad lampades faculasque accendendas discurrunt, at sero totum: clamor calamitosus nobis significabat *Dagonem* scopulis hæsisse; ut vero ego flexivice pedes referre nitebar, animadverto ingenti terrore *Cabiros* proræ innixam, totam in venilibus volutari.

Astarte quidem usque incolumis, undique cautibus, aquam non excedentibus, tamen erat cincta. Aquæ tanto impetu ferebantur, ut omnes mei conatus ad revellendam navim in alveum nostri cursús, quo huc ducebamur, incassum essent; et etiam post unius horæ afflictationem streporem venilium, scopulis illidentium ac refluentium mihi audire videbar. Iam fere vicies navim in flexivicem dari mandavi, quum, denique, horreo dicere, tremor, et concussio subitanea, pro ingenti nostro terrore, docuit nos in scopulos esse coniectos; ac tota eius noctis caligine ferre debebamus formidinem ac sollicitudinem, quæ ex interitu navium, nostrumque omnium, conscientiam nostram subire necesse erat.

Ventus primo auroræ rubore subsedit. Ultra venilias mare requievisse satis clare discernere poteram, nec a terra nos plus dimidio stadio abesse, perspicuum erat. Naufragos nos esse intelligebamus quidem, vitam tamen nobis servatam, nec in tanto, quantum terrore perculsi existimaveramus, discrimine nos deprehendimus. *Cabiri* quamvis in periculoso situ, tamen salva

erat, atque in littus subducta. *Dagon* tamen, ut erat satis manifestum, in peiori erat statu. Itaque omnes meos linquere naves, et in littus excedere iussi. Eorum complures perseverabant, nec se a me divelli siverunt. In horum numero erat Sammai, qui, nisi vi coactus, discedere omnino recusavit. Perinde Hamilcar, Hasdrubal, Gisco atque Himilco, tam tenaciter apud me perseverare licere postularunt, ut amplius ipsis reniti non possem. Meum nempe consilium erat usque eo in navi perdurare quippe quæ per tanta itinera fida vexisset, dum tabulæ sibi cohærerent.

Multo iam die turgidum mare sensim recedere, cærulumque cœlum, nubibus fissis, ac pedetentim dilabentibus, patescere cœpit. Haud procul a nobis viror littorum in conspectu erat, nostrosque ad oras aquæ stantes, signaque gestu edentes, ut forti essemus animo, conspiciebamus. Ex iis Bichri, atque Dionysus, non sine magná contentione virium, fluctus scopulosque superantes, nando ad nos pervenerunt, et in navim correpserunt.

Fluctu recedente, statui carinas navium accuratius perscrutari. Reperi *Astarten* non modo prope illæsam, sed etiam puppim inter duos scopulos tam arcte impressam in speciem cunei, ut ibidem tutissime teneretur, et etiam futurum arbitrabar, ut novo æstu ingruente, ipsa facile ab aquis sublevaretur. Pro mala fortuna, plane aliter res cum *Dagone* se habebat. Ipsa tantá vi erat cautibus illisa, ut quominus fatisceret, aut omnino in tabulas soluta dilaberetur fere nihil impedire poterat. Nullá itaque morá interpositá, eam exonerare cœpimus.

Nostri, in arido versantes, fontem invenerunt aquæ dulcis, et satis ramentorum ad accendendum ignem, cæterum locus etiam pro castello erat idoneus. Curam eius rei Hannibali commisi, qui locum protinus aggere et fossá munire cœpit. Utráque navi exoneratá, malum *Astartis* tolli, e materia autem *Dagonis*, item ex instructione, armamentis, atque æris tantum tolli iussi ac servari, quantum poteramus. Onere atque armamentis levata, accedentibus insuper agentioribus flabris, *Astarte* tertio die in altum elata erat, ingenti plausu nostrorum, et acclamatione.

Ac tum Himilco tam scite eam tractavit, ut sine magno labore in aridum a nostris subducta esset.

Hasdrubalem pro viribus solari conabar, sed ipse fata suæ ante oculos dilapsæ *Dagonis* multis lacrymis deflevit.

Aliquot dierum spatio nulla incolarum vestigia ob oculos venerunt, et iam de commeatu sollicitari cœperamus. Iam duas lintres parari iussi, quæ piscatum prodirent, quum e longinquo extremum cornu terræ circumnavigantem longum cercyrum conspicamur, versus locum, ubi nos siti eramus, contendentem. Navicula e corio consuto, formulæque ligneæ intento erat, eamque quatuor remiges seminudi agebant. Conspicati nos, primum dubitabant, sed a nobis per signa certiores facti amicos nos esse, nihilque adversi moliri, appulerunt, et in terram descenderunt. Gisco, qui eos partim e lineamentis oris, partim e communi aspectu Celtas esse agnoverat, propriá linguá affatus est eos, cui illi magná verborum copiá, multoque gestu in toto sermone, responderunt. Tanto gaudio omnes affecti erant, quum suá linguá nos ad se loqui audirent, ut etiam renitentibus nobis, nos deoscularentur, et etiam ob nidorem e rancido longorum capillorum unguento invitis nobis et reluctantibus, nos amplexabantur.

Gisco tunc certiores nos fecit, hos, quamvis linguá Celtarum meridionalium atque medianorum simillimá uterentur, reverá Cimbros esse, gentem affinem e Septemtrione, quæ insulam abs se Prydhayn vocatam, incolerent. Hi homines perquam inquieti, atque sciscitabundi, nos omnimodis quæstionibus impetiverunt. Staturá proceriori, vultu iucundo, colore punico et candido, oculis cæsiis, capillis autem coloris helvi ac triticei erant.

"Ephebi isti eximios præstarent milites," notat Hannibal; vel mille eorum in arte militari exercitare cuperem, et tunc Bodmilcari plus quam par essem."

Quum Bichri miraretur quod hi nullis arcubus sagittisque essent armati, Gisco eum docuit hos se haud raro ita armatos vidisse; verumtamen præcipua arma eorum hastas, asciculas cum spiculis acieque admodum acutis ac perquam affabre factis esse solere.

Interrogari eos curavi utrum ii antea notitiam Phœnicum

ullam habuissent. Responderunt suos affines, Cimbros Septemtrionales, de iis peregrinis, fusca facie, nigrisque crinibus, in hasce regiones miris mercimoniis magnisque navibus non raro ventare solitos memoriæ tradidisse, eos tamen sibi nunquam obviam factos fuisse.

Amicitiæ ergo plura munuscula eis dedi, atque Himilcone admodum invito, etiam aliquantum vini, quamquam iam fere penuriá eius laborabamus. Inde etiam, ad tempus dumtaxat, hilariores fieri cœperunt ac licet lautitia et vociferatio subinde in iurgia et altercationem inter se abiret, tamen erga nos civiles se præbuerunt, et quamvis non parum agrestes, tam humanos eos comperiebamur, ut nihil ab iis verendum iudicaremus. Discedentes a nobis polliciti sunt se cum omni tribu suá sub vesperum reversuros, ac pro munusculis merces quasdam allaturos. Eo tamen die nihil plus novi ab iis accepimus; sed postridie, quum magná virorum mulierum ac liberorum turbá comitante ad nos reverterent, intelleximus eos prorsus vacuos venisse. Hi in castra nostra magno tumultu irruentes, amplexibus nos obruebant, ac tot quæstionibus nos vexarunt, ut ipse ego confunderer. Inter cætera, operam suam ad disponendas in castris nostris res obtulerunt; quoquo tamen se verterunt, confusionem ingesserunt. Cæterum quæque viderant, summis laudibus extulerunt; erant tamen in cunctis rebus fidi ac probi, nec vel minimam rem surripere tentaverunt; verumtamen sua sciscitandi cupido, seque ingerendi libido, eos nobis molestissimos reddiderunt. Præsertim æquo Hannibalis animo ægerrimam labem intulerunt, eius loricam, galeamque contrectantes; quo magis eos reprimere tentabat, hi eo magis riserunt, eiusque iracundiá delectabantur. Chryseis quoque et Abigail gravi tantum conatu sese continere poterant, quominus hi, materiæ vestitûs earum examinandæ cupidi, eas exuerint. Iudex Gebal haud parum delectationis eis attulit, præsertim quum Bichri atque Dionysus simiolam, animal perquam ludibundum, ad sua ioca ludicraque edenda instigarunt. Aliqui nostrum dolebant tubam Ionæ, fontem tanti oblectamenti, amissam; attamen aliæ res satis suppetebant, quibus animi hospitum affatim perm[illegible] poterant.

In medio horum omnium cavendum iu[illegible] quo pacto

summa consiliorum, novæ terræ reperiendæ, atque cura commeatús comparandi mihi elaberetur. Quamobrem, magná curá et industriá ab his hominibus disquirendum statui de situ, deque regionum figura, tam suæ insulæ, quam continentis, quem modo reliqueramus. Reperi eos intellectu rationeque satis multum valere, itineribus longinquis non parum exercitatos esse, quum dissitissimas terras mariaque scaphis suis coriaceis pervagarentur. Ex sua notitia nos modo in summa, præcipuaque duodenûm insularum minorum versabamur; verum insula grandis, Prydhayn, tanta ab iis prædicabatur, ut minùs duorum mensium spatio ab iis adminiculo solitarum scapharum circumnavigaretur; unde æquum existimavi eam Tartessum magnitudine exæquare. Rogavi etiam meos hospites, ut quidquid commeatús sibi ad manus ad vendendum præsto esset, id ad me deferre non gravarentur. Itaque nunquam imposterum ad nos venerunt, quin copiam cervinæ ac piscium afferrent. E quibus quum palam esset eos agricolatum non exercere, frumentum oleraque ab iis nunquam petivi. Postea tamen, quum satis exigua copia hordei, alteriusque generis grani e Prydhayn allata fuisset, coniectare poteram aliquas illic tribus initia culturæ agrorum tentare cœpisse.

Non parum demirabar Cimbrorum morem, quod in collo tot præbia gestarent, et quod metalla, e quibus plurima eorum facta erant, præter morem essent albida; unde admodum cupidus sciendi fiebam, quonam in loco id metallum comparari posset. Etiam magis mirabar, quum hi me certiorem fecissent, in hac ipsa insula, in qua castra nostra posita essent, copiam eius magnam inveniri. Hoc quidem summo gaudio audivi. Quamobrem, nullá interpositá morá, scrutari cœpi, si quam venam reperire possem. Accitis itaque aliquot meorum, statim indagare cœpimus, nec sine fructu; nam brevi in venam incidi, et reperi totam adeo insulam vix aliud, quam fodinam plumbi albi esse.

Nova itaque cogitatio, atque adeo propositum, incidit, quod omnino exsequendum statui. Ex materia, partim híc, partim in contigua insula, siqua ibi procurari possit, statui in locum *Dagonis* dilapsæ novum navigium fabricari; ac dum id opus fieret, tantam molem eius metalli comparare, ut integrum onus unius

navis efficeret, cuius simile tota Phœnice antehac nunquam conspexisset. Nemo unus nostrum erat, quin consilium meum ratum ac probatum habuisset.

In gratiam pro meris nugis, quibus eorum animos conciliaveram, veluti quædam fragmenta cupri e laminis *Dagonis*, incolæ libenter indulserunt ut e suis fodinis metalla erueremus, item quoslibet tractus terræ suæ insulæ nobis ad possidendum concesserunt usque eo dum nobis ita placuisset; quin et cupere videbantur ut apud se stabiles figeremus sedes; atque hoc proposito omnem suam operam atque succursum obtulerunt quocumque modo voluissemus, nec ex eo tempore castra nostra ullo genere commeatûs caruerunt, quoniam magnam vim eduliorum e sua piscatione ac venatione eo comportarunt, munuscula autem, quæ nos illis dederamus, omni tempore in magno pretio apud se habebantur. Loquaces, sciscitatores ac mobiles animo ut fuerint, tamen asserere non dubito, quin hi omnium quos nobis convenire contigit barbarorum longe humanissimi censendi sint.

Quæ ad exsequenda consilia nostra usui erant, cito administravimus. Hamilcar cum Bichri, et viginti sagittariis, navi nostrâ *Cabiris* ad explorandas insulas atque Prydhayn profecti sunt; Hasdrubal et Gisco munus obibant opus fodinarium curandi; ego cum Himilcone in castris mansi, ut opus administrarem novæ navis parandæ; ac, præ cæteris aliis rebus, ut securitati meorum providerem, utpote cœlum hoc asperum ac frigidum loco tentoriorum magis stabilia postulabat tuguria. Quod Hannibali atque Sammai nullum fere negotium obveniebat, tempus suum plerumque venando ac piscando exigere consueverunt, partim vero diverticulis in societate incolarum, quos in artibus militaribus exercere cœperunt, quibus aptiores magisque dociles tyrones habuerunt nunquam.

Quodam die Hannibal atque Sammai mentis atque genis ad cutim strictim tonsis inter nos comparuerunt, nec ullam barbam in vultu relictam habebant, præter mystaces in superioribus labiis; tam enim arctam cum barbaris iniverant victûs consuetudinem, ut tandem eorum mores imitarentur.

"Ehem, præclaram vos formam induistis," cum leni risu



eos alloquor, "quin et iuvabit vos vultus fucare præstantiores Cimbri fietis."

Hannibal satis speciosis argumentis tentabat mutatum morem probare, et æquum esse conabatur ostendere, decere morem sequi gentis, cuius in medio quis versetur; et, quoniam ipse inter bellatores bellator sit, convenire ut eorum mores sequatur.

"Abigail autem," inquit Sammai, "putat mutatum morem mihi perquam convenire."

Quando istud argumentum refelli non posset, nihil amplius habui dicere.

Dies, septimanæ, menses elabebantur, dum nos arduis tædiosisque laboribus solerter vacabamus.

Ex itinere explorandi redux Hamilcar retulit se non modo navigationem secundum littora Occidua insulæ magnæ perfecisse, verum etiam ulterius ad Occasum, aliquanto minorem reperisse insulam, quam penitus circumnavigasset; incolas eius *Erin*, sive "insulam viridem" a suo eximio virore vocare, et id ei usque nomen esse.

Advenit interea hyems, frigida et aspera. Par non sum describendo terrorem eorum e nostratibus, qui nunquam antea gelu nivemque conspexerant; nihil nisi necessitudo immitis eos adigere poterat ut e tuguriis vel pedem efferrent. Simiola misella perquam male se habebat. Bichri atque Dionysus soli erant quos intemperies nullo pacto afficere poterat. Hi nunquam non se paratos præbuerunt ad se cum iuventute Cimbrica glebas niveas iactando, in glacie dilapsando divertendum, quibus exercitationibus vultus omnium salubri rubore suffundi solebant.

Instituente Bichri, parvulus Phocæus eximiá sollertiá usum tam fundæ quam arcûs didicit; quocirca, imposterum cordi eius esse cœpit ut e venationibus suis semper quoddam trophæum virtutis peritiæque reportaret.

Maximá omnium mœstitiá afficiebatur Himilco, fortis ille gubernator, non quod ipse nebulas geluque cæteris plus vereretur, sed quod copia vini in diem decresceret.

"Ohe, me miserum!" suspirabat, quoties utrem exinanire cerneret;. "uno minus iterum! nihil habebimus, quo ver adven-

turum consalutemus, nisi aquam. Revera, tempus iam esse arbitror ut in Phœnicen revertamur; vineas Beryticas in declivibus collium spectare certe iuvaret multum."

His in auguriis socius et adstipulatorem strenuum sibi habebat Hannibalem, qui, quamquam dicere non ausim, vel unum inter nos fuisse, qui omne vinum nostrum exhaustum esse gauderet, solus fuit qui dolorem siticulosi gubernatoris palam probare non dubitaret.

Tandem aliquando dies augeri et clarescere, atque mare, fere per totum hoc tempus turbulentum ac tempestuosum, considere, tranquilliusque fieri cœpit. Navis, denique, absoluta fuit. Submisimus eam festo nostræ navigationis patefactæ; ac non solum Cimbri nobis auxilio advenerunt, verum etiam sacerdotes eorum, positis vestibus, corpora sua cæruleo nigroque tinxerunt Vesperi epulas instruximus e piscibus, e cervina, hordeo, varisque regionis esculentis. Tum etiam ultimum utrem vini exhausimus et exsiccavimus.

"Pro felici nostro reditu propinemus!" precatur Himilco.

"Æquo maturius eam rem agitas!" monui ego; "peregrinatio nostra a termino suo multum abest."

Omnes attoniti oculos in me converterunt. Ne uni quidem eorum vel cogitatio incidit nos usquam alias quam Sidonem iam iter parare. Sammai interrogabat a me, utrum plus delitiarum e "pulmonibus maris" accepturi essemus.

"Per me licebit ut domum eas," respondi illi; "navis ista iam parata est, mihi autem utique in animo est eam cum onere domum mittere, nec ex mea parte quidquam obstabit quominus tot vestrum, quot frigora nebulasque amplius tolerare noluerint, domum cum ea revertantur, ut vos id iam antea monueram."

Sammai in pedes consiluit, obtestatusque sic respondit:

"Navarche mi, certe tu non existimabis me id serio dixisse; nec tibi persuadebis me abs te divelli optare. Equidem fateor frigidum et inclemens cœlum istud mihi displicere; verum te certum esse volo me tibi comitem futurum quo demum cunque te divertas."

Porrectá manu, certiorem eum feci me suæ constantiæ

summam habere fidem; tum consilia ei aperui, quæ me permovissent ut peregrinationem meam ad ulteriores fines protenderem. Præterea, exhibui illis quamdam materiam pellucidam ac flavidam, quæ speciem quarumdam nostrarum gemmarum præ se ferret. Celta, qui eam mihi donaverat, succinum eam vocavit, asseruitque navigationem tricenûm dierum Ortum versus, ad littora nos delaturam magni continentis, ubi abundantissima eius rei copia ab aquis in littora everreretur. Nihil dubitandum esse docui, quin ea res donum Astartes esset.

"Cæterum," subiunxi, "quis dixerit, utrum oceanus, qui ad Fretum Gaditanum Mari Magno iungitur, non ei alicubi in Oriente iterum iungatur? Hactenus de oris Septemtrionalibus Hellesponti nihil habemus comperti, et quis augurabitur utrum Sidonem per Cariam atque Chittim attingere non possimus?"

Nomina hæc nostris notissima novam audendi fortitudinem adiecit, ita ut omnes ad unum comitandum me ad oras succiniferas paratissimos se præberent.

"Ita, profecto!" addit Himilco, "etiamsi vinum omne ad guttam exhaustum sit."

Novum navigium, quod *Adonibal* nominabamus, a nomine Præfecti Navalium Uticensis, probe oneratum erat plumbo albo, et, ut cæteræ naves, satis magna copia aquæ potabilis carnis salsæ ac siccatæ, frumenti atque fructuum huius regionis pro commeatu instruebatur.

Postquam Cimbris nostris, qui tot tantisque beneficiis nos cumulaverant, ex corde valedixissemus, mari nos commisimus. Aliqui incolarum insulæ comites sese nobis in suis cymbis præbuerunt, quos tamen nos celeritate facile superavimus, et ut ad extremam lingulam Prydhayn iter flexissemus, ii e conspectu evanuerunt.

Senum dierum aspera navigatio ad Orientalem eius insulæ oram nos detulit; illinc rectâ ad Orientem contendentes, ad oras devexas planasque accessimus, secundum quas cautissime progrediebamur. Integram septimanam hac viâ exegimus, quâ finitâ, ostia æstuarii cuiusdam latissima attigimus, in ripa adversa cuius littora iterum ad Septemtriones vergere cœperunt [illegible]ti sævierint, mareque æstuosissimum nos iactaverit



quinis ulterioribus diebus iter prosequendum statui, si forte viam ad Orientem reperirem, caute ac diligenter oras scrutatus, nullum cum incolis commercium suscipiendo, quamvis ignes ex interiori insula satis superque demonstrassent incolis eam non carere. Tamen, denique, quum et commeatus deficeret, et asperitas cœli, itinerisque nos urgeret, omnem spem transitûs reperiendi, etiamsi exsisteret, quod tamen mihi nunc minus verosimile videri cœpit, omnino mittendam duxi; itaque iter retrorsum flectendum censui, quum quatuor maiores cymbæ Cimbriorum nobis obviam factæ sunt, e continente revertentes, quo succinum collectum ivissent. Hi certiores nos fecerunt nos quamcunque eius rei copiam in oris Orientalibus colligere posse. Iam hoc iter parabam sine mora aggredi, quum densissima nebula descendere, nosque obruere cœpit, ita quidem, ut cuncta extemplo missa facere, anchorasque in eo ipso loco iacere coacti essemus. Hoc facto, scaphas solvi, et exploratores ad littus mittendos statui. Difficillimum his erat negotium littus adeundi, sed etiam difficilius ad navem redeundi, licet plures tædas lampadesque pro signaculis accendi iusserim.

Nebulá paulatim recedente, iter caute recepimus, atque eò quod nobis terra esse videbatur, ire contendimus. Hæc erat patria succini.

"Quoniam in mari reperiendum nihil est," alloquor meos, "descendendum nobis erit."

At descensus factu facilis non erat. Etenim ignari penetravimus in quendam locum, qui æstuarium alicuius fluminis esse videbatur, ac, revera, in palude versabamur, nec profecto discernere valebamus, ubi aquæ turbidæ ac lutulentæ finem, aut cœnosa ripa initium caperent: et in caliginosa tempestate cœlum, aqua, terra unum esse parebant. Tandem post trium aut quatuor horarum laborem *Astarten* feliciter in rivulum quemdam deduximus, cæteras vero naves in locum deveximus, qui simillimus terræ iudicari poterat, tumulum nempe sabulonis. Reliquum diem fossam circum naves ducendo exegimus, ac nobis quoddam genus castrorum parando; interea nebula æque densa descendere, nobisque solem eripere cœpit. Diem caliginosum nox etiam multo densiori nebulá caliginosior excepit.

Bichri, qui cum vicenis suorum frumentatum prodiverat, brevi, frigore tremens rediit, et secum quædam ramenta attulit, humida quidem, sed ita resinosa, ut facile ignem conciperent, optimeque arderent. Rogos itaque plures accendimus, et, licet gravem ederent fumum, id tamen minus curantes, circum torres reclinati, et conquiniscentes, satis hilari animo cœnam paravimus.

Silentium mœstum Sammai, lacerná sibi arctius obvolutá, fregit his verbis:

"Regio horrida, ac prorsus exsecranda!" inquit, "essene potest ulla gens tam ignara, tamque sui impos, quæ in his desertis, omnium rerum orbis ac destitutis vitam degere velit? Monstrorum patria hæc est, non hominum."

"Seni tamen Ionæ," insimulat Hannibal cum suspirio, "apprime conveniret; multum etiam prodesset si Hanno cum suis lepidis sermonibus hicce interesset, nobisque animos refocillaret."

"Ego quidem non existimo eorum gratia nos sollicitari oportere," interloquor ego, "quin etiam confido eos iam dudum evasisse, atque in apricis Sidonis viis spatiari, aut vero in celsis Libani iugis curis solutos versari."

"Sic et ego opinor," assentitur Himilco, "nec dubium est quin generosissimis vinis abundent; vinis, inquam, nectari simillimis ex Helbon, Byblo ac Sarepta."

"Iam satis eius rei! satius tacebis," reprehendit eum Hannibal, "ne me tui similem, bibulum ac potonem, feceris."

"Mene potonem vocitas?" interpellat Himilco, poculum aquæ cœnosæ sublevans, "numquid existimas quemquam ex hac sentina crapulam concipere posse?"

Nebula humida interea magis magisque defrigescere cœpit, et quisque nostrum torpore fere rigebat. Gebal laneis tegetibus involvebatur, quos Bichri pro ea comparavit, et gestus more suo mimicos edere iam dudum desiit, tantopere erat frigore confecta. Nos vero quam poteramus proxime titionibus obvoluti et humi iacentes, sopori haud recreanti nos tradidimus.

Mane rediit æque cinereum ac pridie, nec vel singulum iubar solis e nubilo emicuit. Sammai irá æstuans clamat:

quinis ulterioribus diebus iter prosequendum statui, si forte viam ad Orientem reperirem, caute ac diligenter oras scrutatus, nullum cum incolis commercium suscipiendo, quamvis ignes ex interiori insula satis superque demonstrassent incolis eam non carere. Tamen, denique, quum et commeatus deficeret, et asperitas cœli, itinerisque nos urgeret, omnem spem transitûs reperiendi, etiamsi exsisteret, quod tamen mihi nunc minus verosimile videri cœpit, omnino mittendam duxi; itaque iter retrorsum flectendum censui, quum quatuor maiores cymbæ Cimbriorum nobis obviam factæ sunt, e continente revertentes, quo succinum collectum ivissent. Hi certiores nos fecerunt nos quamcunque eius rei copiam in oris Orientalibus colligere posse. Iam hoc iter parabam sine mora aggredi, quum densissima nebula descendere, nosque obruere cœpit, ita quidem, ut cuncta extemplo missa facere, anchorasque in eo ipso loco iacere coacti essemus. Hoc facto, scaphas solvi, et exploratores ad littus mittendos statui. Difficillimum his erat negotium littus adeundi, sed etiam difficilius ad navem redeundi, licet plures tædas lampadesque pro signaculis accendi iusserim.

Nebulá paulatim recedente, iter caute recepimus, atque eò quod nobis terra esse videbatur, ire contendimus. Hæc erat patria succini.

"Quoniam in mari reperiendum nihil est," alloquor meos, "descendendum nobis erit."

At descensus factu facilis non erat. Etenim ignari penetravimus in quendam locum, qui æstuarium alicuius fluminis esse videbatur, ac, revera, in palude versabamur, nec profecto discernere valebamus, ubi aquæ turbidæ ac lutulentæ finem, aut cœnosa ripa initium caperent: et in caliginosa tempestate cœlum, aqua, terra unum esse parebant. Tandem post trium aut quatuor horarum laborem *Astarten* feliciter in rivulum quemdam deduximus, cæteras vero naves in locum deveximus, qui simillimus terræ iudicari poterat, tumulum nempe sabulonis. Reliquum diem fossam circum naves ducendo exegimus, ac nobis quoddam genus castrorum parando; interea nebula æque densa descendere, nobisque solem eripere cœpit. Diem caliginosum nox etiam multo densiori nebulá caliginosior excepit.

Bichri, qui cum vicenis suorum frumentatum prodiverat, brevi, frigore tremens rediit, et secum quædam ramenta attulit, humida quidem, sed ita resinosa, ut facile ignem conciperent, optimeque arderent. Rogos itaque plures accendimus, et, licet gravem ederent fumum, id tamen minus curantes, circum torres reclinati, et conquiniscentes, satis hilari animo cœnam paravimus.

Silentium mœstum Sammai, lacerná sibi arctius obvolutá, fregit his verbis:

"Regio horrida, ac prorsus exsecranda!" inquit, "essene potest ulla gens tam ignara, tamque sui impos, quæ in his desertis, omnium rerum orbis ac destitutis vitam degere velit? Monstrorum patria hæc est, non hominum."

"Seni tamen Ionæ," insimulat Hannibal cum suspirio, "apprime conveniret; multum etiam prodesset si Hanno cum suis lepidis sermonibus hicce interesset, nobisque animos refocillaret."

"Ego quidem non existimo eorum gratia nos sollicitari oportere," interloquor ego, "quin etiam confido eos iam dudum evasisse, atque in apricis Sidonis viis spatiari, aut vero in celsis Libani iugis curis solutos versari."

"Sic et ego opinor," assentitur Himilco, "nec dubium est quin generosissimis vinis abundent; vinis, inquam, nectari simillimis ex Helbon, Byblo ac Sarepta."

"Iam satis eius rei! satius tacebis," reprehendit eum Hannibal, "ne me tui similem, bibulum ac potonem, feceris."

"Mene potonem vocitas?" interpellat Himilco, poculum aquæ cœnosæ sublevans, "numquid existimas quemquam ex hac sentina crapulam concipere posse?"

Nebula humida interea magis magisque defrigescere cœpit, et quisque nostrum torpore fere rigebat. Gebal laneis tegetibus involvebatur, quos Bichri pro ea comparavit, et gestus more suo mimicos edere iam dudum desiit, tantopere erat frigore confecta. Nos vero quam poteramus proxime titionibus obvoluti et humi iacentes, sopori haud recreanti nos tradidimus.

Mane rediit æque cinereum ac pridie, nec vel singulum iubar solis e nubilo emicuit. Sammai irá æstuans clamat:

"Mihi quidem sol videtur Tartareis his regionibus nunquam oriri."

"Tamen," explicat Gisco, "sol híc quoque, nec raro, splendet; sed, ut videtur, res terrestres adeo turpes et horridas cernit, ut iterum ad Mare Magnum suamque charam Phœnicen reverti malit."

Aminocles autem, suá phantasiá iterum abreptus, certum esse existimabat nos in Orcum aberrasse, enixeque a nobis flagitare cœpit, ut Sacra Diis Inferorum propitiatoria faceremus. Terrorem suum nos utique risu conabamur discutere; negari tamen, profecto, non potest cœlum tam inclemens et asperum homines atrá bili suffundere, ac melancholicos necessario facere.

Ex nostra re esse monui socios ut, siqui sint huius regionis incolæ, eorum consuetudinem atque amicitiam conciliare tentemus. Quamobrem, sumpto ientaculo, iter ad explorandum flumen paravimus. Bichri, suorumque viceni, præcesserunt. Ego cum Hannibale, et cum agmine præcipuo subsecutus sum; novissimum autem agmen circiter triginta armatorum, Hamilcare duce, nos subsidio sequebatur. Hasdrubal cum quinquaginta armatis præsidio navium, cæterorumque in tutelam erat relictus. Iter ingressurus Bichri memorabat Ionam, quamque iuvaret, si ipse tubá incolas suscitaret, et huc allectaret. At ego monendum eum duxi nihil attinere in hoc rerum statu res vanas dolere et commemorare.

Postquam ingenti labore paludes uvidaque invia eluctati sumus, nec usque sciebamus utrum in lacunis, an in terra firma versaremur, ad arboretum abietum pervenimus, varia genera arborum conspeximus, quæ nobis proceritate, raris frondibus, foliorumque canitie prorsus erant insueta. Solum ubique uvidum erat, passim et palustre. Hactenus quidem nemo mortalium nobis obviam est factus; vestigia tamen minime desiderabantur quibus iudicari poterat solum híc loci pedibus humanis nequequam fuisse inculcatum. Inter eundum rudera tuguriorum etiam quater præterivimus, quæ ex arundinibus erant pacta, circa ea cumulos cinerum, plurimas testas, item multa ossa, quæ dentibus rosa et adusta fuisse satis constabat, invenimus.

Tamen, etiamsi homines abfuerint, animalia satis erant frequentia. Vestigia minime rara deprehendimus ungularum fissarum, quæ subinde parvæ erant, alias permagnæ, unde facile poteramus colligere nos modo penetrare latibula buculorum et cervorum, quos, ut vestigia prodiderunt, ingentis oportebat esse magnitudinis.

Plagam unam secutus, Bichri referebat per longam semitam in sylva ramos utrimque fractos cornibus animalis conspicua altitudine a terra, quod animal oportebat aliquot palmis equum altitudine excessisse. In castra redeuntibus nobis duæ damæ minoris speciei obviam factæ sunt. Has Gisco agnovit esse eiusdam generis, quod ipse in terris Celtarum vidisset, et quas hi *rennas*, sive tarandos appellant. Damæ simul ac nos conspicatæ erant, sese fugæ mandarunt, unde mihi certum videbatur incolas hîc eas venari solere. Attamen Bichri et Dionysus levi molimine effecerunt ut illis intra sagittæ iactum occurrerent, et utramque prosternerent; quod quidem nobis gratissimum fuit, iam enim carne recenti pridem carebamus. Tarandi hi magnitudine asellum æquabant, cruribus gracillimis, ungulis grandibus, pilisque tegebantur cineraceis densissimis, in pectore maculam albam gerentes, in capite autem patula cornua.

Postero die Hamilcarem cum duabus scaphis ad explorandas ripas fluminis misi, cæteros vero meos, fere omnes, cum triginta sagittariis ad me accivi, itinerique me commisi, ut regiones circa accuratius explorarem. Grex taurorum sylvestrium se nobis iter facientibus obtulit. Nos quidem extemplo impetum in eos tentavimus, at totum armentum tanto furore nobis irruit, ut salutem in fuga arborumque tutela quærere cogeremur. Misellus quidam nautarum nostrorum, qui assultum taurorum effugere non poterat, ab iis obtritus erat, alter vero cornibus correptus et in sublime excussus ita in terram recidit, ut spina dorsi eius frangeretur. Buculorum tamen tres sunt cæsi quorum dorsa excoriata et in partes carpta, nobisque in castra retulimus prædam, et laborum præmium.

Retro ad castra tendentibus ingens cervus nobis occurrit, quem Sammai celeri manu, sub scapula vulneratum, occidit. Cervus hic fuit cuiusdam generis, quod apud Celtas, referente

Giscone, raro videtur, et quod nomine *elenn,* sive *eland,* vocatur. Hi *elenni* non parum grandiores sunt equis, solentque foliis ac frondibus inferioribus arborum vesci, quod tam curtis sint collis, tamque rigidis, ut nisi fere genuum tenus solo molli sese demittant, capita ad herbas carpendas satis declinare non possint. Cornua quidem sua non sunt tam celsa et erecta quam utrimque varia ac pansa, suntque magni roboris tam cornibus quam reliquo corpore; nec ut cæteri cervi cum terrore conentur suos persecutores effugere, se venatoribus ultro in pugnam sese offerunt. Hæ igitur eiusmodi belluæ sunt ut cum iis comminus congredi consultum non sit, ut modo propriá experientiá eramus docti.

Hamilcar interea cum satis magna copia succini, quam in littore collegerat, ad nos rediit.

His in castris nostris iam quindenos dies exegimus, quod tempus colligendo succino explevimus, atque vitam tarandos, elennos, tauros sylvestres, omnigenasque feras, quas fors nobis obiecerat, venando sustinuimus.

Misellum denique nautam, qui venando succubuerat, eodem loco sepelivimus. Sepulcro eius lapidem advolvimus, nomine nautæ invocationeque Deorum ei inscriptis.



CAPUT XVII

Iono, Deus Fennorum.

Post sedecim dierum his in regionibus moram, quum et succinum rarius reperiri, et feras in diem magis recedere sentirem, statui solvere, et quinos dies Ortum versus navigare. Exactá itaque quinûm dierum peregrinatione, quum et commeatui ulterius consulere vellem, et regionem accuratius explorandam esse censerem, ostia eiusdem fluminis petivi, quod iam antea ingressi eramus. Aspectus huius regionis vix hospitalior nobis parebat quam ea, unde modo discesseramus; nihilo tamen secius naves subduximus, ac proxime quam poteramus, castrametati sumus.

Postridie exploratum descendentes, haud procul digrediebamur, antequam humani commercii indubitata vestigia recentiora sub oculos nobis venissent. Minimum dena hîc offenderamus tuguria coni in speciem facta, quæ omnia vacua intravimus, et horum in uno focus usque ardebat, in pluribus autem aliis arma, apparatus ac supellectilem invenimus, uti hastas, iacula cum spiculis e politissimis lapidibus, asciculas, lebetesque. His rebus accuratius perscrutatis visum nobis est ista tuguria subito deserta esse; quandoquidem non modo frusta carnis semesa, atque pisces repereramus, verum etiam stramenta cubatoria ex arundine facta, muscoque constrata, ab corporibus cubantium usque calebant. Hinc mihi persuadere cœpi incolas, a nobis adventantibus perterritos, tuguria sua deseruisse. Suspicatus tamen profugos adhuc in viciniis latere, misi qui e navi

pannos rubros, ocellos vitreos, armillas, variaque præbia afferret, quæ res eorum admirationem capere, ipsosque conciliare possent, et hæc in spatiosissimo tugurio in conspectum exponi iussi. Simul etiam nostros circiter tercentos passus ab eo loco amandavi, speculaturus quidnam eventurum esset.

Barbari brevi reverterunt, et nos haud procul otiose stantes conspicati, quum nos nihil adversi moliri viderent, minime verebantur a nobis spectari, et etiam propius ad nos accesserunt. Accito Giscone, eos conventum procedo; sed quum hic eos Celtice alloqueretur, comperi eos ne verbum quidem intelligere, responsumque tulimus linguá, nobis antea inauditá. Manu interim paludem propinquam indicantes clamaverunt: "Suom, Suom;" tum vero propriis attrectatis pectoribus dixerunt; "Suomi,[1] Suomi;" unde ego coniectavi eos dicere velle, paludes suá linguá *suom*, se autem *Suomi*, sive gentem palustrem appellari. Tum telis suis lapideis exhibitis, manu Orientem Septemtrionalem hoc verbo indicarunt: "Gothi;" et, quod etiam magis mirabar, eodem verbo alias quoque res ex ære Tibareno nobis exhibitas significarunt. Equidem antehac gentem eius nominis ne fando quidem unquam memorari audivi, nec quidquam coniectare mihi posse videbar, nisi quod verbo *Gothi*, fortasse Caucasios significare eos voluisse.

Equidem in vita mea barbaros plurimos conspexi, sed qui his turpitudine æquales essent, vidi nunquam. Capita illis erant ingentia, vultus in planum pressi, oculi exigui, ora immania, facie discolori, et universim exemplari fuerunt teterrimæ turpitudinis. His accesserunt curta exiliaque crura, quæ vastum et informe corpus sustinendo vix paria videbantur. Interim nobis explicuerunt suos amicos *Gothos*, tam se, quam nobis staturá proceriores esse.

Præter vultús lineamentorum turpitudinem etiam habitu sordidi erant. Hos enim nullis præbiis, ut plerosque barbaros quos conveneram, ornatos vidi, suaque corpora paucis pellium centonibus tuebantur, et sua tela plerumque constabant e fus-

1. Vulgo *FENNI*, gens ad Mare Balticum; n. 60.

stibus, minus affabre factis, spiculis siliceis, atque genere harpaginis, cum ossea cuspide. Unus tantum eorum gerebat monile, e conchulis, crudisque succinis. Is princeps eorum esse videbatur. In pignus suæ in nos voluntatis, ipse in cornu tauri potum quemdam flavidum mihi obtulit. Ego iam manum porrexeram ut cornu ad labia levarem, quum Himilco, ad potandum semper paratus, ad sua labia admovit; simul tamen atque gustavit potum, cornu in terram abiecit, ac sputare, omniaque nauseæ ac detestationis indicia edere cœpit.

"Va! rem tæterrimam!" clamat ille primum quam loquela illi rediit, "nihil prorsus aliud ista Tartarorum colluvies est nisi oleum piscinum; apage sis!"

Omnes in cachinnum sumus soluti; at princeps, oblatum suæ in nos voluntatis amicitiæque testimonium sic a nobis sperni ac vilipendi ratus, animo offensus, et iniuriam succensens, infenso animo cum suis recessit, et in sylvam se contulit, meis conciliandi et placandi conatibus minime motus.

Himilconem misellum, quum culpam suam iniuriæ immerito illatæ perspexisset vehementer pœnituit.

"Quam, Pol, malesanum me præstiti!" ait ille dolens, "certe e proxima quercu me pendi æquum existimarem. At quí poteram, obsecro, divinare potum tam delectabilem aspectu nihil nisi fœtidum esse oleum?"

"Eia, Himilco," inquam, solari eum conatus, "perperam factum a te condono tibi; alias tamen vide ut consultius facias. Equidem nihil dubito futurum, quin brevi alia nobis occasio detur istam contumeliam barbaris indigne illatam humanitate compensandi."

Sursum ripam fluminis itantibus nobis plures turbæ istius gentis obviam factæ erant, quæ omnes magnopere gesticulabantur. Homines isti, quæcunque munuscula iis offerebantur a nobis, ea summá aviditate captabant; primum tamen quam negotia cum iis factitare tentabamus sese e medio continuo eripuerunt.

Erat in recessu sylvæ locus, arboribus vacuus, quo viso suspicari cœpimus frequentiori coloniæ nos imminere. Nec frustra. Siquidem haud procul a nobis aquam diffusiorem conspica-



bamur, cuius in medio tuguria conica conferctissima videbantur, inter quæ unum in media parte proceritate erat conspicuum. Hæc nempe in insula erant collocata, quæ aggere cum continente iungebatur, hunc tamen nobis transgredi, ut ab incolis interpretatum acceptimus, fas non fuit, negotia tamen nobiscum agere non aspernabantur. Aliquantum succini satis vili nobis vendiderunt, quod ipsi eam rem non magni fecerunt; sed de telis suis plane diverse iudicarunt. Nullá enim merce in nostra potestate ullum eorum inducere poteramus, ut vel maxime inconcinno telo vel minimo ossiculo unco nos quocumque demum modo potiremur. Varias res suas e polito lapide fabricatas nobis libenter ostentarunt, cupidissimi etiam erant alia eius generis comparare, nec parum mirabantur quum intelligerent nos nulla horum venum habere. Æra iam antea viderunt, nec usus arcuum sagittarumque eis ignotus erat; quocirca digitis volucres in ramis sedentes indicarunt eo nimirum proposito, ut Bichri, unam alteramve sagittá feriret, quod Bichri, veluti gratum munus, minime abnuendum putavit.

Ratum quum non ducerem totam noctem eo in loco exigere, receptui signum dedi; aliqui tamen Suomi facultatem nos comitandi facile a me impetrarunt; sed tanta erat caligo, viæ autem adeo lutulantæ ac prorsus nullæ, ut in lacunis scrobibusque plane in devia errassemus. Prope ad diluculum usque errabamus, donec seni nostrum: ego, Hannibal, Sammai, Himilco, Bichri, atque nautarum unus, in paludem, ad cingulum usque delati essemus. Postquam inde eluctati eramus, reperimus nostros socios adeo a nobis secessisse, ut eos nec videre possemus, nec maximis quem edere poteramus clamoribus assequi. Hic rerum status, quamquam per se tæterrimus, finis necdum erat, alia adhuc incommoda nobis impendebant. Namque, dum nos indicia viarum quæritamus, quæ nos ad nostros reducerent, fere duceni barbarorum nobis superveniunt, omnes armati. Obsistere iis, etiamsi facultas data esset, frustra tentassemus. Quasi magicá quadam arte acti, e virgultis atque dumetis omnes barbari coorti nos undique circumfluunt, et, antequam gladios nostros contrectare potuissemus, nos obruunt et opprimunt, nobisque in terram prostratis manus pedesque in terram figunt,

interea continuo subsultantes, ingentes cient clamores. Hi nobis in pedes consurgendi nullam potestatem fecerunt, sed humi stratos tenuerunt. Duo ex iis brachia, alii duo pedes apprehenderunt, quintus gladium, galeam loricamque ex humeris eripuit, me saltando iterum iterumque circuibat, ac subinde ad caput subsistens mihi in vultum contuebatur. Barbari hi mihi quidem pro eiusmodi facinore se præparavisse videbantur; nam capilli eorum rubro erant tincti, facies autem pigmento bellico, cærulo ac nigro erant dispunctæ.

Denique, circiter post horæ spatium per aggerem transducti eramus, unde nos pridie prohibuerant; quo quum pervenissemus, partim tracti, partim trusi, in unum gurgustiorum coniecti sumus. Turpes mulieres, et etiam turpiores proles earum, in catervis nos sequebantur usque ad metam, ubi matta scirpea pro ianua pendebat, nos autem ibidem in uvido solo ac frigido, despoliati, tusi ac vincti in caligine relicti eramus. Mox post audivimus sonum gressuum discedentium, postea autem omnis clamor ac sonitus sensim evanuit, atque silentium profundissimum cuncta occupavit.

Si funibus essemus vincti, ligamina falli potuissent; at nunc vincula e libris arborum succidis torta erant, quæ membra nostra scariphabant, quoties nos movimus. Sammai præsertim præ dolore gemebat, non sine maledictis.

"Quisnam gemit?" quærit Hannibal, cuius vocem in tenebris agnovimus.

"A, ego tento ista Tartarea vincula explicare et exuere," respondit Sammai.

"Incassum!" interloquitur Himilco, "vel ipsam stupam posses rumpere tentare;" tum recordatus nec me nec Bichri ullam vocem hactenus edidisse, percontabatur utrum et nos adessemus.

Bichri dedit responsum:

"Ambo híc sumus; et ego plurimum opto ut Iudex Gebal interesset; iste nos e muscipula hac certe cito eriperet."

"Quonam ea pertinent?" quæro ego. "Non Hercle capio quid simia prodesse posset. Quoquo modo tamen res se habeat,

nostrum erit ex hoc loco eluctari, quod quomodo fiat, non facile perspicio."

"Nisi Hamilcar et Hasdrubal ad liberandum nos venerint, omnium bipedum maxime ignavos eos existimabo," inquit Hannibal.

"A, ne præceps iudicaveris," moneo eum, "ego quidem minime dubito, quin ipsi nihil quidquam intentatum relinquant; at mihi quidem admodum credibile videtur eos quoque in barbaros incidisse, et commune nobiscum fatum incurrisse. Præterea nec facile perspicio quemadmodum viam in hanc insulam ducentem transire per vim possint."

"Nulla in ea re difficultas," fatur dux noster, pergitque explicare molimen: quemadmodum disponendi sagittarii a dextro et a "lævo, quadripartita acie militum in medio, dandum tubá signum atque — —"

Subito conticescit, clangor tubæ in aures incidit.

"Ecce, veniunt! ecce, veniunt!" inclamat Sammai, animo concitatus, "Dominus exercituum iis adsit!"

Alius clangor.

Hannibal scite prosequitur doctrinam de acie quaternaria et octonaria, de fato suo conquestus, quod non ipse agmini præesse possit; Bichri etiam magis impatiens, quod non ipse copiis suis præsit.

Interea cantus tubæ clarior ac distinctior fieri cœpit.

"Equidem sonitum tubæ non satis clare percipio," inquit Himilco, "nostro mihi dissimilis esse videtur."

"Cuiusnam id existimas esse?" quærit Hannibal iratus, "certe barbari tubis non canunt."

Gubernator asseverabat sonum tubæ nequaquam ex adversa ripa, sed e medio venire tuguriorum.

"Et tamen," addit ille, "si id impetum præsagit, mirum videtur quod nullum clamorem bellicum exaudimus."

Omnes nos interea stupebamus, nec minus quum ternæ acclamationes aera verberabant, sonitus autem tubæ, qui intervallis quadrantis horæ a udiebatur, denique ingenti coronide conticuit.

"Præter unum par pulmonum, quod tam clarum edendo sonum par esset, scio nullum," inquit Himilco.

Nomen Ionæ memoriam labiaque singulorum nostrum sponte suá subiit; Bichri autem aiebat sibi admodum gratum futurum, si Gebal intraret, suspicionesque omnium facto confirmaret.

"Gerræ," inquam, "quare eiusmodi fabulas aniles texamus? Ea quæ usui sint attendamus. Si nostri commilitones nos servaverint, bene erit; alioquin aut pretio soluto oportebit nos ipsis nobis redimere, aut vero aliquá astutiá viam ad salutem comminisci."

Nauta qui nobiscum erat nunc primum loqui cœpit, et in mentem nobis revocavit certas trabales, quæ ad aggerem, in insulam ducentem, erant deligatæ, quas et Himilco se vidisse meminit. Inde speculari cœperamus, quo potissimum modo eo pervenire, et si hoc feliciter cessisset, quonam modo iis ad effugiendum uti possemus. Hannibali nos usque in potestate fore barbarorum videbamur, etiamsi adversá ripá potiti essemus: at Bichri atque Sammai autumabant: si semel in libertatem vindicati fuerimus, cætera sibi curæ futura.

Interlocutus quæsivi ab iis utrum quisquam cultrum apud se haberet; sed reperimus, ut erat exspectandum, barbaros ita nos emunxisse, ut nihil eíus rei apud nos relictum esset.

"Tum age, Bichri, huc te advolve!" ei suadeo, "atque tenta istud vinculum tortum de carpis meis rodendo solvere."

Conticuimus omnes, auribus intenti, ut ipse se leni sonitu volvere cœpit, non parum e conatu halitans.

"Dentibus plurimum possum," respondit iuvenis, "sine ergo tentem."

Dicere nequeo quanto id tempore effectum sit, usque dum manus halitu suo tepescere sensi, sed fuisse dimidum horæ existimo. Sedulo ipse vinculum masticare cœpit, subinde et cutim meam mordicus prehendendo, usque dum plaga ad crassitudinem fili detrita fuisset, quum ego nullo fere labore rupi eam, factusque sum liber. Continere me non poteram quin gaudio exclamarem, et me iam ad cæteros solvendos accingere cœpi, quum Himilco ad introitum transversum iacens eloquitur:

"St, aliquis appropinquat!"

Ictu oculi ruptum vinculum carpis reposui, sed vix antea quam aliqui barbarorum intrassent. Unus eorum operculum ianuæ revulsit, ac defixit, quo facto, sumpsit contum, eoque tegetem, quæ verticem apertum tugurii operiebat, retrusit, ac veluti fumarium aperuit, quo remoto, lux diei ex utraque apertura carcerem, ubi detenti eramus, grato lumine collustravit.

Tugurium prorsus vacuum et inane erat, omnique supellectili destitutum; parietes fumo ac fuligine atri; humi tres lapides foci vicem egerunt, nunc cineribus cibique reliquiis obruti. Guttæ pluviæ algidæ per impluvium incidere soloque illidi audiebantur.

Barbari intrantes, secundum suum ritum ac mores, pigmento erant in vultu fucati. Capiti unius eorum pellis et caput ursi erat inductum, quod ipse tamquam personam in vultu gerebat, ad eum fere modum, quem ego olim apud Assyrios videram; alter in humeris caput et cornua cervi gerebat. Tertius denique qui manu scipionem tenebat, alios duos in medium tugurium duxit, ibique omni gestu distortioneque absurdá, mutí, prorsus sine verbo, choreas agitare cœperunt. Postquam hunc saltum per aliquod tempus prosecuti erant, alter eorum, qui monile e dentibus ferarum colligatum gestabat, quique princeps eorum esse videbatur, ad me accessit, constitit, et mihi infixis oculis me contuebatur. Animadverti manum eius, et in ea meum proprium gladium. Longam iste incepit orationem, ex qua ne verbum quidem percipere poteram, sed animadverti eum sæpe *Iono* memorare, et quoties ipse id verbum extulisset, alteros conclamare. Oratione finitá, barbarus quadam re liquidá ac fœtidá nos conspersit, quam e cornu super nos effudit; alteri autem duo, unisoná voce, veluti cum verbo *Iono* verbum aliud consonum et concinens mutientes ritum terminarunt, et e tugurio digredientes, aulæum eius iuncinum demiserunt, ac deligarunt.

"Nihil pacti cum id genus belluis suscipias!" stomachose alloquor socios, ubi iterum soli eramus.

"Forti animo parumper es!" solatur me Hannibal, "dum-

modo manus mihi liberentur, iam faxo, inermis ut sim, ut tergoribus senûm solum sub pedibus extergeam."

Himilco vicissim iurabat se cupiditate iniuriam fœtidi olei piscini ulciscendi flagrare; Sammai quoque obtestabatur, seque vovit barbaros, etiamsi palmas Iericho numeris exæquent, aut pulices Sechem, elusurum, viamque sibi ad Abigail facturum.

Dum hi eiusmodi sermocinationes texebant, ego manum extricavi, tum manus Bichri expedivi, eius ope dein manus cæterorum distrinximus. Semel vinculis soluti, omnes in pedes consurrexerunt, artus porrectarunt, atque Hannibal, Sammai et Himilco sese lapidibus foci armarunt.

"En rem satis aptam, quá cerebrum unius alteriusve excutiam," inquit Sammai, unum eorum lapidum manu vibrans.

"Non quidem telum militare per speciem," explicat Hannibal, dum lapidem accuratius inspicit, "maiores tamen nostri etiam peioribus telis, nec incassum, olim utebantur."

Sublatis dein aliquot lapidum fragmentis, Bichri ægre se fundá carere querebatur, quum Himilco temporis puncto exprompsit funem semper apud se gestari solitum, item, decerpto frustulo utris, in quo vinum secum gestare consueverat, satis iam materiæ ad manus habuimus, unde iuvenis funditor nullo negotio fundam consarcire properabat, cuius mox usum se capere posse sperabat et confidebat.

Interea nox obrepsit. Pluvia usque cadebat, atque ventus pedetentim validius flare cœpit, ita ut ad fugam capessendam nobis nihil non favere videretur.

"Nunc demum, amici, tempus vestrum advenisse arbitror," sic socios alloquor, "Deos quisque invocate vestros, postea confestim per quietem evolabimus."

Convenit inter nos, ut, si plus uno excubatore nobis obviam fieret, pugnando nobis ad trabalia viam aperiremus; si in hoc frustraremur, tamen ad aquam confugeremus, et ad adversum finem viæductûs contenderemus. Tessera verbi essent crocitus tres.

"Iam pergite," hortor eos, "et Deos invocate."

Tugurium nostrum silentio alto tenebatur. Animadverti

Himilconem unicum oculum versus laquear levare, quasi Cabiros quærentem, sed nihil prorsus videbatur, nisi noctis illunis spissa caligo.

Iam viam ingressurus eram, quum per aulæum speculabundus sonitum vestigiorum percepi, quin et languidum lumen faculæ. Cor mihi palpitare cœpit. Socios cito intra ingressum utrimque dispono, ut ianuam custodiamus. Haud plus uno vel duobus appropinquare videbantur. Sammai tergum parieti figit, paratus cerebrum barbari lapide qui primus ingrederetur, excutere; sed quicunque hi fuerint, manifestum erat minime properare: nam constiterunt foris, secum otiose colloquentes, ac subinde vocabulum illud arcanum *Iono* iterum excipere poteramus.

"Miror utrum iterum sibi in animo sit nos spurco illo liquamento offundere?" quærit Himilco.

"Tentent modo aspergere," mutit Hannibal, "est mihi híc aliquid, quod asperginem facesset, quam ii minime appetant."

Subito silentia noctis cantus eiusdem tubæ rupit, insequiturque clamor ac vociferatio. Is clamor e condicto videbatur oriri; nam eodem temporis momento operculum ingressûs revulsum erat, et quidam cum tæda intrabat, et operculum pone se clausit. Sed vix erat ingressus, quum quaterna fortissima brachia eum prehendunt. Manus Sammai os eius cito oppressit, ut nullum sonum edere posset; ego tædam ei eripui, Himilco autem, lapide in sublime elato, iam iam in caput suæ victimæ demissurus erat, quum repente saxum in terram deiicit et cum stupore exclamat:

"Per misericordes Cabiros!"

Faculam ad vultum hominis adhibeo, simulque me in brachium eius coniicio, — Hanno erat!

Nauta sustulit faculam, a me in animi comotione elisam, quo et Hannoni copia data est vicissim nos cognoscendi.

Elingues stetimus.

Aliquot minutis nihil nisi alter alterius manus prehendere et complexari amicum pridem amissum.

Hanno primus dicere cœpit:

"Cave me suffoces. — Quam fortunate hæc contigére!"

"Iocum proferto, Hanno!" inclamat eum Hannibal, "alioquin nunquam tibi fidem habebo te ipsum esse."

Hanno nequaquam subrisit, sed de Chryseide sollicitus sciscitabatur. Postquam a me certior factus esset eam sospitem esse ac valere, lacrymæ ei oboriebantur, secumque mutiebat:

"Sunto Astarti grates!"

Aliquis interea foris vehementer pulsare cœpit, quod nos repente ad sobrietatis officia revocavit. Quum vero idem pulsum iteraret, Hanno ad ianuam accessit, cum aliquo pauca verba eá linguá peregriná conseruit, quæ ille, saltem ex parte, grunnitu probavit, tum ad nos rediit.

"Nunc vero," inquit voce vivaci, sibi consuetá, "scire fortasse cupietis quonam officio ad vos venerim. Veni ut vos ad grande templum Fennorum adducerem. Grande profecto illud ædificium est, ut mox videbitis, ex arundinibus, spinis piscium et idgenus rebus factum gloriose. Futurum est ut ibi vos magno Deo Iono immolemini."

"Siccine? Deus itaque Iono est!" dixi ego; "at si tu summus eius vates es, non oportebit nos de ea re admodum sollicitari."

Himilco cavillabundus aiebat, Iono, si Deus esset olei piscini, se admodum velle ut pauca centena pedum in altum mergeretur mare.

"Moderare tibi, bone mi gubernator," monet Hanno voce admodum solemni, "noli de magno Numine minus reverenter verba facere. Licebit mihi tamen unum monere. Iono oleo piscino haud magis delectatur quam ipse tu. Nec quisquam haustum vini magis appetit. Quin etiam iuvabit vos iam nunc scire quisnam ipse sit. Nemo alius is est, quam amicus noster Ionas de Eltece, tubicen, inquam, noster nulli comparandus, Ionas."

"A, nonne dixi" interloquitur Himilco, "neminem tantam ac talem coronidem, præter Ionam, per tubam efflare posse?"

Tum Hanno pergit narrare populum iam in fano præsto esse, adventumque nostrum, veluti hostiarum, ex voto præstolari. Suadenti Sammai, ut nos consurgentes totum cœtum adoriremur, respondit, ibi plus quam tria millia eorum esse congre-

gata, ita ut quidquid per vim tenteramus, necessario noster esset interitus.

"Absit," prosequitur ille; "nihil quod agatis superest, nisi ut fidei aç potestati Iono invictissimi, suique summi sacerdotis, Hono, vos penitus concredatis; is autem Summus Sacerdos ego, vester fidissimus amicus est. Primum itaque negotium erit cœtui explicare, vinculis vos solutos esse, atque arte magica effecisse me, ut omnes vos mansuefieretis, et ad omne obsequium obeundum essetis parati."

"Sine, quæso, ut te interpellem," peto ab eo, "de fatis meorum sociorum admodum sum sollicitus; dic, sodes, utrum quidquam certi de iis compertum habeas."

"Ii iam horsum iter habent;" respondet Hanno; "atque Suomi eo ipso proposito vos mactari et immolari statuerunt, ut eo sacrificio Deum suum sibi propitiarent, ut is victoriam sibi adiudicaret."

Hannibal magno animi impetu, auditis his, in hæc verba erupit:

"Pro certo scivi fore ut nostrates auxilio nobis subventuri essent; facinus prælarum, forti animo susceptum, tamen usque vincemus!"

"Festina lente!" responsum tulit; "rectius tute mihi concredideris. Sine mora nuntium mittam ad Hamilcarem et Hasdrubalem. Videdum: scriptoria in promptu habeo; calamum ipse mihi feci ex arundine palustri; atramentum meum e pigmento est Suomiorum bellico; vicem chartæ autem frustum pellis cervinæ præstat."

Hanno inter loquendum scribebat; quo finito se ad nos vertit:

"Itaque sequimini me ad templum. Usque modo nihil vereamini. Dabo operam ut Deus neget vestram vitam in præsenti se exposcere. Hoc aliquot horarum intercapedinem vobis concedet. Interea confido meas litteras ad amicos nostros me transmittere posse. Eamus! Monitos tamen vos ultimo esse volo, nequid risu, qui, aut qualescunque nostri ritus sint, excipiatis."

"At vero," inquam, "te artis magicæ carmineque fascinandi

perquam gnarum te esse oportebit, si nos ex isthoc discrimine liberare posse tibi confidas."

"Vera memoras," cum leni risu respondet ipse, "haud incassum inter istos educatus eram. Artem eorum magicam ut sacrificulus satis edidici, quamvis nunquam putavissem eam artem in hoc genus rerum discrimine fore me exercitaturum."

Sumptá denique suá faculá, nos ducere cœpit. Nos vero, barbaris non parum mirantibus, et circum fanum conglobatis, demissis oculis, prorsus muti sequebamur.

Insula quam perambulabamus multo erat amplior quam nobis videbatur. Tuguria sine certa regula et ordine in globis erant conferta, et quæque colonia propriis vallis erat septa. Via caliginosa erat admodum, et plures lacunæ erant nobis pervadendæ, quum interea pluvia in capita nostra descendere nunquam cessarat. Postquam multas vicorum ambages perambulavimus in meditullio pagi, in locum apertum pervenimus tædis collustratum, ubi ingentes Suomiorum turbæ erant conglobatæ, omnes eorum armati, bellicis coloribus fucati ac distincti. Tugurium in centro, ad quod nos ducebamur, cæteris longe erat grandius, viceque templi fungebatur. Specie ac formá rotundum ædificium alvearis similitudinem ferebat. Ex interiori parte facibus lampadibusque oleareis erat templum hoc spatiosum undique illuminatum. Lampades hæ in speciem ampullarum erant fictiles, olei plenæ, cum rostellis, quibus ellychnia, e fibris arborum plexa, oleoque tincta, inhærebant, quæ accensa non sine magno fumo ardebant. Locus catervis barbarorum erat refertissimus. E fumo tædarum atque lampadum, item ex oleo ac pinguedine, quá barbari corpora sua oblinere consueverant, perinde atque ex halitu tantæ multitudinis, aura loci ob gravem nidorem plane ferenda non erat.

Ubi cœtum ingressi eramus, aura fumo tam erat densa, tantusque barbarorum erat clamor ac tumultus, ut eos omnes furere et insanire existimaveris, nec venerandum suum Numen primum dignoscere poteram; attamen, quum paulisper fumo vaporibusque assuefieri cœperam, paulatim dispicere tentavi, et tunc animadverti e regione mihi quoddam genus solii, sive aræ, cumulatum omnigenis terræ marisque productis, uti pellibus fe-

rarum, extis piscium, vesicis phocarum, plumis avium, super quam congeriem ipse "Deus" cærulo et coccineo pictus et fucatus, cornibus taurinis, dentibusque phocinis ornatus, residebat. Nullum lineamentorum faciei primum dignoscere poteram potentissimi illius Numinis; una nonnisi res mihi cognita videbatur; nempe in una Numinis manu coccinea conspicabar ipsam eam tubam, quam duodenis siclis argenteis ab Cheles Báal mercatore Tyri præstinaveram.

Barbari plus quam nobis opus erat viæ aperuerunt; prorsum nos truserunt, usque dum in apertum sanctuarium ante aram pervenissemus. Hanno prope ad latus Numinis sese collocavit, quod signo dato tubam ad labia levavit, ingentemque clangorem edidit. Ad pauca Hannonis verba totus cœtus, demptis nobis, cernuus se prostravit. Nos vero ex omni turba sic erecti stantes, admodum conspicui eramus, fieri proin haud poterat quin Numen nos agnoverit.

Quanto autem stupore attonitus Ionas nos agnoverit, nullis sane verbis exprimi potest. Oculi, nasus, denique facies tota eius convelli ac distrahi videbantur, ut crusta pigmenti e vultu eius in micis deglubi ac decidere cœperint. Stupore prorsus perculsus, elinguis aliquantum hæsit, et miraculo rei stupebat, ac tandem in verba eiusmodi erupit.

"Báal Hassamaim! Dominus cœli!"

Turba cernua, audita Numinis voce, tota contremuit. Iono, Numen ineffabile, locutus est!

"Frena linguam, fatue!" inclamat eum Hannibal sonorá voce, sed planis verbis Phœniciis, quibus Numen motum est et conticuit.

Deicolæ reverentiæ terrore ac formidine tenebantur.

Subito vagitus stridens et immanis totum fanum pervasit. Aliquid atri ac formidolosi, prorsusque incerti ingenti saltu per mediam turbam prorsum ruit, et ipsum caput Numinis insidens, capillos eius vellicare, vultum palpare, mulcere, tandem amplecti omni affectionis indicio Numen lingere ac deosculari cœpit. Barbari horrore consternati in pedes prosiliunt, plurimi confestim diffugiunt; cæteri autem quum viderent Numen, tubá missá, miram illam rem in ulnis excipere, [illegible]rentque Deum illam

"Gebal, Gebal," et "chare homuncule, iamne senem tuum Ionam reperisti" verbis permulcere et appellare, nos omnino solos reliquerunt.

Sammai ex uno latere costas Numinis pugno petit, Hanno autem ex altero crura eius calce pulsat, sed neutrum horum vel minimum movet eum; denique descendens de solio sic fatur:

"Maximopere delector, amici, vos insperatos iterum convenire posse! Quam præter spem accidit: me hîc, in præsenti, Deum esse vobis cognitum; quid cibi vobis mandem?"

"Recede ad solium tuum, nebulo!" adoritur eum Hanno, "ne verbum quidem iniussu meo protuleris!"

Pro temporis momento dumtaxat Ionas maiestatem suam læsam esse succensebat, atque primum obedire dubitabat; me tamen utrem vini generosi illi pollicitante, ad solium suum, iniuriæ immemor, redit. Hanno ornamenta fucumque scitá manu iterum in ordinem composuit atque concinnavit, et Deum sibi restauravit, Bichri autem simiam sibilo ad proprios humeros allicuit.

"Ecce nuntium!" eloquitur Hanno, "quo nemo magis idoneus esset, quique meo proposito ad amussim quadrabit."

His verbis ad simiam conversus, quæ iam suos gestus ludicros iterum agere cœperat, sic ad eam fatur:

"Gebal, simiola mea, tene hanc rem, eamque ad Hamilcarem propere defer, quod si rite perfeceris, lixulá donaberis."

Simiola munus sibi concreditum prorsus intelligere videbatur; frustum corii oblatum apprehendit, dentibus frendens, tribusque pedibus subsultans, e templo celeriter excurrit. Fremitus miraculi pariter ac terroris extra templum, nobis intus, indicio erat simiolam barbarorum turbas feliciter evasisse.


"Res eatenus bene gesta!" læte fatur Hanno, "nunc reliquam ritûs partem attendamus. Oportebit vos coram Iona in terram pronos prosternere: interim egomeos Suomi revocabo."

Ionas primum renuit modestiá ductus, indignum ratus ut nos tanto humilitatis obsequio plecteremur; sed Sammai, ad obediendum Hannonis de silentio servando mandatis eum adacturus, transversum os eum leniter percellit, tum ad nos rever-

sus, sese nobis reverentiam prostratione significantibus accomodat.

Hanno ad postes ostii munere summi sacerdotis *Hononis* consistens, cœtum ad prosequendum sacra invitavit. Audaciores eorum pedetentim animum sibi sumpserunt, et circiter quinquaginta eorum ausi sunt, tametsi usque tremuli, quod vix se e superiore terrore adhuc penitus receperunt, in fanum intrare, atque in conspectum aræ et sanctuarii consistere. Iono sonitu acerrimo tubæ sacrum ædificium iterum complebat, quo finito, Hanno pauca verba ad cœtum fecit, eorumque animos timore levavit. Suomi postea pedes tranquille retraxerunt, custodibusque ad portam constitutis caverunt nequis templum intraret.

Quum sic satis in tuto essemus positi, nec suspicio ulla subesset fore quemquam qui nos interpellaret, Hanno præter duo facularum lumina omne luminare exstinxit, nosque in angulum templi maxime opacum conduxit, quo Ionas, missis omnibus suis centonibus, libentissimo nos animo secutus est.





CAPUT XVIII

Ionas Magnopere Sibi Tribuit.

"UBINAM vinum meum est?" prima fuit Ionæ quæstio.

"Opportune sane venis!" reddo illi, "nonnihil exspectandum tibi erit, fortasse aliquot menses."

Gigas noster prorsus stupefactus me contuebatur, usquedum Sammai, pugno eum in costis fodicans ad saniora reduxit.

"Nimium quantum, bibule veterane, delector, tibi in medio nostrum gratulari posse."

"Nec minus et ego," inquit ille; "sed quidnam me ulterius facere vultis? Iuvabit me scire."

"Quidquid facere statueris, unum id attendas ut Hannoni in rebus universis obsecundes," illi respondi, "quandoquidem eius operá istinc ad naves nostras elabi in animo nobis est."

Verba mea eum in profundam contemplationem movere videbantur. Sic enim frontem suam palpare cœpit, ut defricta crusta pigmenti in micis decideret; tandem ad se reversus, interrogabat, utrum sibi nos sequi necesse esset.

"Sine dubitatione," respondi, "nisi apud barbaros perseverare consultius tibi videtur."

"Fruique oleo suo piscino, ad vertendum stomachum," avide subiungit Himilco.

"At hicce ego Deus sum!" tractim respondet tubicen, veluti de re ardua deliberabundus. "In navi Sammai me pugnis dolat ac terebrat; Hannibal pugillatur; quisque me bardum ac vacerram vocitat: at hîc res longe aliter se habet. Hîc nemo me pu-

gnis petit, sed mihi fas est quemcunque. Nuper in Septemtrione cuidam Deo barbarorum tanta inflixi verbera, ut paulo post ex eo moreretur. Quin etiam domi meæ in oppido Eltece, pusiones me verborum contumeliá stipitem et baronem vocitare, alisque scommatibus insectari solebant, viri autem qualos olivarum in capite portare, nec minus saccos frumento onustos baiulare coegerunt, nec multum vini in gratiam atque mercedem mihi concedere dignabantur; at híc res toto cœlo diverse se habent, nec nisi tubá tantillum cantillare placet, et nulla mora, iam cunctorum ciborum delitiæ, bubula, cervina, pisces, plus affatim aggeruntur. Deum esse munus perquam iucundum est."

Omnes nos hæc cum stupore audivimus. Nemo nostrum antehac eum tam diu, tamque sanis rationibus locutum audivit; nec quisquam nostrum de suis argumentis dubitare poterat; in summa, maiestas ac dignitas Numinis effecerunt, ut æstimator sui immodicus esset, sibique nimium tribueret.

"Non tibi itaque in animo est nobiscum proficisci?" interro go eum, pendentem animi ut video.

Ipse anceps dubitabat; tamen, post aliquam dubitationem interpositam edixit eo se iturum, quo Hanno iturus esset.

Tum Himilco eum ludere cœpit:

"Ohe, tu nobis significare vis Suomicum oleum piscinum vino Helbonico te longe anteponere, teque nimis malle nebulas algidas paludum, quam oliveta Dan; item segmenta assi tarandini potiora te habere quam placentas libaque mellita Iudææ."

Gutta lacrymæ micabat in altero oculo gigantis.

"Equidem," inquit "vobiscum ire satius esse duco."

"Præterea," subiungit Hanno, "certe lubebit tibi Eltece revisere; quid? nonne vis popularibus tuis de *leviathan*, de *behemoth*, deque culina Nergal narrare, et quemadmodum Deus factus fueris?"

"Fidem mihi negarent!"

"Memineris etiam," addit Bichri, "senem Gebal nobiscum nos laturos, ut eum popularibus nostris Dan ostendamus."

Argumento tam agenti, ut hoc esse videbatur, responderi non poterat, nec tentavit, quin, ex imo corde motus, fere singultando ingemuit et sic respondit:

"Sane, vera memoras: eundum mihi est; oportere sentio ut vobiscum et cum Gebal unà eam."

Hannibal lacrymas Ionæ, quas vitulinas appellarat, palam derisit; cæteroquin consilium Ionæ ad officium classici redeundi sibi perquam gratum et acceptabile erat; quod ut statim remuneraretur, binos siclos argenteos, quos sibi bona fortuna post tot discrimina usque in sacculo conservaverat, exprompsit, eique his verbis porrexit:

"En, tubicen, hæc habeto! Istis, quum ad naves pervenerimus, aliquem opportune conduces, qui te e tuis hisce sordibus ex sententia eluat et elutriat."

Post hæc Hanno sua consilia aperit et evolvit. Nuntium ad Hamilcarem missum huius erat tenoris: Sua colloquia cum Suomi eum usque eo producere oportere, donec clangorem tubæ Ionæ auditurus esset, quam quum audisset, suá tubá respondere. Tum sic prosequitur:

"Interim barbaris persuadebo," inquit, "Deum suum imperare ut victimas ad mactandum extra insulam educam; isto artificio si semel viæductum transgressi fuerimus, atque in conspectum agminis nostri venerimus, cæteras res ad nostram sententiam componere difficile non futurum."

Probato suo consilio, unum nonnisi animadvertendum censui: quí nimirum nos cognituros exspectaret nostrates inter atque barbaros colloquium intercedere? nequid erroris suboriatur. Hanno me de his certiorem fecit barbaros nec quidquam suscepturos quin se, suum sacrificulum, in antecessum consulant, sicque futurum ut cuncta quæ usquam gerenda sint, sibi probe fore cognita.

Interim iam diem totum inediá exigimus, et nimium quantum insomnio et omni vicissitudine confectos fames iam nos atque lassitudo urgere cœperunt. Proinde Hannibal sciscitabatur utrum quædam edulia comparari non possent. Itaque Hanno ad ostiam accessit, aliquid veluti cornicando cum circumstantibus colloquitur.

"Significavi illis," inquit, "Iononem cibum appetere. Consueta eius orexis cunctis his probe nota est; nec dubitandum

quin hi satis allaturi sint, quibus omnes vos affatim expleamini."

Haud multo post ostium percrepuit, atque aliquot barbari lances piscium lixorum, cervinam frixam, et alia cibaria, item aliquot cornua largiora cuiusdam potus, ad ostium templi adtulerunt, quæ omnia Hanno in ingressu templi e manibus eorum excepit, nobisque in ordine tradidit. Famelici quum essemus admodum, dapes minime sprevimus, nec quidquam fastidivimus; ipse vero Deus, ut modestissimam suam portionem, piscem, magnitudinis dimidii thynni, itemque segmentum tarandini assi, haud spernendæ molis, sibi selegit. Hanno quoque nobiscum discubuit, et inter epulas plurimas quæstiones de rebus nostris exinde gestis, agitabat. Deinde tum ipse, tum Ionas, sitim suam pluribus haustibus modo ex uno modo ex altero cornu restinguere pergebant, quæ cornua acuminata parte, prope ad manum, terræ erant defixa. At Himilco et Hannibal fastidia sua eius potus parum celare poterant, utpote qui potus oleum rancidum esse putabatur. Verumtamen Hanno paucis explicuit potum in cornibus temetum esse ex hordeo, item e succo alterius cuiusdam plantæ lixatum, esseque communem potum non modo Suomi atque Cimbrorum, verum etiam Celtarum in Occasu, Gothorum Orientis, atque Germanorum in Meridie.

"Dicere utique non ausim temetum hoc succum uvarum æquare," monet Hanno, "nec tamen, revera, palatui refragari asseruerim; aude id modo gustare!"

Hannibal dubitare videbatur. Himilco aiebat se iam antea a Giscone quoddam genus liquamenti alicubi confieri solitum accepisse, nec se prorsus certum esse, utrum ad ostia Rhodani aliquid eius generis ipse non gustasset. Denique uno cornu ad labra sublato, paucas guttas sorbillat, nihil tamen effatur.

Eius dein exemplum omnes nos ex ordine sequimur. Bichri id nimis acidum esse arbitrabatur; Sammai idem amaritudine exsecrandum existimabat; ego vero atque nauta id simillimum rei esse autumabamus, quam olim alibi gustaveramus.

"Non valet multum," censebat Hannibal, post haustum satis copiosum; "inebriatne res ista?"

"Quam maxime quidem," asser[illegible]no.

"At ego nihil unquam spurcius ac vilius gustavi, "ait Himilco, ultimus ac summus temetorum arbiter, "verumtamen, cum bona vestra venia, alterum haustum tentabo."

Nec dubitabat alterum cornu penitus haurire.

"Ad vertendum stomachum !" inquit, vehementer sputando, et tamen potui huic iam adeo se assuefecisse videbatur, quem verbis tam detestandum prædicarat, ut potius verendum existimarem, ne plus quam sibi prodesse posset, ingurgitaret.

Interea iam diluculum exoriri cœperat dum nos ad finem epularum vergebamus, quum Hanno ab aliquo foras vocatur, mox tamen iterum redit, Ionam tubá canere iubet, nos autem ad proficiscendum paratos esse hortatur.

Ionas ad ostium templi progressus, acrem tubæ cantum edit.

Himilco interim quæque reperit cornua, epotat, simulque temeto, ut rei odiosæ maledicit, utpote quod stomachum moveat, atque impurissimá aquá longe deterius sit.

In responsum ad signum a Iona datum, repente clangorem nostrarum Phœniciarum inaudimus tubarum, ac, sine mora interposita, Ioná Hannoneque ducibus, e templo excedimus. Turba foris superstitiosa quadam reverentiá nos prosecuta, sine molestia sivit nos præterire, atque ultra fines suos progredi, ita ut spatio dimidiæ horæ in medio amicorum versaremur. Hanno Chryseidem amplexibus prehendit, Ionas Iudicem Gebal in ulna excepit, Sammai autem ita erat societate Abigail captus, ut neque animadverteret Hannibalem, Himilconem atque Bichri manipulum barbarorum in vicinia palantem modo profligasse.

Quum barbari propriis cernerent oculis quemadmodum socii nos excepissent, probe senserunt suum Deum prorsus humaná ac terrestri naturá esse præditum, quem ipsi immortalem esse crediderunt; nec dolum ante perspexerant, quo manus suas effugeramus, quam simul etiam grandine lapidum iaculorumque nos impetere et insectari inciperent.

Nec, profecto, noster ad naves regressus periculis carebat. Attamen nullus nostrum gravius tulit incommodum, quamquam plures leviori vulnere ac læsione ex hoc impetu recesserunt, in quorum numero fuit Ionas, qui ictum lapidis, nasum eius fœde

sauciantem retulit, ab uno suorum paullo ante cultorum in eum coniecti.

Semel navibus feliciter potiti, nihil morati sumus quin ab his littoribus tam inhospitalibus quo citius naves solveremus, ac terga vertentes, et ad Occasum eluctati, cursum nostrum versus insulam Prydhayn flecteremus.

Mari tranquillo, ventisque secundis cursus noster et celer et iucundus fuit. Hoc in rerum statu, quum etiam cupiditate duceremur ab Hannone Ionaque audiendi, quonam modo in potestatem ac ditionem Suomi venissent, quasque res ex iis temporibus gessissent, quæque illis accidissent, quibus e medio nostrum abrepti essent. Eo itaque proposito in puppi *Astartes* consedimus, ut eorum relata audiremus. Ionas ex sententia perlotus ac perpexus et comatus, denique etiam indumentis Phœniciis ornatus, simiá in humero eius sedente, iuxta scribam recubuit, qui munus sibi assumpsit totam historiam ab initio narrandi, et ordine evolvendi.

"Iam plus quam annus est, ut probe meministis, ex eo die quo insidiis a Tartessiensibus nobis tentis capti eramus. Ab ipso eius temporis puncto, quo captivi facti eramus, in extremo vitæ discrimine versabamur. Nam, ut a quodam Phœnice, quem casu conveneram, monitus intellexi futurum ut Bodmilcari, qui tum haud procul aberat, dedendi essemus. Quum ista res agitabatur casu evenit, ut quidam principum Iberum, desiderio et amore tubæ Ionæ adeo caperetur, ut nos eius gratiá retinendos existimaret, nec Tyrio, quem vulneratum cognoverat, dederemur. Usus eá intercapedine, ope calæ, propriique vulneris sanguine, rationem cominiscebar nuntii ad vos permittendi, nihil enim dubitavi quin Gebal, animali acta instinctu, id ad Bichri delatura esset, et eo proposito simiam meum nuntium institui."

"Recte statuisti; nam nuntius tuus eádem ipsá nocte ad nos pervenit, atque nuntium rite adtulit," respondi.

"Ita coniectavi," pergit ipse, "quod simia non redivit. Inde nos paullo post versus Septemtrionem missi eramus præsidio cohortis Ibericæ, quæ nos nequaquam male habuit. Post diuturnum laboriosumque iter regionem ir[illegible]umus, ubi tam celsi

erant montes, ut iuga eorum nivibus perpetuis tegerentur. Hi montes terram Tartessiorum a terris Celtarum seiungebant, vocabanturque Pyrenæi. Híc nos tradebamur principi Guipuzcoa, ad quem missi eramus. Gens Guipuzcoa eadem est, quæ aliter etiam Cantabri appellatur. Gens ista bellicosissima est, genti Aitzco, sive "viris rupium," infensissima et cum ea in Septemtrione cum Occasu, perinde atque cum cæteris Iberibus in circuitu, nunquam non bella gerit. Plus duos menses híc exegimus, antequam occasio fugam moliendi nobis sese præberet. Tandem, expeditione quadam eius generis soli in vico relicti eramus, in ostio fluminis minoris pilis superstructo. Trabariam nacti, eam, quoad videbatur, commeatu oneravimus, remisque innixi, in mare ire contendimus, ac satis commode ad littora Celtarum pervenimus, a quibus sciscitati reperimus aliquas naves sua littora non adeo pridem prætemavigasse, et e variis mercibus exhibitis haud dubium mihi videbatur eas *Astarten, Dagonem,* atque *Cabiros* fuisse. Quum e sermonibus Celtarum satis liqueret vos ad Septemtriones navigasse, relictá trabariá, quamdam navim eorum, quæ versus Ar-Mor solutura erat, conscendimus. Eo quum ventum erat, reperimus Cimbrios insulæ Prydhayn atque hos bellum inter se gerere, nec proinde nos eo transfretare posse. Duos omnino menses huc et illuc iactati in insulis Ar-Mor exegimus, nec parum interea ex lingua Celtarum didici; sed per omne id tempus maximum dabamus operam aliquid comminiscendi, quo iter vestrum sequi possemus, quà nobis certe constabat vos profectos esse. Denique incidi in tribum Cimbrorum quæ cum incolis Prydhayn bellum non gereret, ascendique illorum navigium; sed ortá ingenti tempestate, procul in Orientem abrepti eramus."

"Dicat quis de tempestatibus," interponit verbum Ionas, "quidquamne eá tempestate sævius? Vidi etenim leviathan vim aquæ e naribus in altitudinem mali tui sursum iaculari; nos vero ab undis fluctibusque instar truncorum eramus sursum ac deorsum volutati. Ternos dies ac noctes absque cibo potuque pæne in interitum quassabamur et agitabamur."

"Vera, Hercle, Ionas memorat," pergit Hanno, "tempestas revera tæterrima fuit, quæ nos, postremo, in cœnosa ac lutulen-

ta littora propulit et everrit. Cimbri, denique, desperatá salute, datá operá se undis merserunt, nos vero, morti quam vitæ propinquiores, septimanam et ultra, vitam radicibus, nucibus, et quidquid in nemoribus esui sese nobis obtulerat, ægre sustentavimus."

"Ecquid pro potu reperisistis?" quærit Himilco.

"Lutulentam acquam, et præterea nihil," respondit Hanno.

Bonum gubernatorem multum eorum misertus est, subiunxitque:

"Tristis potus admodum; scio experientiá doctus."

Post hanc interpellationem Hanno sic prosequitur:

"Interea Ionas tubá canere raro cessavit, si quo casu aliquos mortales ad nos allicere posset; nec hoc in cassum; nam post diuturnos conatus, tandem cohors Suomi, quæ incursiones Cimbrorum atque Germanorum evitare conata, quod illi unum agrum post alterum suis eripiebant, ad Orientem migrare decreverat, sonitum tubæ denique percepit. Grandis tuba Ionæ non modo in sui admirationem rapuerat Suomi, sed protinus comperi, iam inde a principio, staturam, habitumque validum corporis, cæsariem quoque uberrimam atque barbam promissam gentem hanc pusillam atque imberbem Suomi reverentiá quadam superstitiosá eos perculisse, quam sententiam ego, nostro bono communi, fovendam esse rebar. Societate nos illis adiungentes, in novas sedes suas secuti sumus eos, ubi testes eramus novi vici condendi, ubi in nos incideratis. Multis interea verbis eos permovere conabar, nec tandem perperam, ut Ionam, sive, ut ipsi efferebant, *Iono*nem in Numen summum adoptarent, me autem in eius sacerdotem. Per aliquod itaque tempus, ut habes exploratum, commoditatibus, adeoque luxu, vitæ affluebamus, nihil tamen per omne id tempus me a memoria navium tuarum avocarat, nec unquam Magni Maris charæque nostræ Sidonis adeo eram immemor, ut non eorum desiderio tenerer."

"Ego autem faciam ut Sidonem brevi contueare!" adiungo ego, post suam finitam narrationem; "etenim iam iter domum versum habemus, ulterius enim progredi non est in nostra potestate, itaque hinc iam domum proficiscemur."

"Floreat Sidon in omne ævum! Dii servent Regem!" clamabat Sammai, "solem denique rursum cernemus!"

"Atque vino potiemur!" addit Himilco, capedulum in sublime præ gaudio iactans.

"Novisque indumentis," supplet argumentum Hannibal, "nam milites nostri mendici nunc sunt pannosi."

Cæteris omnibus laute agentibus, Ionas unus sedebat silens, suisque cogitationibus mersus.

"Quidnam rei tibi est, tubicen?" quæro ex eo, "anne redire domum usque dubitas?"

"Domum ire mihi nihil proderit," quadam ægritudine animi balbutiebat ille, "nihil prorsus mihi credent: omnes me ludificabuntur, quum me culinam Nergal, dena duodenaque behemoth propriis oculis me vidisse asseveravero; si vero ausus ero narrare Numinis instar me habitum et cultum fuisse, mihique quotidie epulas stratas, quæ pro mense satis esse poterat, nemo erit quin me insanire putet."

"Nihil prorsus eas res cures, vetuscule!" solatur eum Sammai; "verba tua nostrá interpositá auctoritate tuebimur, tibique, quidquid dixeris, fidem faciemus; quin et regi te sistemus, qui te tuamque tubam audiet canentem."

Amicis et generosis verbis Sammai animo erectus, item honoribus speratis allevatus, prope in lacrymas animo commotus est.

"Futurane revera hæc omnia esse speras? Num rex etiam Gebal conspecturus est?"

"Quin tu dubitas? Imo vero et Gebal nos mores aulicos instituere expediet, ut caput dumtaxat coram rege inflectere discat."

Hannibal æquum se existimare aiebat ut Ionas tubicen regius crearetur, tunicamque coccineam gereret; ego autem omnem meam operam collaturum spopondi, ut ipse votis potiretur, pollicitus insuper, ut, si res ea e sententia cesserit, prima synthesis aulica meo sumptu pararetur.

Ionas præ lætitia tremulus in stomacho ridebat.

"Egone revera synthesin coccineam geram? Quin etiam co-

ram rege tubá canam? Quid, Hercle, populares mei Eltecenses dicent, quum hæc audiverint? Fortunatum, Medius Fidius, prædicabo diem, qui me Tartessum proficisci voluit. Dii regem servent!"

His, talibusque secum iactatis ad extremam proræ oram se recepit, et in altum silentium lapsus, secum honores ac dignitates, quæ sibi pararentur, otiose contemplabatur.

Ionas inde ab eo die, indole mutatá, homo plane alius factus esse videbatur.



CAPUT XIX

Rursus Bodmilcar.

SECVNDIS acti ventis, littora Prydhayn tam Orientalia, quam Occidua, facili volatu prætervecti, brevi etiam Insulas Albo-Plumbeas præterivimus, atque in Archipelagum Ar-Mor pervenimus; fundi insularum passim exesi erant, et hiantibus cavernis cuniculisque eluti esse videbantur, fluctibus in omne ævum atque aspergine verberantibus. Hannoni cuncta hæc loca prope cognita esse parebant.

"Aspice modo," inquit, uno post alterum indicato loco digitis, ut prætervehebamur, "hicce est insula ubi ego tyrocinium linguæ Celticæ feceram; deinde, ibi sunt cautes, ubi cum Iona hamis osseis ac spineis piscari solebamus; inibi autem insula est sita ubi sacerdotes sua sacra facturæ vultus cæruleo rubroque fucare solitæ erant. Apud eas agentibus nobis, novaculis e conchulis factis omnem barbam abradere nobis voluerunt."

"Idem et Hannibali atque Sammai," inquit Himilco, "in insulis Albo-Plumbeis persuaserunt, et factum etiam est ut hi quodam die tam glabris quam silex mentis ad nos redirent."

"Ego vero," interloquitur Hannibal, "nihil satius haberem quam ut id agerent Bodmilcari, quod ipsi nobis egeramus; nisi quod loco testæ, probe exacutum gladium transversum guttur eius ducendum potiorem haberem."

Nomine Bodmilcaris in sermonem incidente, Hanno quærebat utrum quidquam nobis de eo constaret nec ne; quod vicissim Hannibali in mentem revocabat insidias, quum illi grave

vulnus cuspide gladii in latere eius inflixerat, sui tamen eum e medio certamine eripuerunt, nec, utrum usque superstes sit, hactenus proditum.

"Minime id cures," monet Sammai, "dabitur nobis eum conveniendi copia, fortasse ubi minime exspectabimus."

"Ac, deinde, futurum spero," inquit Hanno, "ut ego illi secundum merita retribuere possim."

"Nisi ego antecedam sagittá e probo meo arcu," vox ex antennis, ex excelso loco in aere resonat. Bichri enim atque Dionysus illic sese cum simia diversitabant. Hanno per risum ludificabat Bichri asserens hunc tam diu multumque cum simia versatum, ut postremo ipsum in simium mutari necesse esset, simul etiam Dionysum æque volatilem effecturum. Ad hæc, quin perticam suam mitteret, Bichri quæsivit:

"Eccur ephebum non membris suis uti doceam? Eccur eum arcu iaculari non instituam?"

"Eccur," addit Hanno, "eum artem legendi non doceas?"

"Quí possim" respondit ille, "quum ipse eam doctus non fuerim? Præterea, ars legendi eum non docebit montes scandere, rupicapras venari, sagittas collimare."

"Fieri quondam poterit," scriba monet, "ut sentias calamum quam sagittam, certius accuratiusque esse telum. Velletisne, tu et Dionysus, artem legendi discere?"

Consilio sagittarius vehementer motus prehenso fune, ad pedes Hannonis delabitur, Dionyso sequente, simia autem ad summum malum sola provolat.

"Ai'n tu lectionem me discere oportere?"

"Ita sane," affirmat Hanno; "paciscamur itaque: tu me iaculatum, ego autem te et Dionysum lectionem docebimus."

"Esto, valet," lætus assentitur Bichri; "et ego spondeo tibi fore ut intra mensem scopum haud ampliorem palmo, e longitudine huius navis attacturus sis."

Et sic deinceps tempus agebatur. Hanno diligenter docebat Bichri et adolescentem Phocum fundamenta litterarum Phœniciarum. Himilco navim suam more suo gubernabat, penuriam tamen temeti haud æquo animo patiebatur abstemius invitus. Sammai atque Hannibal, nisi languore tabescere æquius visum

erat, atque oscitando artus porrectare, aleis ac talis se divertebant; mulierculæ plerumque in cubiculis sermocinando otia agebant; ac, denique Ionas, Iudici Gebal somnia sua magnitudinis futuræ confidere et memorare solebat.

Paullo plus quam sex septimanarum spatio columnæ Melcarth in conspectum venerunt, nec multo post portum Gaditanum intravimus. Suffes, Tziba cæterique nostri familiares, nos iam pridem mersos crediderunt, proinde nobis gratulabantur admodum quum nos reduces, et quidem sospites et incolumes cernerent, quum autem merces meas, plumbum album, atque succinum exhibebam, magnopere mirati erant.

Diligenter sciscitabar a Suffete de Bodmilcare, sed ex oratione eius nihil certi colligere poteram, quam quod fragmenta quædam tabularum in ostio Illiturgis collecta fuerint, quæ ex navigiis eius provenisse existimata essent, nec tamen quidquam e gaulo suo visum, unde colligendum putabam helluonem alicubi in mediterraneis interfectum fuisse, naves autem abreptas et fractas.

Negari utique nequit cibum potumque probum ac proprium omnes nos magno desiderio appetivisse. Himilconi, revera, diuturnum vitæ genus abstemium vires exhaurire cœpit; ita ut portum nactus, differendum non putarem quominus commilitones mei primo quoque tempore commeatu libero siccum peterent, quo potiti, haud dubium erat quin recta ad cauponas ac popinas convolarent. Antequam Ionas discessisset, animdverti nonnullos siclos in manu eius, quæsivique ex eo utrum eos non in marsupio reconditurus esset.

"Minime gentium!" respondit, "usque eo haud securos eos esse arbitor, donec vino eos commutavero, intraque me condidero."

Hanno, Sammai, suæque amasiæ, comites se mihi adiunxerunt, et uná domum Tzíbæ petivimus; Bichri et Dionysus per urbem hortosque erratum iverunt; Hannibal, denique, modo, quum in urbem, scilicet vitæ genus redivimus urbanum atque humanius, æquum dignumque censuit ut tubicen suæ cohortis digno ornatu compareret, Ioná secum accito, illi nova decoraque indumenta præstinavit.

Duos integros dies lautitiis dedimus; quum vero iis exactis ad *Astarten* regressi essemus, Himilconem Gisconemque conveni, quorum uterque admodum erat concitatus, causá cuiusdam nautæ Phœnicii, quem, mihi prorsus ignotum, in eorum societate repereram.

"Præclara habemus nova, Navarche!" inclamat me Himilco, simul atque intra auditum eius veneram, "nova, inquam, optima, nempe fama de Bodmilcare!"

"Effare cito!" moræ impatiens illi respondeo.

"Ehem, scire te oportebit," inquit Himilco, qui pedibus haud usque firmis fulciebatur; "casu hunc virum bonum convenera-mus; ipse siticulosus erat, nec nos minus sitiebamus, itaque in caupona eum pocillis hospitaliter tractavi, ubi narravit nobis se ex navi Bodmilcaris profugisse."

"Mitte, malum, istam tuam sitim!" exprobro eum, "et edissere confestim quid scias."

"Sitimne mittam? Quin sitis recusat me mittere."

"Idum in malam crucem!" prope furens in eum regessi, "anne extemplo dixeris?"

"Sine, obsecro, saltem spiritum ducere! Non te morabor, narraboque quid in caupona audiverim."

"Ubinam est Bodmilcar, pecus ebrium?" clamo, pedibus, præ furore terram tundens; tum vero mei prope impos, ad nautam conversus, "Dic mihi, vir bone," inquam "unde huc venias."

"Undene?" eius vice gubernator invincibilis respondet, "atqui ipse nobiscum venit, inde hic venit ubi nos uná potaveramus."

Iam præter me actus, alapam, satis severam, trans os eius impegi, indicii instar, ut inde disceret opportune tacere.

Itaque, quemadmodum e relatis nautæ colligere poteram, ipse e sinu quodam minus frequentato, qui circa centum quinquaginta stadia aberat, et ad Meridiem cum Occasu iacebat, huc venit; ibi Bodmilcarem primum uno gaulo *Melcarth*, adfuisse, dein alias quoque obtinuisse, tum magnum numerum Tartessiorum in sua servitia coegisse, et aliquo molimine ingentem vim malefactorum ac profugarum eo contraxisse. Retulit insuper Bodmilcarem se quoque plagio rapuisse, datá tamen occasione, fugá se illi subduxisse, tum vero magno conatu se-

cundum littora pedibus huc pervenisse, nunc autem eum coram Suffete Gaditano incusaturum.

Tum percontabar ab eo, quam pridem a Bodmilcare profugisset, atque, utrum quidquam sibi de consiliis Bodmilcaris constaret. Respondit septimanam iam esse ex quo ipse effugisset, scireque se consilium Tyrii illius esse, in terras Rasennarum commigrare, illinc autem in Ioniam iter facere.

His auditis, memoravi illi me retro, Tyrum, mox iter suscepturum, licereque illi, si ita ei visum esset, nostris nautis se iungere, quod ipse gratissimo animo accepit. Hoc humanitatis officio permotus, non modo fide se mihi devinxit, sed et certiorem me esse voluit nihil sibi tam gratum futurum, quam iniurias, sibi a Bodmilcare illatas, opportune ulcisci.

Die denique tertio postquam hæc gesta sunt, omnique commeatu quum naves iam instruxissem, omnium cordibus revisendi natalis soli ad plenitudinem lætis, naves solvimus. Cursum commode tenentibus mox Calpe, atque Abyla nobis in conspectum venerunt; sed vento interim invalescente, ad potiundum freto oportebat nos ventum ipsum suffugere. Sub vesperum sequentis diei gaulum animadverti ex adverso appropinquantem, quem et alloqui volebam; verum, adversante tempestate, satis prope accedere non valebam; quamobrem Himilconem quinque aut sex nautas accire, et lintre ad eum remis contendere iussi. Hac in re unum mirabar præsertim, nempe paratum novi nautæ animum remum capiendi.

Vix linter a nobis divergebat, quum aliquis nautarum anhelus ad me accurrit his verbis:

"Navarche, rimam accepimus!"

Accensa protinus lampade, celeriter in cavum descendo. Duo nautæ atque gubernator sequuntur. Cor mihi palpare desiit, et vox mihi hæsit, quum rem conspexi. Aqua non modo cavum penetravit, verum ad genua usque increvit, et usque augeri manifestum erat. Accedit quod et mare continuo asperius fieri cœpit, navis autem adverso vento laborabat. Nisi malo mederi in nostra fuerit potestate, et citissime quidem, vel dimidio horæ cadavera fluitabimus, aut ad ima mergemur.

Horrore fere extra me concitatus, arrepto conto, huc et il-

luc eum trusitando lacunam quæsitavi, dum fama calamitatis ad omnes in navi perlata est, et quisque in eam partem navis concurrere cœpit. Ego, præter priores tres, omnes amandavi, præterquam puerum Dionysum, utpote qui, ignaris nobis, se iam in cavum demiserat, et qui nunc in aqua, sibi iam ad humeros surgente, flutabat.

Dum omnibus viribus connisus rimam reperire tento, voces de stega, supra me, ad aures meas pervenerunt propere prolatæ, indicia trepidationis, e quibus Bodmilcaris atque *Melcarth* nomina clare prolata intellexi. Fere eodem temporis momento, qui in scala positus lumine lampadis cavum collustrabat, alteri cuidam locum cedendo sese ad unum latus retraxit. Ut lumen languidum opacumque fuerit, tamen ex vultu involantis potius quam irruentis, satis clare perspexi nudum caput Himilconis, passis capillis, manu machæram tenentis. Antequam otium mihi ad eum alloquendum suppetivisset, cantus tubæ supra caput meum intonuit, vagitusque Hannibalis Stentoreus percrepuit:

"Ad scorpiones! In aciem sagittarii.!"

"Dii immortales, quidnam rei geritur? exclamo attonitus."

"Iam scies," reclamat Himilco, "nauta, quem susceperamus, speculator erat Bodmilcaris, in nostrum interitum subornatus. Cum lintre quidem scite effugi, sed *Melcarth*, cum suis barcis et actuariis e vestigio aderit."

Vix fari finierat, quum ex tumultu supra me exorto intellexi certamen initium cepisse.

"Tum male occidimus," inquam, desperatá salute, quod gemino discrimine obruti, nisi interitum sperare non poteram; ille, scelestissimus scordalus navim nostram effregit!"

Himilco furore ingemuit.

Eodem puncto temporis acer insonuit vagitus Dionysi, opem meam implorantis:

"Serva me! serva me! Mergor in rima!"

Caput ephebi iam in rima evanuerat, quum Himilco, seposità machærá in scala, ac puerum inclamans, in aquam insiluit, proclamat rimam a puero repertam esse, eum protrahit, atque semivivum nautis tradit, qui eum in stega prostraverunt. Nulla mora erat interposita. Fabri ac nautæ protinus accersiti erant,

et quum unda vehementior navim ad latus deflecteret, rima in conspectum venit. Opus omni conatu aggressi sumus, atque, quamvis pugna supra capita nostra iam sævire cœperat, feliciter consummavimus, atque gratiá Astartes, rimam, saltem pro tempore, obturavimus.

Interea omnis clamor et tumultus certaminis cessavit, et iam altum silentium navim tenebat. Quum stegam ascenderam, plura ibi cadavera circumiacentia, tabulatum autem cruore maculatum reperi. Naves *Adonibal*, atque *Cabiros* a dextro et lævo iacentes conspexi, at navigia Bodmilcaris præsidio usa tenebrarum, elapsa erant.

Hannibal atque Sammai propter fugam sui adversarii furebant, nec verba sibi satis maledica suppetebant, quibus ignaviam negatæ æquæ pugnæ occasionem carperent. Hanno, qui arcum usque manu tenebat, disertis prædicebat verbis nihil nisi crepusculum in causa fuisse quare Bodmilcar se fugá subduxisset; alioquin, si eum agnovisset, vivum se hinc non eripuisset.

"Ego quidem," inquit Himilco, "quum helluo ille nobis in navi impetum faceret, facile agnovi eum qui mihi olim unum oculum excusserat; ac nisi milleni eorum tela in nos iactassent, et hoc insimul — —"

"Quoténos memoras?" quærit Hannibal cum leni risu.

"Esto, malum, quid refert? Certe mihi constat senos, vel octonos minimum fuisse; sed quidquid sit, sive multi, sive pauci fuerint, unus eorum fuit quem ego nimis bene noveram; atque, dum in cavo rimam quæsitandi eram intentus, nemo mortalium dixerit quanta cupiditate gulá eius potiundi gestiverim."

Per totum id tempus ventus sensim augescebat, ac pedetentim in procellam increvit. Satis causæ interesse quare timeremus, certum erat; rima quidem obturata quodammodo erat, sed ita obiter, utsi tabulæ quolibet temporis momento undis arietantibus extusæ fuissent, parum mirari potuissemus, quandoquidem undæ navim nostram pilæ instar huc et illuc iactabant et volutabant.

Nemo nostrum totá eá nocte somnum capiebat. Nautis nostris alternis catervis totam noctem elaborandum erat, ut aquam situlis exhaurirent; postea autem, ubi aqua infra rimam usque

exhausta ac repressa erat, ulteriorum quinum horarum spatio enitendum erat ut novis tabulis opus firmaretur, interstitiaque stupá ac liciis offarcinaretur; ac tum demum rima prorsus clausa resarta erat, et, quominus iterum fatisceret, nos in tuto esse existimabamus.

Lumen diei interea eluxit quidem, non tamen ventus minus sæviebat. Equidem haud memini flatum violentiorem me unquam expertum fuisse. Columbæ, quas emiseram, vento incassum obluctatæ, nec provolando pares, postquam alas iterum iterumque expertæ essent, ad nos in stega anhelæ resederunt. Omnes ad moderandum naves editi labores in nihilum reciderunt, et in hoc tanto discrimine, ignari quonam naves verteremus, quidque nobis moliendum esset, visum nobis est furori procellæ nos penitus concredere, ut ea nos, nec intererat quo, pro furore ageret, et, iam non obluctantes, ad arbitrium nos raperet.



CAPUT XX

Mundus Funditus Eversus.

TEMPESTAS dies octo continuos sæviit. His exactis ventus sensim cessare, cœlum vero clarescere cœpit. Tunc demum reperi nos haud procul a littoribus, prope quoddam promontorium versari, ultra quod ora ad Meridiem versus perpetua vergere videbatur. Cursum interea commode prosecuti, in conspectum insulæ montibus asperæ venimus, quæ anfractibus et arboretis visu iucunda erat. Cœlum benefico solis calore clementius, memoriam nobis charæ et felicis Phœnices in memoriam revocabat, atque conspectus loci adeo nos allectabat, ut anchoras iacere et oras quoque visere statuerem, non tam animi causá, quam potius navium, quæ, tot tantisque superatis laboribus, ut accuratius inspicerentur, sine dubio exigebant.

Sinus nos excipiebat omni venustate aspectú placidissimus. Haud ita multo post examen nos circumfudit trabariúm, quæ barbaris erant conferta. Hi lineamentis vultuum, angustá fronte, elongatoque capite erant conspicui. Non sine magno stupore eos audivimus Libycá linguá nos alloquentes, moxque reperimus eos veros Garamantes, sive rubros fuisse Libycos. Nos fuimus primi Orientis incolæ quos ipsi in oris suis viderint; unus tamen seniorum meminerat se Rhysaddiri versatum, Phœnices vidisse. Cæterum magná liberalitate nos exceperunt, docueruntque nos suam insulam ex iis esse, quas ad Occasum a Libya sitas esse cognovimus. Navigationis cæteroquin prorsus ignari quam dissitus unus locus ab altero esset docere nos non potu-



erunt, nec plus ab iis percontando elicere valui, quam quod littora Libyca longissime ad Meridiem vergerent, omnemque eam regionem a gentibus incoli quæ eiusdem secum originis essent; ac, denique, longinquius in Meridiem ab his gentes reperiri, quæ belluis simillimæ, ac prorsus nigræ essent.

"Regio eiusmodi est," interloquitur Bichri, "quam visu dignam iudicaverim; hominem nigrum capere perquam optarem."

Animadverti interim incolas monilia, armillas, præbiaque e collo gestare, perinde atque inaures, quas aureas esse reperi, interrogantique mihi responsum est non in insula sed in continente tam in baccis quam velut micas a Garamantibus in ostiis fluminum inveniri, opeque vellerum in aquis intercipi.

Incolæ aurum suum haud maximi fecerunt, et nobiscum satis libenter erga quamlibet prope mercem, quam offerre libebat, campserunt; sic, v. g., erga nugas vitreas tantum mihi obtulerunt auri, quantum volá manûs continere poteram; erga eiusmodi merces autem, ut cultri, spicula, gladii, aurum æqui ponderis nobis dederunt. Gaudii felicitatisque meorum nullus prorsus fuit finis; et ægre tantum impedire poteram quominus cuncta sua arma divenderent. Sic Hannibal vendidit suam galeam cristamque; quin Ionas ipsam adeo tubam dimercatus est, palam gloriabundus se nunc ex auro solidam comparare posse, quá coram rege caneret; atque tanto denique amore huius delectabilis regionis captus erat, ut, si incolæ eius se in Numen cooptassent, paratus prorsus esset apud eos perpetuas figere sedes.

Binas híc omnino exegi septimanas aurum mercando, navesque reparando. Intervallum temporis ex opinione omnium iucundissimum egimus. Fertilissimum solum fruges, quas me nunquam vidisse usquam memini, uberrime profundebat. Vidi gustavique híc genus fructuum, alioquin spinis asperum, gustatu perquam delectabile. Valles malorum aurantium arboretis, quæ per sæcula creverant, virebant, colles autem et circumquaque montes sylvarum ac rubetorum ornatu luxuriebant, in quibus aviculæ flavæ, aliisque pictæ coloribus, suavi cantilená mortalium animos permulcebant. Bichri, qui plus auri quam ad bal-

teum pharetramque adornandam suffecerat, minime cupidus, cum Dionyso plures dies totos in his vallibus exegit, pluresque harum alitum cantillantium cepit, easque in caveis reclusit; sui tamen conatus operaque omnis preperam fiebant, nam aviculæ cunctæ, una post alteram, perierunt.

Quod vero ad Iudicem Gebal attinet, delitiis huius regionis ita capiebatur, ut, ne nobis elaberetur, catenulá nobis cavendum erat.

Verum enim vero, tempus anchoras solvendi pedetentim appropinquavit. Opere itaque naves reparandi ad finem perducto, inviti denique littoribus Archipelagi amicissimis, quibus nomen Fortunatarum Insularum imposueram, valediximus.

Semel alto potitus, cursum nostrum sine negotio constitui. Quum regionis auriferæ visendæ omnes nostrum cupidissimi essent, Bichri vero in proposito videndorum hominum nigrorum perseveraret, Himilcone adversante, ne iter in regiones nos duceret ubi nulla copia vini proveniret, eius tamen proposito posthabito, reliquorum omnium consilia probavi, iterque ad Meridiem fleximus.

Unum præsertim hoc nostro itinere animadvertendum, tamquam rem insolitam putavi, solem nempe non modo altius in vertice cœli ascendere, verum etiam Cabiros eadem ratione versus horizontem descendere. Himilco itaque conqueri cœpit, nos ultra tutelam Deorum enavigare. Hæc et ego mecum perpenderam, cogitata tamen non prodidi.

Post longiusculum versus Ortum iter, ora iterum ad Meridiem se flectere cœpit. Hîc demum evenit ut sol, qui in convexo cœli in diem altius ascendere videbatur, verticem attingeret, atque capitibus nostris ad perpendiculum impenderet, ac, denique situ omnino mutato, qui antea ad lævum, nunc iam ad rectum nobis lucere videretur. Noctibus quoque singulis alia, et iterum alia sidera, hactenus nobis nunquam visa, sub oculos venerunt. Hæc cœli mirabilia stupore tanto animos omnium nostrum perculerunt, ut non abs re censerem officiales meos omnes, ac nautarum quoque doctiores, in consilium convocare, ut arcanum hoc, quoad eius poterat fieri, declararemus.



Ex sententia Hamilcaris verosimile erat Deos cœli faciem quodammodo mutavisse; Hasdrubal nos fines mundi transgressos in terminos alterius mundi intrasse censebat; denique Himilconi visum est, nisi quid eiusmodi factum sit, mundum rotundum esse, nosque in alteram eius partem ingressos esse. Ut absona et absurda Himilconis coniectura cæteris omnibus videbatur, mihi tamen, ingenue fateor, meis propriis speculationibus ex multis partibus concordare sensi, idque mihi pro causa erat, quare suspicarer, si ita se res haberet, necessario sequi solem astraque stare immobilia, mundum autem nostrum circum ea volvi ac rotari. Verumtamen Himilco potius prodigium quoddam meditari, quam doctrinam tam miram et insolitam concipere mihi parebat.


Quum pluribus quæstionibus, quæ mea consilia essent, a meis premerer, quidque facere statuissem, ab eis interrogarer, mihi in animo esse dixi, iter versus Meridiem prosequendum; atque, si, postremo, oræ in Occiduum vergere inciperent, vel, quod mihi dumtaxat Occiduum videretur, ad Fortunatas Insulas reverti; at vero, ut ego animo anticipem, si ora in Orientem vergeret, persequendum putavi eá spe, ut postremo tamen ad Septemtriones flecteretur ac tum futurum esset, ut per Mare Algosum Ægypto potirer. Istud propositum totam terram Libyæ circumnavigandi, gubernatori meo perquam commendandum videbatur, Hannibali tamen, cæterisque terrævagis captum plane superabat.

Hannibal, quum viam nostram in Ægyptum memoratam audiret, obstupidum me contuetur, et sic fatur:

"Ægyptumne? quid, malum, tibi in mentem venit? Dum a Gadibus, fretoque continenter in adversam partem navigamus, tune in Ægyptum venire speras? Apage sis!"

"Æquo sis modo animo!" respondeo illi, "iter altero brevius eo reperire posse usque speramus."

Ipse caput dubitabundus quassavit. Quin et Hanno autumabat arcana artis navigandi profunda et abstrusa admodum esse, nec sibi ænigmata ista, studiis Sidoni vacanti, solvi posse videbantur.



"A, bone adolescens," redarguit Himilco, "amplius te peregrinari oportebat, insuper et astrorum cursus ac meatus rite perdiscere."

"Hanc peregrinationem," respondit Hanno, "cuique sufficere arbitraberis, ni fallor."

Sammai unum pro certo constare putabat, iudicio meo omnes se tuto concredere posse. Et hic fuit nostræ consultationis exitus.

Littora sæpenumero appropinquavimus in terram descensuri; verumtamen alibi nimium quantum desolata ac deserta, alias autem ita scatere nigris incolis ea comperimus, ut in aridum descendere non ratum arbitraremur, præsertim ubi clamoribus gestuque homines nigros nobis infensos esse deprehenderemus. Præcipue certá quadam nocte, ubi promontorium quoddam, cui ego nomen "Plaustri Deorum" attribueram, prætervecti essemus, clamor et vociferatio adeo minaces mihi parebant, ut a littore magis recedendum consultus ducerem. Tamen denique, commeatus noster adeo exhauriri cœpit ut præter descensum nihil nobis reliqui esset. Etenim Bichri, vicissitudinum omnium nunquam non patiens, iam de victu, qui e piscibus salsis modo constaret, conqueri cœpit; Ionas quoque de tenuitate portionum pro se, ac de penuria fructuum pro Gebal, obmurmurabat; Hannibal occasionem aurum comparandi neglectam graviter ferebat. His igitur rebus permotus, primum quam idoneus ad descendendum locus sese oblaturus esset, anchoras iacere, ac terram petere statui.

Locus, denique, ubi primum anchoras iecimus æstuarium erat fluminis cuiusdam, fere eiusdem cum Nilo, in Ægypto, magnitudinis. Ripæ eius utrimque sylvis erant umbrosæ.

Prope ad littus complures crocodili atque hippopotami in aquis lusitare videbantur, superne autem aves maiusculæ stridula voce clamitabant, dulcisonas cantilenas edendo.

Dies quaternos circumquaque in littoribus sylvisque contiguis divagati, nulla humana vestigia reperimus, in multos tamen fructus sylvestres incidimus, pluresque uros, atque antilopas iaculati sumus, quorum tergora e maxima parte in naves

comportavimus, saleque condivimus, et nova quoque piscium salgama fecimus.

Quodam die, ex expeditione huiusmodi quum reverterer, Bichri accurrit animo prorsus deiectus, eumque Dionysus in fletum solutus insequitur, moxque Ionas, admodum gesticulabundus, nec minus quam ille animo commotus, accedit.

"Quidnam rei, Bichri mi?" quæro ex eo.

"Gebal aufugit!" mœsto vultu respondet, "Bodmilcaris simii eam abduxerunt."

"Risum tenere non poteram. Bichri haud minus acerbo vultu me contuitus est, quam qui ad iugulandum me paratissi mus esset.

"Ego vero certo scio eos Bodmilcaris esse!" instat ipse; "belluæ erant cum longis caudis; ipsæ eam abduxerunt; sua enim sponte ipsa cum his nunquam aufugisset."

Nulla verba mea eum conciliare poterant, nec animum eius usque eo quidquam permulcere, dum copiam ei facerem ut aliquot sociis accitis, ad requirendam profugam iter susciperet. Sub vesperum tamen, itinere, vanoque conatu prorsus lassi, ut exspectandum erat, infectá re ad nos rediverunt. Nihil dubii subesse poterat quin simia, in societatem aliquot simiorum sylvas pervagantium inciderit, seseque illis adiunxerit. Unum solatium, et hoc dubium, Bichri mansit, cadaver cuiusdam grandis belluæ nigræ. Hanc ipse primum vulneravit, deinde alii, qui cum eo erant, quamquam bellua se mirá fortitudine defendisset, eam hastis suis sæpius configendo interfecerunt. Fera illa revera animal formidabile erat. Pellem eius postea efferciri curavi, et hæc in æde Astartes, Sidoni, etiamnum cernitur. Bichri postmodum nobis narravit hanc belluam immanem, etiam post senas septenasque lateribus hærentes sagittas, manubria iaculorum, tamquam meras arundines sine labore in frusta fregisse. Ad hæc Hannibal animadvertit per ratiocinium, vim quæ manubrium iaculi, e robore Basan factum, comminuere valebat, stupendam esse oportuisse.

Solvendum denique nobis erat quin ullum Gebal vestigium reperissemus. Post cursum circiter quatuordecim dierum res cibariæ nos iterum urgere cœperunt; ut vero inter nos quid

facto potissimum opus esset disceptabamus, Hannibal interclamavit:

"Gaulus præ nobis!"

Omnium oculi secundum indicium prorsum convertebantur. Nec id frustra; nam revera gaulus Phœniciæ artis ante oculos versabatur; verumtamen, ut accuratius perscrutati eramus, omnino eversus ac pro fluctuum arbitrio ferri videbatur.

"Quid si insidiæ Bodmilcaris ea res sit?" coniectat Himilco.

Suspitionem hanc haud spernentes, caute admodum appropinquavimus, nec antea ad latus accessimus donec ex omni parte certe nobis constaret plane neminem qui signis nostris responderet in navi esse. Erat ea omnino deserta.

Gisco aiebat se probe meminisse quondam ad Insulas Pityusas navim se sic deseruisse; istic autem idem factum fuisse existimabat; intelligere se tamen non posse quí fluxus marinus eum gaulum in istum dissitissimum locum deferre potuisset.

"Nihil," inquam "tu curaveris, unde is venerit, huc vectus bono nostro fieri poterit."

Hannibal et Himilco, qui eam conscenderant, mox reversi nuntiant, nec sine summo nostro gaudio, gaulum bene confertum frumento ac vino, quas res nos sine mora in nostram transvectavimus navim, eam autem vacuam vento undisque reliquimus. Sub vesperum Deæ Astarti, in gratiam suæ manifestæ in nos voluntatis sacra fieri iussi.

Postridie in conspectum promontorii admodum celsi venimus, cuius dorsum mensæ instar planissimum erat. Ventus interea satis vehemens coortus est, qui et sensim increvit.

"Noli ventum reputare," monet Ionas; "quid ego nunc iam ventos curem? Marsupium etenim nunc auri plenum habeo, ad edendum satis, ad potandum satis, et mox tunicam quoque coccineam. Male tempestas pereat! Dii regem servent!"

Ventus interea sensim augeri, violentiaque eius crescere cœpit, et ita quidem ut naves iam clavis regi nullo pacto possent. Quum vero post octonos dies vis procellarum ac turbinum recidere, mareque subsidere cœpissent, terra mihi a lævo sub oculos venit. Hæc secundum exspectationem meam evenerunt,

atque oras versus Septemtrionem vergentes ex proposito prosecutus sum, in diem spe magis firmatus, præsertim quum solem in eadem quam antea plaga exsurgere conspicarer. Nocte quadam amœnissimá, quindenos circiter dies postea, subito Himilco brachium mihi prehendit, animoque haud parum concitatus, digito horizontem ad Septemtriones indicat, voceque tremulá sic clamat:

"En, Cabiros!"

"Ita quidem, revera; illic Cabiri visuntur!" respondi ego, æque atque ipse lætus. "Rem prorsus inauditam perfecimus," subiungo, "Libyam[1] circumnavigavimus."

"Cras vero," inquit ipse, "solem iterum a dextro nobis orientem lustrabimus; sumus itaque in itinere versus Mare Algosum."

"Quin iam ad Mare Algosum? Iam Mare Algosum! Iam versus Sidonem, nostram propriam Sidonem; Sidonem gloriosam; Sidonem nulli æquiparandam!"

Nemo nobis testis interfuit. Nautæ in suis camis sopiti aberant; nos vero felicitate prorsus abrepti, alter alterum amplexabamur.

Mense uno post, quum in ostio fluminis cuiusdam hydrias nostras aquá dulci repleremus, homines aliqui nigri nobis obviam facti sunt, qui Æthiopibus, quos in Ægypto sæpe videre nobis contigit, simillimi erant. Horum unus Ægyptiace paululum callebat, quam linguam se in Æthiopia, quæ tunc Pharaoni pareret, se didicisse aiebat. Præterea docebat nos suam patriam sex mensium iter ab extremis finibus Meridianis Æthiopiæ abesse; quam procul tamen itinere maritimo eadem hinc distaret, nihil certi quod dicere posset, habebat. Hi homines nigri sese Cus[2] appellabant, et quum nullos unquam Phœnices vidissent, nos Ægyptios esse putabant. Postquam tamen certiores eos feceramus adeo abesse ut nos subditi essemus Pharaonis, ut Mitzráim[3] plane in numero inimicorum haberemus, confestim ut ami-

1. Africa; 61, *1*
2. Æthiopes; 61, *2*
3. Ægyptus; 61, *3*

cos nos consalutarunt, nosque omni humanitate exceperunt. Ægyptios se aspernari satis manifestum esse videbatur, et hoc propter crudeles, sine dubitatione, incursiones rapinasque, quibus fines horum Septemtrionales depopulari ac vastare consueverunt.

Per tres prope menses post hæc nulli fere venti ad cursum accelerandum nobis secundi fuerunt. Itaque interea otio ad negotia cum Cusitis agenda usi sumus, item ad expeditiones venatorias in regionibus circa. Cambia quoque subinde aurum, ebur, margaritas, pellesque erga nostras merces comparando factitavimus. Venationes in hac rcgione, quæ feris, præsertim elephantis, rhinoceris, camelopardalis, perinde ac minoribus maxime abundabat, fructuosissimæ erant. Nemo nostrum fuit, quin quoddam bonæ fortunæ, aut suæ fortitudinis venatoriæ trophæum exhibere posset. Bichri leonem traiecit, cuius ex pelle sibi pallium confecit. Imo et ipse adeo Dionysus, puellus, pantheram se cæcidisse merito gloriari poterat.

Tandem occasio nobis tam exoptata denique advenit, quá usi, vela sine mora ventis dedimus. Decimo a nostro digressu die, dum flabra Euri severiora mare verrebant, gaulus quidam Phœnicius nobis in conspectum se obtulit, qui incommodum quoddam tulisse videbatur, atque ab ipso vento agi. Signo ei dato responsum tuli partem remorum, item unam antennam amisisse, seque aliquo auxilio egere. Ad ferendam opem navibus in periculo versantibus quamvis semper essem paratus, tamen etiam insidias veritus, nautas meos sine mora evocavi, verumtamen Hannibalem catapultas in procinctu et apparatas habere iussi. Sic instructa *Astarte* ad unum latus gauli accedit, *Adonibal* vero alterum, *Cabiri* denique a tergo subsequitur.

At nulla sollicitudinis causa suberat quare timerem. Simul atque in conspectum alter alterius veneramus, navarchus in puppi consistens, passis brachiis exclamabat:

"Per Báal Sámaim! is certe Mago est!"

"Per Astarten, ac Deos Deasque omnes!" ego quoque exclamo, "consobrinus is meus est, Ethbáal!"

Tam inopinato sese invicem agnovisse, summo nobis fuit

gaudio. Naves nostræ protinus ad latera adstiterunt, manusque mutuo prehendimus multá salute datá et redditá.

"Quanto, Hercle, mihi gaudio est, Mago mi, te necopinato, ac tam insueto loco conuenisse!" iterum iterumque repetit ille; "Phœnice te iam pridem deperditum luget; nemo est quin te mœreat. Per Astarten, certe tu Deorum interventu salvus es."

Manibus humeris meis appositis, diu mihi in vultum contuitus est, veluti qui oculis minus fidem haberet.

"Duo," inquam, "me doceas, obsecro: ubi ipse sim, et quî fiat ut tu híc sis?"

Ethbáal multum miratus est, sed sic respondit:

"Mitte nugas, quæso; tu me ludis. Certe tu probe novisti ubi verseris!"

Certiorem itaque eum feci me prorsus serio loqui, asseruique identidem me revera nescire quibus in mundi partibus versarer; atque quum et Himilco eum docuisset nos e plagis venire, ubi Cabiri nequaquam viderentur, sol autem nobis a lævo latere surrexisset, stupens nos intuebatur, quasi quibus sensus sobrius desideretur. At ne tunc quidem relata nostra rectius intelligere videbatur, quum Himilco illi narravisset aliquando nos oleum piscarium potavisse, vinum autem per plurimos menses non gustasse.

"Ænigma mihi sane est," secum Ethbáal mussabat; "en Magonem, prope ad oras Maris Algosi, senum dierum itinere ab Ophir, et tamen e Meridie euın navigasse, postquam quaternis annis ante hinc Occasum versus, Tartessum iter instituisset! Prorsus capere nequeo!"

Aliquantulum secum deliberavit, tum sic prosequitur:

"Sic est, profecto," inquit, "prope Mare Algosum versaris."

His auditis lætus exclamavi; tum ad meos conversus, gloriabundus sic prosequor:

"Ecquid vos? num ego erravi? Nonne recte prædicavi nos versus Ægyptum navigare? Iuvat nos a Fortunatis Insulis reversos non fuisse; nonne et vos iam gaudetis?"

Ethbáal in sua suspitione me insanire confirmari videbatur, dixitque sibi de Insulis Fortunatis plane nihil constare:

"Ego vero de iis ne fando quidem audivi!"

"Nec mirum, utique; nec de Insulis Plumbi Albi, nec de Prydhayn, nec, porro, de flumine Suomiorum, nec, denique de Plaustro Deorum," interponit verba Himilco. "Vos, nobis comparati, meri errones littorales, ac venatores concharii estis."

Ut verus Sidonius, consobrinus meus nauticam peritiam suam ludi haud facile ferebat, et his verbis sui villipensionem interpretatus, non parum erubuit, ac voce graviori sic respondit:

"Quæ hæc tua insolentia est? Littoralemne erronem tu vocitas quemquam Ophir præternavigantem? Tune gaulum meum testam cochleariam ludis? Quidnam rei est: furisne, an es ebrius, lusce insane?"

Himilco ad officia sobrietatis sic revocatus, a vituperatione ad assentationem conversus est.

"Quin," inquam, "sodalis mi, tu etiam multo egregiora præstare vales, quam me, ioculatorem reprehendere. Dic potius obsecro, utrum in cavo tuo aliquantum vini habeas. Præclare feceris si utrem nobis protuleris; nam nos duos hos menses ne guttam quidem gustavimus."

Intercedendum apud Ethbáal censui rogavique eum ne omnino offenderetur, neque, siquid insolentius ab Himilcone iactatum esset, in malam partem acciperet, quod quum res gestæ nostræ revera fidem excedere viderentur, gloriationi aliquid concedendum esset. Ipse meam intercessionem non modo in bonam partem parato animo accepit, sed et misit qui utrem vini afferret, et hunc in pignus gratiæ, propriá manu Himilconi tradidit, monuitque eum ut Cabiris eo litaret. Gubernator autem tam longum haustum per fauces deorsum fundere cœpit, ut sodales eius mirarentur, ubi et quando haustus finem acciperet et iam desperabant ne fluxus vini deficeret antequam in ordine ad se veniretur.

"Præstantissimum vinum! Vinum Arvadicum, Hannibal!" inquit ille, labiorum poppismate utre avulso, cæterisque concesso.

Gisco et Hannibal utrem simul apprehenderunt.

"Euge, obsecro, sodales," alloquitur eos Ethbáal, "quin mittite certamen: copiá eius abundo. Imo nihil aliud oneris nisi vinum habeo ad Ophir deferendum."

"Possesne me quoque tecum eo deferre?" quærit Himilco avide; "paratus enim sum imperata tua facere."



CAPUT XXI

Regina Sabæ.

SIMVL ac ventus subsederat, Ethbáalis monitis obsecuti, naves nostras secundum eius præcepta reximus, suoque gaulo nobis subiuncto, iter versus Ophir occepimus.

Vespere facto, in puppi *Astartes*, ex instituto Ethbáalis, veram atque genuinam Phœniciam cœnam apparatam reperimus; caseus, olivæ, ficus, uvæ passæ, duplaque vini portio nautis dispensabantur; nos vero sedes in tapetibus præstantissimis cepimus, quæ in locum centonum lacerorum, quibus nos iam tam diuturno usu assueti eramus, sternebantur; ac nunc demum, post menses, quin profecto annos, dapibus Tyriis ac Sidoniis cum voluptate fruebamur, vinaque Byblica atque Arvad læti sorbillavimus.

Sic genio indulgentibus animi quoque nobis pedetentim ad dignandam occassionem erigebantur, nec fatendum arbitror quot pocula hauserim antea quam mea, quæ Ethbáal admodum cupiebat audire, pericla narrare cœperim.

Fari autem in multam noctem non desii.

Finitá denique narratione, Ethbáal, cuius audiendi animus ne minimum quidem languebat, sublatis ad astra manibus, Deos omnes obtestabatur iurabatque ea, quæ narraveram, digna esse quæ posteritati litteris aureis consignate traderentur. Memoravit deinde onus, quod ego Gadibus misissem, perinde ac nuntia Tyrum rite pervenisse; deinceps omnium civium consensu cunctos nos in oceano interivisse existimari, atque, quum nulla fama de Bod

milcare perlata esset, opinione omnium, vindictá ipsorum Deorum, ob suam perfidiam, sacramentumque violatum, eum perculsum fuisse existimari.

Post hæc Ethbáali aliquot eximias margaritas in donum obtuli; qui quidem primum omne præmium ob sua in nos merita abnuit, postremo tamen a me persuasus, donum grato animo accepit. Quandoquidem damna quæ gaulus suus pertulerat præsertim armamenta affecissent, non autem ipsam compaginem, et quum ultro subiunctam suam navim duxissemus, nulla causa suberat quare sollicitaremur, nosque solitæ quieti, quum per otium liceret, traderemus.

Postero die inter sermocinandum Himilco ex Ethbáale quæsivit:

"Ullamne pugnam, Navarche, ex quo solveras sustinuisti?"

"Pugnamne, ais?" quærit ille, "minime; et quamobrem?"

"Nempe si in nostra manseris societate mox senties eam nostram esse vicem. Nos etenim semper pugnamus, si non cum hominibus, quod quidem plerumque fit, cum feris sylvestribus; quod si hoc minus fiat, cum ventis fluctibusque colluctamur. Cæterum quo demum cunque nos vertimus certamen invitamus, quemadmodum promontoria tempestates. Certamina nostra fata sunt; quamobrem monitum te esse volo ut semper in procinctu sis."

Ethbáal ridebat. Sibi tamen videri arbitrabatur eam rerum gestarum partem iam præterivisse, foreque ut reliquum ad Ophir iter prospero eventu emetiamur. Tum ad me conversus interrogabat, quid in Ophir comparare mihi in votis esset, quum iam cognoverit me satis magnam vim auri, quod genus merces illic plerumque comparari solerent, in meis cistis congestam habere.

Docui eum itaque me longe maiorem copiam succini in mercibus habere quam auri; in votis mihi igitur esse aliquam partem eius mercimonii cum ligno santalino commutare, item res alias, veluti aromata, pavones, simias, aut quidquid regio ea mihi apta venum offerat, si visum fuerit, commercari.

Oræ Arabiæ saxis erant asperæ, sed sex dierum spatio prætemavigavimus eas sine periculo, quibus exactis Havilam, caput regni Ophir ac Sabæ pervenimus. Portus hic, Phœniciis absimi-

lis, nullas arces et munitiones, nullas crepidines, pavitos margines, atque armamentaria habet, tamen securus atque commodus portus mercatorius est.
Urbs in editioribus circum collibus exsurgens, aspectum amphitheatri præbet, fastigiaque albicantia, cum tholis fuscis ac rubris, virentibus palmetis intersecta, cærulo cœlo undique obiecta, aspectu iucundissimum spectaculum est. Passim etiam eminent templorum tholi ænei aurati, qui radiis solis collustrati micant et coruscant. Tametsi incolæ omnes fortunas totamque prosperitaten mari in acceptis referre debent, navigatione haud multum possunt; urbs tamen emporium frequentissimum est inter regnum nostrum Indiasque dissitissimas.

Regina ipsa omnis est in rebus quæ ad navigationem pertinent, cuius et regia in ipso littore sita est. Hæc e materia cedrina constat, estque cancellis ac mœnianis decora. Parietes regiæ omnes tabulis pictis, item, subinde lapidibus raris ac pretiosis, alias autem tapetibus, bysso, aliisque telis bistinctis ac variegatis ornantur.

Placere reginæ, eique munuscula se digna offere perquam cupiebam. Hoc consilio selectissima succini frustula conquiri, fiscellæque ex argento Tartessiaco affabre factæ digeri et imponi curavi, et eam propriis manibus gestans, cum Ethbáale præcipuisque officialibus meis ad portam regiæ me stiti, atque grande tympanum, cuius sonitu propositum in regiam admitti significari solebat, more consueto et ego pulsavi.

Mos reginæ erat sese in tentorio, tapetibus constrato et ornato, unde latissimus in mare conspectus patebat, continere. Ubi nos gratiam ac facultatem aditus petisse sibi nuntiatum esset, ipsa sine mora nos sibi sisti iussit. Itaque per pulcherrimum hortum ducti, ad regium tentorium accessimus. Circumquaque ingens plantarum multitudo, calycibus, foliis, floribus ac fragrantia mirifica, circa fontes salientes disposita, ad admirationem nos rapuit. Passim nitidissima tentoria ac paradæ, tapetibus et appendiculis versicoloribus exquisitissimis conspicua inter selectissima arbusta odorifera, et alioquin rara, digesta cernebantur. Nonnullis arboribus cum ramis patulis simii catenulis aureis erant deligati. Aves Indicæ, colorum pompá nitentes ac variæ, præpe-

tes in sublimi volitabant, pavones autem explicatis pennis mirá varietate pictis superbi semitas perambulabant. Cuncta quæ nobis sub oculos cadebant potentissimo terrarum imperio digna esse videbantur.

Nos coram prostratos regina confestim surgere iubet. Ipsa usque iuvenis formáque venustissima erat. Quamquam matronæ eam ad obsequia circumsistebant, virginesque in comitatu aderant, ipsa specie ac pulchritudine cunctas exsuperabat. Ornatus corporis, fragrantiá redolens, sumptum regium atque elegantiam prodebat. In crinibus circumque collum gemmas moniliaque gerebat, quorum pretio classis comparari ac sustentari posset. Cæterum stolá erat amicta auro acupictá, quæ imagines hominum, ferarum, aviumque præ se ferebat, quæ a fronte disclusa, indumentorum sub ea magnificentiam visui patefaciebat. Manicæ suæ ad cubitum usque patebant, et in carpis armillas pretio haud æstimandas prodebant.

Ubi primum in conspectum suæ pulchritudinis ac magnificentiæ veneramus, admiratio nos muto silentio perculit; at Hanno fere sine mora propius accessit, ausus que est oden quamdam Arabicam recitare ad hunc fere tenorem:

Ignibus æthereis Phœbes tua lumina præstant,
Quin radiis eadem paria Apollini sunt:
Orbium ex arcu celeres iaculare sagittas,
Fortia corda quibus vulnere, sæva, feris.
Quaqua terra viret gentes tibi iure parebunt,
Ipsa adeo gratiis diva natura tuis
Sceptra tradit. Gratiis? An sic memorare licebit?
Vincula quin ea sunt, tendiculæque animi.
Quid digitos vocitem? Labiis quæ attrecto quid aiam?
Claviculas aditus dixerim Elysii.

Lingua, quá incolæ Ophir utuntur, nostræ similis est; regina autem, quæ et Phœnicice bene callet, gratum sibi admodum prædicabat quod Hanno de se acroama cecinisset. Dein dona quæ obtuleram inspicere dignata est, tum me succinctam rerum gestarum itinerisque historiam narrare iussit, quá finitá, ipsa sur-

rexit ac nobis sequi iussis prodiit, ministris comitantibus, hortumque omni gratiá dignitateque Deæ cuiusdam peragravit, ut pulchritudines omnemque sui paradisi pompam atque gloriam nobis ostenderet. Priusquam illi valedixissemus nos ad se iterum visendum venire iussit, ut iter ingressuris quædam mandata comitteret.

Eodem vespere regina munificentissima magnum commeatus apparatum pro navibus donaque pro nobis misit, inter quæ iuvat memorare quædam pro mulierculis indumenta acupicta, unam tunicam coccineam, cingulum hyacinthinum, pro Hannone autem balteum humeralem auro ac sericá pictum.

Havilæ septimanam exegimus merces commutando cunctaque loci memorabilia visendo. Cives omnium fere gentium hanc urbem frequentare soliti, hic frequentes nobis occurrebant, uti incolæ Indiarum, Taprobanes, Æthiopi, denique, nonnulli ab ostiis Euphratis. Sabæ ipsi magnam cum Iudæis similitudinem ferunt, perinde atque cum Phœnicibus et Arabibus, nec nisi quod staturá paullo humiliores coloreque faciei paululum fusciores sunt, ab iis differunt. Regina tamen omni ex parte helvior est.

Aurum plumbumque album, perinde ac pavones, testæ concheæ, atque ebur, quæ hic præstinaveramus, ex Indiis erant importata; aromata tamen telæque ac vasa e vitro opaco etiam quidem e citeriori India, sed etiam e regionibus longius dissitis importantur, quo hominum memoriá nemini navigare contigit, nec intra minus quam duorum annorum spatio attingi eæ regiones possent.

Paullo ante quam naves solverem me reginæ iterum stiti.

"Monitum te, Navarche Mago, esse volui," fatur regina, "senem regem Davidem, qui te Tartessum miserat, ante annum et dimidium mortem oppetivisse, eique filium Salomonem in regno successisse, de cuius ingenti potentia, præsertim vero sapientia, miri rumores ad me perlati sunt. Regnum eius in oris Maris Algosi ad Sinum Elamiticum usque patere fertur, ubi etiam portum Etzi Geber ab ipso teneri perhibetur. In votis mihi est fœdus cum eo pangere, cuius rei negotium tibi concredo, et ex parte mea, huius rei gratia insigni huie regi donum trades, quod et me et eo dignum habeatur."

"Tuum est, regina, imperare, meum est obsequi;" respondi illi, profunde proclinatus, valeque dicere cœpi.

Ipsa tamen me demorata sic prosequitur:

"Ante tamen omnia, dic mihi, Navarche, amabo, utrum tu sodalesque tui, post tot exantlatos labores peregrinationesque prope infinitas, non adeo sitis laboribus periculisque confecti ut alterum iter, in meo servitio, perdurare nequeatis? Nuntiis edocta sum regem Babyloniæ, Assur, atque Accad, cum ingenti exercitu in itinere versus ostia Euphratis ad rebellionem quamdam opprimendam esse. Nemo prorsus meo proposito ita ut tu exsequendo par est. Enixe itaque vellem, si per te possem, nuntia quædam illi permittere, ac per te munuscula quædam eidem mittere."

Obtemperare voluntati reginæ nihil dubitavi; nec modo me velle edixi, sed et certiorem eam fieri volui iter nec difficile nec diuturnum futurum.

"I itaque, fortis nauta!" inquit regina suaviter renidens, "ego iam faciam ut præmium regium feras."

Itaque coram ea rursus me prostravi ac paullo post discessi.

Post horam Ethbáali valedixi. Is enim viá Etzion-Geber Sidonem revertebatur per canalem Pharaonis, ego autem cum meis omnibus naves conscendi aliud iter ingressurus.



CAPUT XXII

Belesys Comperit Bichri Paullo Graviusculum Esse.

ITER ad ostia Euphratis haud plus unius mensis navigatione absolvimus, quamquam partem itineris cum Arabibus, partem autem cum Gedrosiis Ichthyophagis adversæ oræ feceramus.

Sammai popularesque sui auditá senis regis Davidis morte a me enuntiatá, luctum unius septimanæ, more gentis, instituunt: ieiunant, vestem scindunt, crines ac barbas nec pectunt nec tondent ac radunt; septimaná vero exactá, se lavando multum sunt, regisque Salomonis, filii regis mortui, successionem lauti celebrant.

Ad ostia fluminis primo mane pervenimus, nulláque mora factá, penetrare, iterque prosequi cœpimus, donec ad oppidum nomine Oannes veniremus. Hisce in regionibus nulli lapides inveniuntur, proindeque, ut in cæteris circa Euphraten vicis, cuncta ædificia e lateribus fiunt. Munitiones quoque e lateribus, partim coctis, partim sole siccatis exstructæ sunt, atque bitumine coagmentatæ. A dextro oppidi usque supersunt quædam vestigia ingentium sylvarum, quæ, ut opinio fert doctissimorum quorumdam, tribus ante sæculis domicilia elephantorum esse consueverunt. Ex adverso latere, quam longe oculis patet, planities ac prata agrique segetibus virentes visuntur. Flumen oculis persequentes centena tentoriorum in agris inter segetes et sub umbris sylvarum conspicimus, ut fumus e medio eorum exsurgit, et hinc atque illinc greges equorum deligati pascuntur. In flumine paucæ naviculæ, et aliquot naves maiores, arte Phœniciá

factæ, in ripis destinatæ iacent. Conspectui tamen nostro maxime memorabiles videbantur turbæ militum, cum gladiis destrictis, alii cum hastis, qui quidem in manipulis tam in syvlis, quam in agris, pratisque, quam vero etiam secundum ripam fluminis dispositi erant.

"En exercitum Assyriorum!" docet nos Himilco.

"Diis denique sint laudes!" maximo gaudio eloquitur Hannibal; "iam nunc iterum licebit mihi oculos in exercitu quodammodo vero pascere. Vide sis, quem situm teneant! Videdum quam apte sciteque sint copiæ dispositæ. Officiales copiarum certe mihi cognoscendi sunt."

Nec laudes ulterius texere poterat; nam clamores intervenerant equitatûs versus nos ruentis, cuius præfectus sermone Chaldaico allocutus, nos naves confestim sistere, et qui essemus, edisserere iussit. E puppi navis meæ præfecto urbanissime quam poteram respondi, ipse vero, usque eo dum superiori responsum nuntiaret, locum, ubi steteram, tenere me mandavit. Circiter intra quadrantem horæ e castris quo iverat, cum turma equitum reversus est, cui robustus quidam vir præerat, cataphractá plená indutus, quique manu hastam gerebat.

Hannibal interim amico suo Sammai concinnum ordinem instructionemque scitam copiarum extollere pergebat: equitatum quidem Assyriacum præstantissimum esse non negabat, sed peditatum Iudaicum illi haud secundum esse contendebat, nec peditatum Assyriorum Iudaicis copiis pedestribus anteponendum esse. Antequam tamen rem inter se dirimere potuissent, Chaldæus ille e regione navium constitit, nosque inclamavit, mandataque tradidit, nostros præfectos e navibus descendere, se coram Belesy, summo imperatore regis sistere, quidque nobis velimus, quo proposito venerimus, aperire et explicare oportere.

Hanno satis Chaldaice intellexit probeque norat "belesyn" eá linguá "terribilem" sonare, et secum mussabat nomen idgenus quolibet homine satis dignum, quin et formidabile esse.

Sumptis itaque litteris reginæ Sabæ, et evocatis octo nautis qui munera reginæ portarent, accitisque postremo meis officialibus, simul ac naves deligare poteramus, in terram descendi et

ad præfectum illum accessi. Chaldæus iste procerus, vastoque erat corpore, amplo vultu maxillis solidis, largis ac profundioribus oculis, barbá spissá et hispidá, ut sociorum fere omnium, moribus autem prorsus erat agrestibus ac protervis.

"Heus vos marivagi, paullo celerius itate!" sic nos verbis procacibus lacessit; "mihi enim nequaquam lubet lentis gressibus equitare."

Primum nos per spatium deduxit septem essedis multisque carris referctum; dein locum præterivimus tentoriis peditatús plenum, quorum maxima pars Mesopotamii, securibus, lanceisque armati erant, hi vero lineamentis vultús Iudæis admodum similes esse videbantur. Non multum ab his aberant legiones Medorum, qui quidem cives erant gentis nuper tantum subactæ, cuius tamen maiores seriem quondam regum Ninivitis tribuerunt. Hi staturá mediocri, sed ampliore ac rotundiore capite, rariore barbá, oculisque parumper obliquioribus erant. Severitas vultús istorum, cum truci aspectu nobis protinus in notitiam venit; quibus si addimus gladios, breves, firmosque arcus, dubitare non licebit quin hi in prœliis maxime formidabiles habendi sint. Prætereuntes satis clare audivimus eos scommata convitiaque in nos iactare, ac risu nos prosequi. Mox turba obstreperúm linguosorumque Arabum seminudorum nobis obviam facta est. Isti cum suis camelis semper in comitatu regum Assyriorum deprehenduntur. Inter hos agnovi aliquot Midianitas, servorum mangones, perinde ac nonnullos mercatores Phœnicios, qui exercituum susceptores esse consueverunt, summum tamen lucrum e mercatu captivorum, et e præda militum conflare solent.

Hinc ad sedes equitatús progressi sumus. Ante tentorium stabamus rotundum, tapetibus laute pictis undique ornatum, cuius præsidium pedestres Cardaces erant, cum galeis cristatis et cataphractis, sutis cruralibus induti, parmis instructi, pro armis autem clavas manibus gerebant. Hoc erat tentorium Belesys terribilis.

"Intrate!" mandat præfectus equitatús, qui huc nos duxerat, ac per lusum subiungit: "Interim fore spero ut dux exercitús nostri belle excepturus, et pro re nata, vultum in comem mutaturus sit."

Edito tum resonanti cachinno, tolutim abequitavit.

Custodes Cardaces minutá diligentiá nos perquisiverunt, tum, voce submissá, inter se consultabant. Vestimenta Hannonis videbantur eorum sollertiam singulari modo capere ac devincire, utpote qui pretiosis iis vestibus indutus erat, quas a regina Sabæ dono accepisset. Unus itaque eorum ad hunc conversus quæsivit ex eo:

"Dic velim, tune navarchus es?"

"Minime," respondit illi Hanno, et me digito indicans, "iste Navarchus noster est."

Cardaces stupefacti mirabantur.

Ego nempe habitu navali quotidiano eram indutus; quoniam vero Assyriis solemne est dignitatem e pretioso indumento æstimare, meam simplicitatem exteriorem aliunde quam e simulatione coniectare non poterant.

"Tune Belesyn convenire cupis?" quærit custos. Me probante, penetrale ingressus est, moxque reversus, facultatem nobis intrandi fecit.

Imperator exercitús Assyriorum in ulteriori parte penetralium tentorii, turbá officialium servorumque circumdatus, in grabato reclinis, vel potius porrectus, nos excepit. Lautissime erat indutus, nullam tamen cataphractam gerebat. Utrimque milites armati eum circumsistebant, duoque pocillatores vino parati aderant, quibus tamen in præsenti ipse vix egebat, quandoquidem iam utique plus satis ingurgitavisse videbatur.

Uno Bichri dempto tentorium ingressi, profunde nos inclinavimus; verum iuvenis sagittarius, qui non semper morem conciliatorium præ se ferre solebat, ad ostentandam urbanitatem parum videbatur, ut nos cæteri, proclivis.

Uno pocillatore submoto, nempe qui visui ipsi obstabat, Belesys protinus in nos invehitur. Vir ille erat procerioris staturæ, demissá hirtáque barbá, labiis tumentibus, maxillis firmis, crinibus denique unguento delibutis ac fulgentibus. Ad latus eius adiacebat genus scipionis, cum figura capitis taurini. Ut oculos in nos coniecerat, caput quassare, oculos retorquere, omnibusque vultús lineamentis in torvum distorquere cœpit, quod totus suus comitatus, veluti per adulationem imitaturus, pror-

sus idem fecit. Interea nos taciti exspectabamus donec ipse fari inciperet. Denique, ad confirmandam nostram suspicionem, eum prorsus ebrium esse, boare in nos cœpit:

"Videtisne hos duos grandes nebulones? Videtisne istum muculentum ephebum cum arcu? Apprehendite illos, numeretisque iis quinos et vicenos ictus scorpionum singulis; postea autem adnumerate eos meis sagittariis. Aspectum eorum minime aspernor."

Plane attonitus, linguam refrænavi. Nullá ratione habitá Hannonis pugno gestientis oculisque micantibus eius, loqui singultiendo pergit:

"Iuvenculum illum cum aureo balteo humerali, nudum exuetis et inter servos relegabitis. Cætera avium terriculamenta nihil moror, pro arbitrio de iis statuetis; est tamen inter illos turpis quidam scordalus, luscinus, eum pendetis, vel detruncabitis, ut vobis videbitur, quo citius eo melius."

"Quid?" furore abreptus vagit Himilco, "tune scordalum luscinum me vocitas? Quin et Navarchum nostrum, Præfectum classis Phœniciæ, audes contumeliis verborum lacessere, ac terriculamentum avium nominibus vituperare ac maledicere? Dii Deæque te omnes — —"

Belesys in cachinnos effusus est; tum mandata ad suos, ut nos apprehendant, repetit, sumptoque e manu proximi pocillatoris poculo vini, eoque uno haustu deglutito, poculum in faciem hominis reiecit.

"Capistrate eos! inquam," magno boatu eos adoritur.

Aliquot eorum ad imperata exsequenda accedunt. Ego manum eius, qui me attrectare tentabat, averti. Hannibal Chaldæum, qui eum prehendere tentabat, in terram deiecit, pugno illi celeriter inter oculos illato, haud absimili modo quo Cimbrum Prydhayniensem. Sammai Celtarum more, adversarium, medium stomachum eius arietando, prostravit. Bichri, omnium nostrum obstinatissimus, qui et pernicitate inter nos plurimum poterat, aliquid longe asperius et insimul efficacius audere statuit. Tigridis instar sese in Imperatorem super grabatum præcipitavit, fixoque in pectore eius genu, alterá manu barbam eius pre-

hendit, alterá autem sicam gutturi eius ita admovit ut mucronem eius dux sentiret.

"Capitale et egregium facinus, Bichri! bene fecisti!" clamat Hannibal, stricto gladio.

"Tenetodum fortiter, Bichri; et Dii servent Regem!" vociferatur Sammai, Hannibalis secutus exemplum.

Ego et Hanno, ex instituto nostro, tueri quam aggredi satius ducentes, gladios strinximus. Himilco, celeri dexteroque nautis proprio flexu manús, quo terricolas subvertere solent, alterum Chaldæum prostravit. Cæteri quoque nautæ mei, rerum statu cito perspecto, suis manipulis depositis, copides in promptu habuerunt.

"Visne eum iugulem?" quærit ex me Bichri placidus et compositus.

"Siste parumper," respondi illi, "dum cum eo colloquar."

Propius itaque accedens, ut dux me clarius audiat, sic eum alloquor:

"Belesys, si vel clamaveris, aut obstiteris, sica illa gulam tuam penetrabit."

"Milites," inquam, ad eos nunc conversus, "simul atque quisquam vestrum manum sustulerit, aut opem duci vestro ferre tentaverit, cadaver, non ducem vestrum cernetis."

Propinquitas sicæ Bichri ad gulam eius ducem ex ebrietate ad sobrietatem videbatur revocare; ac proinde voce multo magis temperatá ac submissá, milites servosque suos, ut æquo bonoque essent animo implorabat, qui obsecuti ad latera tentorii pedes retraxerunt.

Bichri interea dum cantilenam quandam suæ gentis Beniaminiticæ incipit, alterum quoque pedem de industria sublevat genuque pectori ducis insistit,

"Ephebe," gemit dux, "tu me suffocas; sine ut respirem, sine me spirare, obsecro."

"O, tu nugas agis," Bichri respondet, quin spatium unius digiti cesserit; "satis scio quid agam. Cæterum nec sum tam ponderosus."

"Sine ut exsurgam!" ingemiscit Belesys; "quin etiam ego

nihil nisi iocatus sum; si mihi libertatem concesseris, regio modo te munerabor; cededum!"

"Ad libertatem tuam quod attinet, nihil mei negotii est; id omne penes Navarchum Magonem esse scias; nemo apud nos mandata nisi Navarchus impertit: eum fac exores!"

Ad nutum meum, ut facultatem spirandi illi concederet, Bichri alterum pedem in terram demisit, quin tamen sive manum in barba relaxaret, sive vero sicam a gutture eius amoliretur. Belesys graviter halitabat; vultus vehementer expalluit, sudorque gelidus in fronte eius oboriebatur; unde nec amplius dubitandum erat quin iam omnino sobrius factus esset. Nunc demum de navarcho percontari cœpit, misereque eum implorare, ut aggressorem suum compesceret. Himilco nihil moratus dum ego eloquerer, eum ludificare cœpit:

"A, numquid tu tandem vetusculum avium terriculamentum videre concupisti? En et me, luscinum illum scordalum præsto habes. Longum, crede mihi, diuturnumque iter est Liybam omnem circumnavigare, ut collum tibi præcidamus, nihilo tamen secius pretium operæ erit id suscepisse, si vel inde didiceris saluti tuæ ita consulere, ut ipse tu ex omni turba tua solus ebrius ne fueris."

His dictis, erepto poculo vini e manu alterius pocillatoris, illud exhausit, poculum autem vacuum in vultum ducis coniecit.

"Humanius, velim, agas!" rogo gubernatorem iracundum, manu humero eius illatá, "Belesys enim rerum nostrarum omnino ignarus fuit, ac prorsus præter se; nec sciebat nos regi suo dona tulisse."

Assyrius auditis his verbis adeo contremuit, ut collum suum imprudens sicæ paululum illideret, quam Bichri gutturi suo usque imminentem tenebat. Protinus ipse aliquid de suo illustri rege clamitare cœpit, quem nomine Belochum II-um memoravit; ego tamen eum præstare commonefeci submissiori agere voce, quod monitum Bichri, manu in gula eius arctius compressá, ut clarius intelligeret, confirmavit.

"At ego iocabar solum; te autem iocorum patientiorem esse deceret;" respondit ille. "Modo iube hunc adolescentem ma-

num in gutture meo laxare, ego autem iuro per omnipotentem Nisroch, me ne capillis quidem in capitibus vestris ullam noxam illaturum. Anne nunc iam fidem mihi habebis?"

"Necdum prorsus;" respondi leni risu.

Nunc iam mihi ius competere arbitrabar cum eo per ioca, affectatamque urbanitatem ac reverentiam agendi, proin sic eum alloquor:

"Nunc vero, vir fortissime, Belesys, serve potentissimi Belochi, visne mihi gratiam visendarum nostrarum navium largiri?"

"Volo, equidem. Sum paratissimus. Protinus veniam."

"Sumemus otium," prosequor ego. "Ausculta modo. Æquum esse, ut honores omnes tuæ dignitati debiti et condigni a nobis exhibeantur, tibi certe palam est. Quamobrem, eo profecturus inter Hannibalem atque Sammai ambulabis, qui gratiá honoris strictis gladiis te comitabuntur, Bichri autem te a tergo sequetur, quod æque honoris causá fiet. Quum vero navim ingressus fueris, illic permanebis donec ego regem convenire possim. In navi autem, ut iam probe audisti, solus navarchus mandata impertit."

"Leges tuas me satis perspicere existimo," respondit ipse. "Visne me tecum ire? Prorsus intelligo. Sum itaque tuus; si clamorem civero tu me interficies; quum vero in navi fuero, obses tenebor."

"Recte intelligis," inquam.

Himilco nequam eum iterum ludificare cœpit, quæsivitque utrum plusculum vini elicere nequiret; at bellidux nihil respondit, sed oculis clausis secum alte cogitare cœpit. Bichri interea in pectore sui captivi ulterius sedere perrexit. Hic, quamvis indignitatibus prorsus opprimeretur, tamen tantam iuvenis admirationem concepit ut maximis oblatis opibus eum ad partes suas trahere et in suum servitium illectare tentaret.

"At tu, age, descende! descende, inquam, te obsecro," obtestabatur dux adolescentem; "mihi crede, tu longe onustior es quam tu ipse existimare videris."

Bichri nihil quidquam respondit, sed sibilare cantilenam

perrexit, seque interea in ventre ducis sursum deorsumque agitabat.

Himilco interim uni pocillatorum clam subduxit lagenam vini, obtestantem paucis pugni ictibus perdomuit veluti gratias illi relaturus, ac tunc demum se egregie delectare aiebat.

"Agedum, Bellidux, procedamus!" eum alloquor; "nihil attinet diem hîc totum pessumdare; fieri enim poterit ut interea quis intret; iamne cepisti consilium?"

Loco respondendi incertum motum tentavit; Bichri truci aspectu sicam propius ad gulam eius admovit.

"Sic, Ædepol, ibo vobiscum," respondit subito. Profecto mea solius culpa fuit totum."

Profectionem itaque quo statui modo et ordine paro. Salvá omni honoris specie, Hannibal atque Sammai ex utroque latere Belesys locum suum ceperunt, Bichri autem usque secum sibilans, a tergo solus subsecutus est. Ego cum Himilcone atque nautis, qui manipulos suos iterum collegerant, agmen clausi.

Relicto tentorio, ut in medium progressi sumus, castrenses omnes quos præteribamus, in summam Ducis reverentiam in terram se prostraverunt; ego vero, ob profundam inscitiam tantæ multitudinis veri rerum statûs vix risum continere poteram. Belesys ne verbum quidem interea protulit, nec ullo indicio suam conditionem significavit, atque intra dimidiæ horæ spatium in stega *Astartes* ipse constabat, testis salutationis solemnis, quá me reducem nautæ excipere soliti sint, taciturnus.

"Ad loca vestra!" amice alloquor nautas; "en vobis illustrem Imperatorem exercitûs Assyriorum qui nos visitando naves cohonestat."

"Et in animo ei est," subiungit Himilco, "vos duplici portione vini donare."

"Dii servent regem Assyriorum! Dii servent illustrem suum Imperatorem!" magno clamore omnium vocibus consalutant eum nostri.

Belesys, qui usque pallido erat vultu, invitus subridebat, atque hilaritate quadam simulatá paratum sese spopondit non modo ad præstandas duplas portiones vini, verum etiam ad eos aliquot ovibus bobusque donandos. Nostri iterum cum magno

clamore plausuque verba Ducis exceperunt, et Hannibale præeunte cum militari salutatione illi gratias reddiderunt. Sammai nihil nisi humeris gestiebat, Bichri vero facere non poterat quin Dionyso patefaceret hunc hominem, qui nunc ante se staret, nihil esse nisi ignavum et ebrium heluonem, qui quinquaginta hominum millia ad nutum et voluntatem plagis et flagellis regeret ac terreret.

"Illi igitur Græci non sunt;" iuvenis Phocæus respondet, quippe qui verberibus minime obtemperarent."

Belesys erubuit: casu enim exceperat verba quæ híc serebantur, eademque admodum ægre tulit. Offensionem quidem animi dissimulare conabatur, mecum tamen collocutus annotabat se arbitratum esse Phœnices negotiis mercatoriis adeo esse deditos ut ea, quæ ad regendam Rempublicam pertinerent, nihil omnino curarent. Hannibal iam prope exempla Adonibalis, Suffetis Navalis Uticensis, in adversam partem allegaturus erat, quum protinus animadvertimus partem exercitûs Assyriorum ex una parte fluminis in alteram transduci. Universum flumen navibus atque ratibus erat opertum, quæ carros et essedas vehebant, in puppibus autem milites videbantur, qui frænis equorum tranantium capita sustinebant. Copiæ pedestres utribus inflatis transvehebantur. Cæterum res omnes summá confusione, nullo certo ordine ac disciplinâ gerebantur. Complures gregariorum miserorum undis absumpti erant, quod tamen centuriones, qui in ripa flagris descendentes urgebant, parum curare videbantur. Certo quodam loco animadvertimus quemadmodum captivi ante quemdam tribunum in catasta sedentem præsidio circumdatum, ducebantur. Verosimile nobis parebat oppidum quoddam fuisse captum. Simulacra Deorum, magna copia prædæ primum ante pedes tribuni disponebantur, deinde captivi, viri, mulieres, pueri coram eo sistebantur. Misera illa erat turba, exspes et abiecta. Virorum plurimi catenis et compedibus æneis erant vincti, cæteris fere omnibus manus a tergo erant colligatæ, atque cuncti ad prosternendum se coram tribuno adigebantur, qui colla eorum pedibus calcabat. Tribunus nonnullis pepercit, eosque vitá donavit; multo plures tamen extemplo pensi, partim obtruncati periverunt, sociis malorum inspectantibus.

Animadverti etiam ex omni numero horum miserorum quaternos selectos missosque, qui sudibus in propinquo tumulo terræ defixis adigerentur.

Spectaculum hoc erat visu omnino horribile. Sammai atque Hannibal testes iam antea fuerunt eventuum huiusce generis temporibus belli in proprio regno; verum Aminocli, suisque popularibus Græcis, de humanitate deque humana libertate longe aliter videbatur, spectaculum rerum hîc gestarum prorsus ferendum non erat, nec dubitabant asserere se mori, quam tantæ talique servituti obtemperare, malle.

Dum has crudelitates sævitiamque contemplaremur, nuntii a rege advenerunt ut a me, quis essem, quid et quamobrem venissem, sciscitarentur. Paucissimis quam poteram verbis docui. Post elapsam circiter unam horam unus eorumdem nuntiorum rediit ut in conspectum regis Belochi nos accerseret. Præter Hannonem nautasque qui reginæ dona portabant, accivi neminem. Itantibus nobis Hanno alte silebat, veluti qui acroama, quod regi gratum futurum esset, meditaretur. At hic præclarus conatus ad nihilum recidit, quandoquidem nobis ad regem propius accedere datum non erat, sed magnificentiam eius e longinquo solum nobis spectare licuit. Centum circiter a solio passibus nos prosternere iussi eramus.

Rex Belochus II. sub umbra arborum in solio ita erat circumseptus a prætorianis, pocillatoribus ac ministris, cum flabellis et umbraculis, perinde a servis, muscarias agitantibus, ut diu nihil viderem nisi tiaram eius, quæ magno fulgore micabat, item partes indumentorum mirá arte pictorum, ac denique nudos pedes gemmis coruscantes. Postremo tamen ministrorum turba patescere in utramque partem cœpit, quo facto, facultatem nactus sum in tanta adstantium turba faciem ipsius regis contueri Longi capilli ex una parte, ex altera vero demissa cincinnaque barba vultum eius cinxerunt.

Milites utrimque longis ordinibus stabant, in medio autem veluti xystus patebat. Centuriones aliquot ad nos accesserunt, ut quidquid documentorum munerumque attulissemus, exciperent: quo facto, iterum nos prosternere iubebamur; hoc autem peracto, prætoriani regis nos ad naves nostras reduxerunt. Eo

quum veneram, Belesyn tædio captivitatis admodum gravatum reperi, cupidumque libertatis obtinendæ. Quum vero eum monuissem necdum me eum libertate donare posse, opusque esse ut breve dumtaxat tempus captivitatem perduret, et hoc veluti obses, gratiâ meæ securitatis, admodum excanduit.

Post circiter horæ spatium aliquot litteræ in capsula aurea ad reginam Sabæ datæ a rege ad me perlatæ sunt. In vicem munerum a regina missorum quædam res frumentaria ieiuna, item aliquot telæ pannique pro me sodalibusque a rege missa sunt.

Sic itaque omnia mea officia feliciter ad finem perlata sunt, nec quidquam supererat quare hîc diutius morarer; hinc protinus consilium naves solvendi cepi.

"Iam per me licebit ut hinc abscedas;" sic allocutus sum captivum; "ut amici invicem valedicamus."

Belesys graviori suspirio animum sublevavit.

"Multum me delectat," inquit, "te verbis tuis stare."

Hilari risu verba eius excepi.

"Num me putavisti te retenturum? Quidnam boni tu mihi præstare potuisses?"

"Ulcisci iucundum est," respondit ille; "verebar nempe, ne contumeliam a me acceptam inultam præterire non sineres."

"Inde colligo ita te meo loco facturum fuisse. Cæterum, mihi crede, generosum atque liberalem fuisse multo esse iucundius quam malefacta ulcisci."

Belesys ad hæc nihil nisi subrisit.

"Manus, quæ præcidi nequit," tandem respondit ipse, "mulcenda est."

Diligentem operam dedi interea ut antequam ipse a nobis discederet, probe cerneret scorpiones missilibus oneratas, ac pro omni eventu paratas, quibus ostensis dimisi eum omnibus honoris dignitatisque officiis per speciem erga eum rite observatis.

Navi descensurus omni arte ac pollicitationibus enitebatur, si forte iuvenem Bichri ad suas partes perducere et ad sua servitia perlicere posset. Honorem tamen hunc, tanta industriâ oblatum, iuvenis firmo animo identidem accipere renuit.

CAPUT XXIII

Rationes Nostras cum Bodmilcare pariamus.

SATIS iam advesperaverat quum ad brevia fluminis perveni, sed quum tempore nocturno iter tentandum non iudicarem, satius duxi sub anchoris pernoctare. Quædam minora Chaldæorum castra nobis in conspectu erant. Ego tamen, nequid Belesys insidiarum nobis moliri posset, diligentiori curá cavi.

In ripa fluminis haud pauca tabernacula e ramentis confecta stabant, in quibus aliquot mercatores Phœnicii a militibus prædas mercabantur et cambiebant erga vinum. Himilco et Gisco, compluresque alii, impensiori se aiebant prodeundi desiderio flagrare, quibus ego copiam votis potiundi, tametsi sciebam eos nihil nisi potaturos, ac de rebus suis gestis gloriari velle, nullo pacto negare poteram. Unum nonnisi stipulabar, ne extra auditum discederent. Binis circiter horis post, cupidus sciendi quid rei in emporiolo tam alacri ac strenuo, plurimisque lampadibus collustrato, gereretur, accitis Bichri atque Ioná, in cymba ad ripam remigavimus. Iam in ripam egressurus animadverti duas naves secundum flumen vectas, et e medio flumine versus ripam tendentes, quasi prope nos, paullo infra, anchoras essent iacturæ. Eas minores secutus est gaulus, qui prope adversam ripam sequebatur; sed quod et flumen nimis latum erat, et crepusculum perquam opacum, formam eius discernere haud poteram. Præterea, quum ignarus non essem frequentissimam híc mercaturam servorum vigere, minus curiosus, rem neglexi.

Himilconem et Gisconem ferventissimas cum Chaldaicis militibus loquelas conserentes reperi. Milites horum res gestas, mirabiliaque omnia, de ingentibus cervis, de putido oleo piscario,

de sole ex adverso latere lucente, cæterasque idgenus, absque dubitatione tamquam fabulas Milesias, si non ut audacissima mendacia, æstimaverunt. Quidam eorum asseverabat prorsus neminem illi persuadere posse, plane ullam gentem adeo esse ab omni humanitate alienam ac remotam ut Ionam, hominem mortalem, sui omnino similem, in numerum Deorum retulerit, eumque ut Numen venerata sit. Ad hæc Bichri respondit, nec sine contemptu, sibi non liquere quare Ionæ minus quam Nisroch ab ullo cœtu tribui posset, aut deberet. Gisco autem subiunxit se iam omnia credere doctum esse, quum intelligeret Assyrios, nullo adversante, tolerare ut ipsis ab eiusmodi hominibus velut Belochus, eiusque Dux Belesys, ad arbitrium imperetur.

Chaldæus tanto probro Deo, regique suo, illato in furorem actus, dira ei minabatur, fore ut cuncta eius sub cuti latentia ossa comminueret; ad quæ Gisco responsum regessit se prorsus paratum ab eo in pugnam, vel singulare certamen, provocari, et cum eo, quo demum cunque modo visum esset, decertare, sive ut incolæ Prydhayn, sive vero ut incolæ Ar-Mor, uti libuerit.

"Ego vero," inquit Himilco, "consultum non duco ut tu nobiscum armis decertes: nos, enim, quocunque nos divertimus, vincimus; Siculos, Garamantes, Suomi, Germanos, omnes ex ordine profligavimus. Peragravimus terras ad flumen Illiturgis, Montes Pyrenæos, Carpentum Deorum, Insulas Fortunatas, ubi quantum cupivimus auri comparavimus. Nihil prorsus est quod nobis non e sententia succedat. Quamobrem nihil tibi satius esse arbitror quam a molestando nos desistere."

Exstupuit Chaldæus tantá nominum eluvione auditá, quæ Himilco volubili linguá effundebat, et quasi sui purgandi causá, sic ei leniori voce respondit:

"Vos, Sidonii, certe miri estis viatores. Ipse Cardax sum, et mirum mihi molimentum perfecisse videbar, quum e dissitissimis montibus nostris hucce venissem. Ergo terrarum orbis longe maior est quam ego existimavi."

Alter quidam Chaldæus, auditis sermonibus, ex sua parte adiecit, se quidem Tartessi nunquam fuisse, modo tamen Tartesium quemdam vidisse.

"Tune ais modo Tartessium vidisse?" mirabundus quærit Himilco, "ubinam, rogo?"

"In regiis castris. Ipse in societate erat navarchi Phœnicii, qui sub rege Belocho servitium iniit."

Tremor mihi omnes artus percurrit. Ictu oculi gaulus duæque barcæ mihi in mentem venerunt, ac tota prorsus res in animo mihi clarescere cœpit.

"Quidnam nomen ei est? obsecro," Chaldæum interrogo, "efferto eius nomen, siclo te donabo."

"Fac binos, tum dicam tibi."

Proieci illi nummos, quos ipse collegit et in crumenam abdidit. Hoc facto abire cœpit, quid opus esse dictitans nomen navarchi nunc effutire, quum iam sibi solutum esset. Ob hominis proterviam furore abreptus iam violentas illi illaturus eram manus, quum quidam Phœniciorum mercatorum se ingessit:

"Quid attinet ob insolentiam nebulonis furere? Iam ego dicam quod velis: nomen navarchi Bodmilcar est; estque Tyrius."

Nomen ipsum audire satis habebam. Idem omnes mei mox exceperunt, ac temporis momento iter ad naves nostras habebamus. Simul ac stegam attigeramus, consilium omnium præfectorum inivimus, eisque confestim patefeci Bodmilarem infra nos, spatio paucorum remulcalium longitudinis in insidiis iacere; eum cum regio exercitu iunctum armorum societate, esseque perquam verosimile ut Belesys nos a tergo adorturus esset. Quam triste id futurum esset, monere meos pergebam, si nostra cœpta, hactenus tam prospera, ab exsecrando inimico nostro denique frustrarentur.

Sammai atque Hanno verbis contendere cœperunt uter eorum Bodmilcarem occisurus esset.

"Modo ego illi in longitudinem manus occuram!" minatur Sammai.

"Quin ego eius rivalis sum, et manu meá illi cadendum erit," animo accensus ruboreque perfusus clamitabat Hanno.

"Nolite fatuari, ephebi!" interpello eos; "mittite nugas; multo graviora nobis impendent. Curate vestra officia. In alveum nobis enitendum est."

Omni cautelá adhibitá solvimus et ad ostium fluminis ire maturamus. Itaque *Astarte* medium fluminis cursum intrat, *Adonibal* sibi a recto, *Cabiri* autem a lævo. Lumina cuncta restinximus. Nautæ omnes, sanguine concitato, armati sua quisque loca tenuerunt, oculisque intentis tenebras intuebantur. Bichri sagittas in constrato prope ad manus disposuit, ipse conquiniscens inter Dionysum atque Ionam arcum intentum tenebat. Tubicen asciolá grandiori in cingulo erat armatus, ephebus autem Phocæus arcu sagittisque pro subitaneo usu apparatis erat munitus. Himilco, machærá scutoque in manibus, in puppi stabat, præceptaque gubernatori impertiebat. Hannibal atque Sammai suas quisque ante copias stantes suspensis pedibus adventum hostium speculabantur.

Circa diluculum sonitum percepimus aquarum e regione syrtis ruentium; et per rarescentes tenebras satis clare perspiciebamus tres Bodmilcaris naves, ut eæ exitum in ostio præcludere nobis nitebantur. *Melcarth* in medio erat posita. Constrata omnium trium turbá hominum armatorum scatebant, cunctis eorum galeas gerentibus. In littoribus prorsus nulla hominum vestigia cernebantur.

"Profluvium nobis favet," inquam, "aggrediamur itaque opus, si ita videbitur, succensoriis."

Sine mora aliquot tabulæ flagranti materiá oneratæ aquis mandatæ sunt.

Eodem fere tempore Ionam ad impetum faciendum tubá signum dare iussi. Nec hostes segnes se præbuerunt, et provocantibus nobis celeriter responderunt, ac brevi post tela versus nos provolarunt, quibus nos pari grandine telorum respondimus et sic pugna ipsa hoc in modo initium cepit.

Quandoquidem *Melcarth* meá curá ædificata erat, non eram nescius ita firma robustaque eius statumina lateraque esse, ut arietando nostrá prorá nullum detrimentum illi inferre possemus, nec minus habebam exploratum insolitam laterum eius altitudinem ipsis præ nobis ad obruendum nos telis ingenti commodo esse; probeque sensi eam a nostris ad comminus pugnandum nullo pacto conscendi posse. Verumtamen, vicissim, et debilitates eius mihi probe cognitæ erant. Ipse ego experientiá

edoctus eram ingentem molem onusque segnem ad movendum ac tardam reddere; quamobrem statui, si id fieri posset, usum huius debilitatis capere. Postquam itaque sciscitando a Himilcone, qui de alveo fluminis satis cognoverat, certior fuissem factus tantum aquæ a *Melcarth* calcari, ut in longitudinem remulcæ ab eo, quo nunc sita esset loco, ad rectum recedere non posset, omnes meas naves, quæque quantum par esset, materiam flammificam in eo coacervare iussi. Hoc constituto, per signa *Cabiros* accersi iussi; quæ quum ad latus nostrum pervenisset, accito Himilcone, eam conscendo, *Astarten* autem curæ Hamilcaris concredo. — Dum hæc gerebantur, sagittæ circum nos cadere nunquam desinebant. Manifestum quoque nobis videbatur Bodmilcarem a Belesy, ad tergum nostrum, auxilium exspectare, itaque pugnare acsi de victoria sibi iam certo constaret.

Gisco Himilconi in prora *Cabirorum* stanti se adiunxit, quorum in medio et ipse locum cepi, indeque mandata dedi. Nunquam quoad memini, quisquam tantá diligentiá tamque scite rexit quam modo *Cabiri* regebatur. Postquam alias duas naves stupis subiunxeramus, materiamque flammificam, quæ in singulis erant, succenderamus, rectá in *Melcarth* invecti sumus; atque, quum fere ad dimidium iactus sagittæ accessissemus, Bodmilcar nos animadvertit nosque deridere cœpit.

"Heus, Mago, salve! Perquam opportune advenis; quædam inter nos negotia supersunt parianda: illud nempe negotiolum in Ægypto; item, illud alterum Tartessi; necnon, denique, illud in Freto Gaditano. Iuvabit hæc omnia hoc ipso die pariare ac dirimere. Spero futurum ut ante solis occasum ex istis antennis te pendentem oscillare cernam. Te videre multum gaudeo."

Verbum ultimum proferentem sagitta eum feriit.

"Ictus est! tactus est!" magná voce clamavit Bichri, quæ universum tumultum superavit.

"Minime vero!" reboat Bodmilcar, "cataphracta mea sagittis impervia est."

"Videamus!" reclamo ego, "utrum naves tuæ igni sint imperviæ."

Nunc *Cabiri* magná vi incitata irruit inter *Melcarth* barcamque a dextro eius. Gaulus, ubi nos vitare tentat, capitur in-

ter rates ardentes. Sagittis inter nos cadentibus, quarum una genam meam vulneraverat, ego stupam helciariam discidi. Flammæ subito erumpebant, aterque fumus in altum prorumpere cœpit. Gisco in fœmore vulnus accepit, nec ob id pedibus stare valebat, tamen in genua provolutus, alacri animo gubernare non destitit. Tam celeriter prætervolavimus hostes, ut missilia eorum ex magna parte in undas pone nos consurgentes inciderent. Vertentes nos in adversum navis hostilis latus, æquá celeritate recurrimus, inclamoque Bodmilcarem, me eodem modo eum tractare velle, quo Ægyptios Tanidi tractavissem. Et Himilco eum aliquot iocis mordacibus in discrimine suo lacessivit.

Ad primam navim reversus *Adonibalem Cabiros*que mecum uná in alteram barcarum impetum facere iussi, inde autem alteram antevertere. Impetum omni quá pares eramus celeritate instituimus. Barca quoque nihil non tentavit ut nos eluderet; sero tamen. Nam, antequam quidquam tentare potuisset, unum latus eius infregi, eamque ingenti impetu, quo navim nostram ei impuleramus, lateri *Melcarth* impegi, et inter duas rates ardentes intrusi. Sub velamine ingentis fumi, animadverti quemadmodum nautæ *Melcarth* desperato conatu in constratum *Adonibalis*, quæ iam inter se alteramque barcam penetraverat, desilire tentarent, sicque cunctas sex naves in unum globum solidum collatæ essent, cuius in una extremitate flammæ sævirent, in altera autem asciculæ, gladii, machæræ, aliaque arma librarentur.

"In *Adonibalem* concurrite!" inclamo meos, "ibi iis potiemur."

Tum mei, tum nautæ *Cabirorum* simul eo concurrunt, et in constratum *Adonibalis* perveniunt. Bodmilcar iam ibi erat. Hanno versus eum currit, et:

"Denique, tandem, Bodmilcar ades; iam te virum esse probes!"

"Quin accede, lactisuga, mucose, iam me paratum senties. Tuum primum componam negotium, tum vacabit ad cæteros vestrum procedere."

Gladii eorum confligunt, et comminus agunt; sed quum turbá undique essent circumclusi, ex oculis mihi eripiuntur.

Subito Himilco, qui hactenus ad latus meum perseverarat, proruit magnáque voce maledicit:

"O, monstrum tæterrimum, o scordale sceleste ac patibulande, en te iam habeo!"

Nam hominem, quem annos quaternos et denos quæsierat, agnovit, illi insiluit, cumque eo in constrato volutabat.

"Egregie factum, Himilco! tene eum!" inquit Bichri, gladio cruore manante præteriens.

"Bellua ista brachium mordicat; potesne subvenire?"

Bichri ictu oculi sicam illi subministrat, qui eam protinus in latus eius intinxit; is recidit et gravi halitu moribundi singultat.

"Ulcisci dulce est," suspirat gubernator, "ista mors, cane digna, tibi nimis bona est."

Interea Ionas, Aminocle adstipulante, machærá suá præclara virtutis facinora edidit. Hannibal atque Sammai, cataphractis suis multum tusis, in prora decertabant, et unum post alterum proruentem hostem ictum in mare præcipitabant. Hasdrubal male quidem vulneratus, clavo suo firmá manu hæsit. Interim ego ipsi opem tuli, iunctisque viribus effecimus ut navim in tutum a flammis flecteremus. *Astarte* interim perinde atque *Cabiri* paulisper a nobis avulsæ erant, earumque nautæ mandatum meum ad revertendum et ad prœlium redintegrandum præstolabantur; una vero hostium barca, licet incendium evasisset, a fluctibus abrepta fluitabat.

Res itaque in hoc ancipiti dubioque statu versabatur, quum ego meos ad redintegrandum prœlium accersivi. Hanno gladio fracto, vestibusque tritis, ac cruore madentibus ad me accurrit, et:

"Effugit!" inquit halitans; "in turba eum amisi."

"Bono es animo!" respondi illi, "haud ipse procul fugit."

Denique et ego pedem retrahere, et ad alias meas naves recedere statui; proinde, simul atque copia eius rei dabatur, meos inclamo:

"Retro, ad *Astarten!*"

Pedem itaque retracturi omnem proram *Adonibalis* copiis

Bodmilcaris reliquimus ita tamen ut duplici acie præsidii causa contra eas relictá, puppim vacuam ad recedendum nobis linqueremus.

Bodmilcar itaque sui omnino impos, in fovea captus est, in constrato nempe *Adonibalis*, quæ sagittarum et catapultarum nostrarum ictibus patebat; sua enim navis furni instar ardebat, altera barcarum depressa, altera, ut iam ostendimus, fluctibus abrepta erat.

Plus dimidiá horá Bodmilcar iacula nostra æquo animo tulit; deinde statui *Adonibal* iterum conscendere, eique obviam ire. In prora stantem eum reperimus, copiarum reliquiis, vix ultra tricenos armatos, circumdatum. Vultus eius cruore erat infectus.

"Visne eum sagittá transfigam?" quærit Bichri.

"Nullo pacto!" inquam, manu humerum iuvenis attrectans, "ipsi multo probrosiori morte erit pereundum."

Ultimum certamen cohortis prætorianæ Tyrii breve ac desperatum erat. Extremo molimine in me se præcipitare tentabat, quum Ionas eum giganteis manibus apprehendit.

"Ecce hominem tuum, Navarche!"

Bodmilcar eluctari tentat.

"Tenta modo evadere," admonet eum classicus, "vitam tibi e corpore exagitabo!"

Spumans furore ac rabie subactá, sese fato ineluctabili dedit.

Immotus silensque stabat. Ad labia aperienda nullo pacto induci poterat. Quæstiones meas pervicax audivit; responsum omne recusat. Itaque laqueo ex extremo fune ligato, mox post ex extremo fine antennæ *Adonibalis* collo pendebat.

Rationes itaque meæ cum Bodmilcare pariatæ erant.

Rebus his peractis, mox iter domum versus ingressi sumus.

Primum reginæ Sabæ, quæ experti eramus, retulimus; deinde secundum canalem Pharaonis Tyrum profecti sumus, tan-

tum sub itinere morati dum regi Salomoni nostra obsequia præstitissemus.

Sidoni denique cum triumpho excepti eramus. Ingentes popularium turbæ nobis obviam gratulatum processerunt. Ipse rex Hiram in nostri gratiam epulas lautissimas publice parari iussit, cui et ipse interfuit, meque historiam nostræ peregrinationis in publicum enarrare mandavit.

Rex, quá erat munificentiá, naves tres, quas salvas et incolumes domum revexeram, mihi donavit, populus autem universus suffragio omnium me Suffetem Navalem urbis Sidonis consalutavit.

Eo munere functus Hannibalem copiis meis centurionem præfeci, cæteris autem navalibus muneribus condigná mercede Himilconem, Gisconem, Hasdrubalemque præposui. Famam, quæ de Hamilcare in pugna cæso circumferebatur, factum comprobavit.

Parum superest quod dicam.


Nemo Phœnicum est quin sciat quemadmodum cedros, cæteramque materiem, quibus ad exstruendum Hierosolymis rex Salomon templum magnificentissimum indigebat, eo navibus devehi et in urbem comportari curaverim. Sammai modo centurio est in exercitu regis Salomonis, et, quandocunque me, cum uxore Abigail, visum venit, in Palatio Præfecturæ Navalis dignis honoribus excipitur. Perinde Bichri universis notissimus est ut vinearum maximarum cultor, qui statis temporibus Sidonem frequentare consuevit, ut generosissima sua vina venderet, quique Himilconem, ad hæc primum degustanda uunquam non invitare solitus sit; item Paphos Hannoni dolium mittere solere, ut ipse, qui ibi Summo Sacerdotio cum præclara uxore Chryseide, Deæ Astartes fungitur, in æde metropolis splendida rite libare posset. Non raro et Dionysus, qui gentis suæ institutor factus est artis navigandi cum patre unà, iam provectæ ætatis, subinde etiam huc visendi causá ventitare solet.

In omni huismodi eventu *Cabiri* aulæis ac paradis in honorem hospitum meorum adornari solet, eosque in mea crepidine privata devehere, ubi, ut mei quondam itinerum socii ac soda-

les, quibuscum Cassiterides, oras succiniferas, Fortunatasque Insulas repereramus, mecum laute agere solent.

His nostris solemnibus consuetudo grata fert ut caveamus ne Himilco æquo ac solito rectius domum ambulet, cuius rei diligens observator Bichri esse consuevit, quod cantilenam Beniamiticam, vel Cimbricam sibilare, et eo sibilo hunc prodere solet. Ac, denique, quum hospites iter domum ingrediuntur, Ionas, classicus noster regius, qui nunquam desideratur, muneris sui esse ducit iis ad navim itantibus sonoro tubæ cantu anteire.

F I N I S.



NOTÆ AUCTORIS.

AD CAPUT I.

Phœnices. — Quod tota hac narratione ficta nomen *Phœnicum,* auctoribus Græcis atque Romanis usitatum adoptavi, quod quidem sive ut "homines rubri," sive vero ut "homines terræ dactyliferæ" interpretari potest, solius simplicitatis causa feci. Ipsi enim se "Canaanitas," sive a "gente montana," sic appellaverunt.

Omnino præter rem esset hic de vocabulis *Khna,* et *Aram,* a quibus Canaanitæ atque Aramæi nomina sua traxerunt, in criticam disceptationem descendere. — *Pag. 1.*

Siclus. — Vocabulum hoc, quod Hebraice certum pondus significat, tam ad nummos cusos designandos adhibetur, quippe quum nummi idgenus primum a Phœnicibus inventi fuerunt, quam ad certa, lege statuta, pondera. — *Pag. 2.*

Elenchus Pretiorum hostiarum. — Ritus, perinde atque pretia hostiarum, ad sacrificia oblatarum, ex opere Cl. Sacerdotis Bargès, de Phœnicibus inscriptionibus, Massiliæ repertis, desumpta sunt. — *Pag. 5.*

Gaulus. — A principio vocabulum istud quamlibet rem rotundum et cavam sonabat. Phœnices eo insulam *Gozzo* "Gaulo Melitta," sive Melitam Rotundam designarunt; unde facile intelligetur, quare idem, pedetentim, ad naves mercatorias, specie rotundas, quæ quidem potissimum a Tyriis mercatoribus originem traxerunt, designare cœperit. "Onerariam navim Hippus Tyrius invenit." (Plin., Hist. Nat.)

In describendis Phœnicum navibus, sequentium usus sum auctoritate:

1. Cælaturæ in Layard.
2. Vaticinium Ezechielis contra Tyrum (Cap. xxvii, 7).

3. Xenophontis descriptio in Œconomia, grandis navis Phœniciæ, quæ in Piræeum quotannis venire solita sit.

4. Cælaturæ in Wilkinson.

Præterea licere existimavi, per analogiam, ex allegatis Genuensium, Pisanorum, Venetiorumque sæculi tredecimi navibus, a Chiliarcho Yule, in suo de Marco Polo libro, nonnulla inferre. — *Pag. 5.*

Laminæ Cupreæ. — Quamvis anachronismus id videri possit, tamen quodam gradu ac mensura certitudinis licebit asseverare Phœnices laminis cupreis eo proposito usos fuisse. Id enim et Vegetius (Rei Militaris iv, 24), et Athenæus (v, 40) indicare videntur. Ut e vetustate traditum tenemus, eius rei inventio Melcartho, Herculi Tyrio, attribuitur: "Hercules... navi ænea navigavit... navem æneam habuit" (Servius).

Cæteram materiam in struendis navibus adhibitam fuisse, vates Ezechiel auctor est.

Præter gaulum etiam barcam, actuariam, longam, atque bellicam quinquaginta remorum induxi.

Quin sit in minutissima inquirendum, asserere licebit barcam, propria sua natura Phœniciam esse. Namque *barec*, sermone Hebraico, flexi quid et curvi significat, uti plancam. "*Barca est, quæ cuncta navis commercia ad littus portat*" (Isidorus, "Origines"). Idiomate Berberorum moderno eadem "*ibarca*" appellatur.

Navis expedita a Græcis *Hippos* vocabatur, sive propter celeritatem, sive vero ob simulacrum equi, quod plerumque in prora effictum gerebat. Strabo dumtaxat hanc esse causam allegat. Ea igitur navis species, quam nos in textu describimus, coloniæ Phœnicum Gadensi fuit maxime usitata, et ob eam rem etiam "Gaditæ" nomen ei impositum fuit. Non pauci Phœnicum nummi, quos in littoribus Africanis satis certe constat in usu fuisse, equino capite fuerunt insigniti. Item, in ruderibus Carthaginis inscriptio capitis equini inventa erat, cuius origo, haud dubie, a symbolo Phœnicum gentili, quod naves eorum gesserant, repetenda est.

Vera navis Sidonia quinquaginta remorum barca est:

ναῦν πεντηκόντορον Σιδόνιαν; Eurip. Hel. 1141.

Quanti oneris navis huiusmodi fuerit, aut quo potissimum modo quinquaginta remis acta fuerit, aut qui, denique, quadringentos homines toleraverit, sunt quæstiones, quibus respondere mihi supersedendum censeo; non enim meum est in particularia artis nauticæ inquirere.

Si exemplum huius rei postularetur, non abs re esset ingentia Serum navigia in mentem revocare, quæ Ibn Batuta, scriptor Arabicus sæculi quarti decimi se vidisse memorat, veluti quæ sexcentos homines vexerint, et quæ quinquagenis, vel sexagenis grandibus remis, octonis remigibus, ope funium in adversas vicissim partes tractis agerentur. Ea vero, quæ Marco Polo se vidisse allegat, quaternis remigibus agebantur. Haud absonum igitur putandum est Phœnices quoque simili quodam modo naves suas impulisse. — *Pag. 8.*

Purpurea vela. — Mea festivarum navium descriptio non est prorsus ficta. Imagines etenim earum in opere Wilkinson (vol. iii) exhibentur, omnesque fere vetustatis auctores, ab Herodoto ad Plutarchum, has ad minutas partes adumbrant. Sic Herodotus Sidoniam describit navim, ex qua Xerxes classem suam lustravit, veluti quæ tegetibus auro pictis, nempe bysso Babylonico, auro textis, fuerunt constratæ. — *Pag. 15.*

AD CAPUT II.

Columbæ. Corvi. — Consuetudinem volucres secum in iter maritimum ferendi, quæ volatu iter situmque terrarum proderent, priscis temporibus viguisse, annales veterum perhibent. Huius rei documento esse possunt posteriorum temporum, apud semi-barbaros exempla, uti Ingolfi, regis marium, aut Flocii Vilgedarson, anno 868, quem in itinere suo, quo Islandiam quærebat, tres corvos secum tulisse fama est. — *Pag. 22.*

Flos lilii. — Tiara cum hoc emblemate adumbrata, inter imagines, sub calce operis Bottæ conspicitur. — *Pag. 30.*

AD CAPUT V.

Pharao. — Quis Pharaonum tempore nostræ fabulæ regnaverit in Ægypto, lacuna, quæ inter finem sæculi undecimi, initiumque decimi, intercedit in Ægyptiorum annalibus, obstat quominus eius nomen indicare queam.

Ex essedis Ægyptiorum milites Libyci, hoc est, Berberii, tribus Tamesec, quorum posteri Cabyli atque Tuareges sunt, pugnare consueverunt. Hæ essedæ atque equitatus, perinde Libyci, summum erant robur exercitus Ægyptiorum. — *Pag. 75.*

AD CAPUT VI.

Cydonii. Pelasgi. — Fusius hac de re disserere operæ pretium non duco; satis esse arbitror memorare per totam Euro-

pam gentes fuisse diffusas, quæ genere linguarum ab Ariis, quos antecesserant, prorsus diversas exstitisse. Duæ potissimum dignæ sunt ex his quæ memorentur: altera cum cranio, sive calvaria, pæne rotunda, specie Tatarorum Mongolicorum, qui vulgo Turanii appellantur; altera vero cum calvaria paullo longiori, quæ species Australoides apte vocabuntur. Hæ species gentium quaquaversum uberrima reliquerunt vestigia tam suæ quondam præsentiæ, quam sui sequioris cultus atque humanitatis. In insula Creta Græci memoriam Cydoniorum iis dumtaxat in paucis verbis, quæ ego in textu allegaveram, præservarunt. — *Pag. 94.*

AD CAPUT VII.

Homerus. — Veniam mihi ob illatum hic nomen Homeri flagitandam esse haud ambigo. Illecebræ enim arcana vitæ illustrissimi Poetæ, currente mea fabula quodam dumtaxat modo revelandi, perquam mihi arriserunt. Quandoquidem tempus Belli Troiani, etiam post lucubrationes Schliemann, usque est incertum, licere mihi arbitrabar eam quæstionem prorsus patentem iudicare. — *Pag. 120.*

AD CAPUT IX.

Tyrrhenicæ naves prædatoriæ. — Descriptio navium huiusmodi figuris in vase, nunc in Museo Campana servato, cælatis nititur. — *Pag. 142.*

Scylla. Charybdis. — Poetarum fabulæ, quas narrationi meæ intertexeram, prorsus Phœniciæ sunt. Proinde et mihi fas esse arbitrabar eiusmodi ficta adducere, quibus proderem, quemadmodum navigatores Phœnicii peregrinos deludere, quum eius rei copia dabatur, consueverint. In fidem huius rei liceat mihi memorare locum Herodoti, ubi de fabula agitur de puella, aurum in profluvio quodam insulæ Cyraunis legente, quam fabulam ipse Phœniciam appellat. "Narra hoc Græcis," iam in proverbium abiit. Pontivagi Phœnicii non parum voluptatis ex hoc genus fabulis percipere soliti sunt, quum narrando itinerum memorabilia, pretia quoque mercium suarum adaugere possent. — *Pag. 151.*

Nergal. — Superstitio de ingenti gallo gallinaceo e figmentis Rabbinorum, quæ a Movers allegantur, desumpta est. — *Pag. 150.*

AD CAPUT XI.

Adonibal. — Fabulam meam iam ad finem perduxeram, quum e disquisitionibus Cl. Sainte-Marie comperi nomen Adonibal suffetibus navalibus Uticensium solemne fuisse, vel constare dumtaxat longam magistratuum seriem eo nomine insigniri solitam. Casu mihi prorsus fortuito contigit ut illud, velut aptissimum, quod mihi in mentem venisset nomen Phœnicium, adhiberem.

Cæterum animadvertendum hic censeo me in toto hoc opere nomina propria eo, quo lectoribus familiarissima sunt modo, exscripsisse. Litterionem enim atque Græcum me sapere mihi viderer si Hanna-Baal (charus Diis), aut Bod-Melcarth (vultus Melcarth), loco Hannibal, et Bodmilcar, scripsissem. Sufficiat quemque lectorem, qui linguis Semiticis nullam operam dederit, monuisse, nomina Phœnicia atque Iudaica, perinde ac nomina Arabica moderna plurima in particulas discerpi posse; uti, v. c., Hamilcar est *Abd-Melcarth* (servus Dei Melcarth); vel *Abd-Allah* (servus Dei). Studiosis vero linguarum Semiticarum gratia eruditionis ad meum recurrere opus haudquaquam necessarium erit.

Quod vero ad nomina locorum propria attinet, nonnihil difficultatis expertus sum. Quare non more Semitico hæc nomina exscripserim, rationes mihi trifariæ sunt:

1. Non cuncta eorum sunt nobis iis formis cognita.
2. Quæ sunt, lectoribus communibus sic ignota sunt.
3. Eorum veritas, scribendi modus, sonusque dirimi ac declarari, sine minuta disquisitione, quam locus hic abhorret, non posset.

Paucis itaque demptis, statui, etiam periculo censuræ, more lectoribus magis usitato, scribere, uti Creta pro *Caphtorim*, Ægyptus, pro *Mitzraim*, Libya pro *Massovia*, &c. — *Pag. 164.*

AD CAPUT XII.

Hic induxi Magonem veluti sacra super lapidem planum in tortuosa caverna subterranea facientem. Res ista cum minutis eius partibus ex opere Cl. Bourguignat, *Monuments Mégalithiques du Nord de l'Afrique* deprompta est. Cl. Daux quoque exhibet exemplum templi eiusdem generis. Fateor tamen me ab sententia Cl. Bourguignat, lapidea ista monumenta rudia in species anguium, scorpionum, aliarumque rerum conformata fu-

isse, longissime discrepare, nec eam comprobatam accipere. Quin etiam cæteris quæ de templis ante-historicis relata circumferuntur, omnino diffido, tutioremque Fergussonis sententiam sequor, ea omnia monumenta ad sequiora spectare tempora. — *Pag. 188.*

Atlantides. — Opinio, qua intra fines Algiriæ olim mare mediterraneum exstitisse creditur, quod textus noster suadet, a sententia mea haud abhorret. Tantundem tamen de exsistentia Atlantidis asserere non ausim, sed quum de migrationibus Libyum agerem, quæ teneremus de his tradita, commemorare haud iniquum iudicavi. — *Pag. 190.*

AD CAPUT XVI.

Ar-Mor. — Multum, profecto, mihi dubitationis datur, utrum eo ævo, quod hic pertracto, Celtæ ad Occidua Galliarum littore usque penetraverint, quamvis certum sit eos iam in partibus ad Orientem, perinde atque ad Rhodanum præsto fuisse. Ætate anteriore hominum genera, veluti Mongoloides, atque Austraolides in iis regionibus versata fuisse, disquirendo reperi, ut tam hic loci, quam in posteriori capite memoraveram. Reum quoque me anachronismi et quaternorum quidem sæculorum, esse non diffiteor, quod nisi fecissem, insolens quid lectoribus communis sortis me patrare visus essem, si Phœnices in terras Galliarum descendisse facerem, quin ullam gentem notiorem convenissent. Ad extenuandum flagitium nihil iustius et acceptabilius me allegare posse fateor, quam studium efficiendi, ne anachronismus meus iusto flagrantior videretur. — *Pag. 228.*

AD CAPUT XVII.

Suomi. — Nulla subest causa, quare hoc ævo ad ostia Albis Fennos exstitisse dubitemus. Quoniam nullum nomen vetustum Fennorum mihi cognitum erat, placuit e moderna lingua Fennica derivatum vocabulum *Suomi* comminisci, et in usum adhibere. — *Pag. 244.*

AD CAPUT XX.

Circumnavigatio Libyæ. — Vix dubitandum censeo fore, ut aliqui me, ob attentatum recursum ad istiusmodi figmentum,

quo fabellam meam suffulcirem, ad minimum temeritatis arguant. At quis in dubium vocabit id a Phœnicibus revera perfectum fuisse? In neutram partem quisquam apte disputabit, tametsi *Periplus Hannonis* nostra memoria commentitius, et adulterinus esse ante oculos comprobetur; fabulam nempe intelligo a quodam Græco fabularum auctore cusam; tamen ego nonnula eius lineamenta, a veritate non prorsus abhorentia, in hanc meam fabulam fictam adoptare minime dubitavi. — *Pag. 286.*

AD CAPUT XXI.

Saba. Ophir. — Hæc loca cum oris Arabiæ Meridianis eadem esse præter omnem dubitationem positum est. — *Pag. 290.*

Disticha. — Elegia hæc e sequioris ævi poemate Arabico conversa est. Indoles gentium orientis tam parum mutata est, ut prorsus neminem qui me exprobret futurum censeam, quod in os commiserim Phœnicis, mille annis ante Christum, verba quæ ab Arabe, mille annis post Christum conficta et concinnata credantur. — *Pag. 292.*

NOTÆ INTERPRETIS.

1. *Mago, -nis*, nomen proprium viri, perinde atque cætera nomina sociorum expeditionis, ut infra, non sunt nomina ficta, nec proprie Phœnicia, sed imperatorum Carthaginiensium, ut ex historia Romana omnibus constat. Clarus ille *Mago* fuit frater Hannibalis, ut ex Corn. Nepote (Han. 7, 4), et ex Livio (21, 47, 4) liquet. Nomen *mago* e radice Hebraica מג, *mag*, derivatur, quod insignem, clarum significat, unde et Latinum *magus*, et *magnus* originem ducunt.

2. *Hiram*, in Bibliis (II. Chron. 2, 11) חורם, *Churam*, alias (II. Sam. 5, 11, cæt.) חירם, *Chiram*, rex Tyriorum annis ante Christum 980–947, æqualis regis Salomonis, qui Templum Hierosolymitanum condiderat, cuius materiam rex Chiram per naves Phœnicias undique conquiri et comparari curaverat. Fabula itaque hæc circa unam harum expeditionum ad Tartessum, Hispaniæ oppidum, texitur, cuius præfectus, sive navarchus, (vulgo *capitaneus*), Mago fuisse fingitur.

3. *Tyrus, -i*, e Græco *Tyros*, hoc autem ex Aramaica forma טרא, *Türa*, vocabuli Hebraici צור, *Tzór*, sive צר, *Tzor*, derivatur, quod saxum sonat. Cæterum urbs fuit frequens et copiosa in littoribus Maris Interni (vulgo *Mediterranei*). Sequiori ævo in insula, e regione antiquæ, alia condita est, quam Alexander Magnus, mole interiecta, cum continente copulavit, et expugnavit.

4. *Sidon, -is*, fuit urbs Phœnicum opulentissima, caputque gentis in littore eiusdem maris ad Septemtrionem, cum frequentissimo portu. Nomen Phœnicium erat צידון, *Tziddon*, quod *piscationem* valet. Quum sonus *tz* nec Græcis, nec Romanis domesticus esset, eum in *s* mutaverunt, ut alias semper. Omnes incolæ totius regionis ad Tyrum, et Montem Libanum usque, ab hac urbe Sidonii appellabantur, unde et צידון רבה, *Tziddon Rabba*, Sidon Grandis, vocari solebat; modo pagus est Saida.

5. *Phœnice, -ês, -i, -en,* nomen regionis inter Mare Internum atque Montem Libanum, in Occidua parte Syriæ. A sæculo IV. (Serv. in Virg. Mart. Cap.) iam "Phœnicia" cœpit vocari; in Vulg. (II. Macc.) autem, aspiratione deducta "Pœnice" scribitur, velut et incolæ Carthaginis "Pœni," *puni,* appellabantur. Quisque unus mas erat "Phœnix," fœmina quæque "Phœnissa." Est tamen hoc nomen Græcum, et terram dactyliferam significat. Utrum tamen hoc ipsum vocabulum, cum suo derivato, quod colorem rosaceum, sive *punicum,* denotat, a פון, *pun,* occasu solis, sumptum sit, asseverare non ausim. Certum est colonos suos, Carthaginienses, sic appellatos esse. Gens Phœnicia, ut apud omnes constat, cæteras eius ævi nationes cultu, moribus, artibusque, præsertim navigationis, atque mercatura, longe superavit. Cadmus ab his litteras in Bœotiam intulisse perhibetur, et Græcos primus litteras ac scripturam instituisse.

Cæterum ipsi nec suam terram Phœnicen, nec se Phœnices sed patriam suam כנען, *C'ná'an,* ipsos autem se כנענים, *C'na'-anim,* sive Cena'anitas, vel Canaanitas appellarunt, ut in Genesi, terra eorum ארץ כנען, *Eretz C'na'an,* Terra Canaan, quod verbum terram planam ac depressam sonat, ad distinguendum a terra Syriæ, quæ, utpote editior, ארם, *Aram* vocatur, incolæ autem Aramaitæ. Cæterum nec hi, nec Philistæi, sive *Pilishtim,* a Iudæis lingua, moribus atque aliis institutis, multum inter se discrepant.

6. *Melita, -æ,* v. *Melite, -es,* insula est, et nunc Malta vocatur.

7. *Byrsa, -æ,* Chaldæis ברזא, *Birza,* et *Barza,* quæ respe ctive foramen, et corium denotant (unde vox Latina *bursa*), Phœnicibus autem *arcem,* hoc in loco autem Arcem Carthaginiensem, atque adeo ipsam etiam urbem. Fabula de Didone, et de pelle bovina in fila secta, quibus agros sibi dono dandos emetita sit, satis nota, nullam fidem meretur. Ruæus, post Donatum, rectius explicat, eam nummis, e corio factis, ut quibusdam in locis iis temporibus moris erat, agrum illum præstinavisse; quod si valeat, ut verosimile videtur, *byrsam, birsam,* ac *barzam,* corium nempe atque foramen commodissime intelligemus.

8. *Carthada,* nomen primigenium, et originarium Carthaginis esse putatur. Panormi olim numisma inventum est, cui in una facie inscriptum erat מחנת, *machanoth,* castra, in altera autem קרת חדשת, *cereth chadesheth,* urbs nova. Quoniam Panormus iis temporibus colonia erat Carthaginiensium, opinio usuvenit iis verbis Carthaginem significari. At mea longe aliter fert opinio. Vocabulum enim *carth-ago* a *cereth chadesheth*

multum discrepat, *carth-ada* vero simillimum est. Nam קַרְתָּא, *cartha,* Chaldaica forma, urbs est, עדיא, (Hebr. עדי, *adi*) *edia,* autem ornatum quid, pulchram ædem, templum (unde vocabulum "ædes" derivatur) Chaldæis significat, ita ut *carth' adi* vel *carth'ada,* pulchræ ædes, pulchra templa, multo verosimilior derivatio esse videatur.

Quis, quoque tempore, Carthaginem condiderit, præter Virgilii de Didone fabulam, nihil certo constat. De tempore apud historicos non convenit. Appianus docet urbem 50 annis ante Troiam captam florentem iam urbem exstitisse. Iustinus perhibet (Lib. 18, 6) 72bus ante Romam fuisse conditam; Paterculus ait 65, Livius 93bus, hoc est, 296 annis ab excidio Troiæ. Satis certum igitur est nec Didonem, nec Ænean, si hi vel maxime exstiterint, ullam ibi partem capere potuisse. Præterea, eademne Dido, quæ Elissa fuerit, æque parum constat. Unde *dido* derivetur, ignoro; unde *Elissa,* suspicor. Est enim locus nomine Elis, unde purpura Tyrum vectari consuevit, qui Iudæis עלישה, *El-Ishah,* audit; si hoc minus sit, oportet esse אלאשה, *El-ishshah,* ut Elisæus, Eleazar, &c., proinde "Mulier Divina," agnomen Didonis.

Quin, denique, ne nomen ipsius quidem urbis Romæ sive Latinum sive Græcum manifeste est, sed omnino Phœnicium. Philologi Germanici iam pridem suspicabantur Romam ab Etruscis esse conditam; ego autem iis maxime adstipulor. Nam verbum רומה, *rúmah,* celsum locum denotat, רום, *rúm* autem celsum, elatum esse, רומה, *rómâh,* denique, celsitudinem, exaltationem, quin et, propter celsitudinem, salvum suffugium.

9. *Gades, -ium,* Hispanis *Cadiz,* nunc caput Vandalitiæ (Andalusiæ), circiter 70,000-um incolarum, in parva insula Sancti Leonis.

10. *Tartessus, -i,* oppidum in eadem insula, iis temporibus florentissima Phœnicum colonia, cuius regio, præsertim in continente, argenti, plumbi albi, ferrique, item gemmarum erat feracissima, quæ Tyrum, Sidonemque vectata, fructuosissimam mercaturam pepererunt. In Bibliis locus hic תרשיש, *Tarshish* appellatur. Rex quoque Hiram suam expeditionem, quæ in hac fabula narratur, huc misit.

11. *Suffes, -étis,* apud Iudæos שופט, *shófet,* in plur. שופטים, *shófetim,* iudex, iudeces, summi quondam magistratus, sic apud Carthaginienses erant duo consules, quorum alter rebus sacris ac terrestribus, alter negotiis, ac rebus maritimis præerat.

12. *Gebal, Arvad, Byblos, oppida; Gebal,* גבל, erat in re-

gione Tripolitana, usque exstat, et ab Arabibus *Dshebâl*, mons, vocatur. Locus situs est in colle, hinc nomen *dsheble*, Hebraice *gebal*, quod Arabes, per diminutionem etiam *dshobail*, colliculus, vel tumulus, appellant. Græci hunc locum *Byblos* vocant; itaque hæc duo nomina unum idemque oppidum significant. *Arvâd*, ארוד, oppidum in insula minuscula, prope ad littora Phœnices sita, quod a fugitivis Sidonensibus conditum fuisse perhibetur.

13. *Adonai*, אדני, dominus; sed cum hac terminatione titulus honoris Dei nonnisi est, nec hominibus adhiberi potest; ea enim forma est אדון, *adon*, uti, v. g. דויד, אדון המלך, *Adon, hammelech David*, Dominus rex David; alloquendo autem, particula possessiva adiungitur, sic: *Adoni, Melech David*, Domine mi, rex David.

14. *Hierosolyma, -orum, n., Hierusalem, indecl.* (Accusat. apud Florum, et in Vulg., Hierosolym*am*); etiam *Sólyma, -orum*, Hebraice ירושלים, *Ierûshâlaim*, quondam summa urbs et caput C'na'an, dehinc Iudæorum, sive regni Iudææ, cunctis notissimum, cum arce ציון, *Tzijjón*, super collem eiusdem nominis; ibidem, in colle Moriah, ubi et regia Davidis stabat, ædificavit Templum rex Salomon. Nota hic quoque sonos sibilos *sh*, et *tz* a Græcis et Romanis (in Hierosolyma, et *S*ion) in *s* commutatos fuisse.

15. *Ioppa, -æ*, Romanis; Græcis *Iópê*, et *Ióppê*, ex Hebr. יפו et יפוא, *Iáfô*, pulchritudo, quod nomen est oppidi cum claro portu in littore Maris Interni, unde Hierosolyma ferrovia ducit; nunc Jaffa vocatur.

17. *Siclus, -i*, nummus Iudaicus שקל, *shekel*, qui viginti גרה, *gerah*, complectitur. Genera eius erant duo, sanctuarii, et regis; valebant autem 4 drachmas Atticas, sive totidem denarios Romanos; hi, vicissim, circiter 16 libellas Americanas, exæquant, itaque 4 drachmæ, sive 1 siclus, circiter 65 libellas efficiunt.

17. *Hanno — Himilco*, proprie nomina sunt imperatorum Carthaginiensium, et inde in hanc fabulam translata. Sunt autem ita composita ut *Iohannes*, ex Iehova et *chan*, vel *chen*, ut: יוחנן, *Iôchânan*, contractum ex יהוחנן, *Iehochânan*, gratia vel favor Dei. Itaque חננו, *Chanano*, sua gratia; *Himilco* autem verosimile est eq *chên*, clementia, vel gratia, atque *melech*, rex, compositum esse.

18. *Astarte, -ês*, עשתרת, *Asthoreth*, est nomen Deæ, Veneris apud Phœnices, patronæ navigationis, quæ Bibliis testantibus, etiam subinde a Iudæis coli solita est.

19. *Chalcis, -idis,* v. *-idos,* est nomen oppidi in insula Eubœa (nunc Negroponte), adversus Aulidem, ubi ærea arma optima tunc fiebant.

20. *Apis, -is,* (Hapi), est nomen Dei Ægyptiorum, quem sub specie magni bovis colere consueverunt.

21. *Lora, -æ,* (*o* breve), est vinum e brisa obtineri solitum. Uva etenim primum proprio pondere succum exprimit, qui *protropum* vocatur, cuius generis nobilissimum in oppido Hungariæ *Tokaj* in omni orbe notissimum est. Tum pedibus exculcatur, nulla aqua admixta, et hoc Romanis *merum* est. Quod superest, torculari subiicitur, et exprimitur, quod usque vinum bonum est. Denique aliquantum aquæ infunditur, ac pressione aucta quod tum e brisa (quod nempe ex uvis superest) effluit, *lora* vocatur, et ab hoc etiam omne vinum minus generosum, iocose, vel per contemptum, "lora" appellatur. Quodsi vinum per neglectum, aut inscitiam, acescit, aqua temperari solet, ac tum *posca* more Romano vocatur, quod genus vini peregrinis, mendicis atque captivis, aliisque ignotis et servis solebat apud Romanos dispensari.

22. *Cambio, cambire, campsi, camptum,* significat merces erga alias merces emutare sine pecunia, uti semper et ubique fieri solebat; hinc est Italorum vocabulum *cambiare,* Francorum *changer.*

23. *Báal Shámaim,* Hebraice בעל שמים, Dominus Cœlorum. Verbum *báal,* quod Babylonii ut *béel* efferunt, significat *regnare,* vel quocunque modo præesse, et inde Deum, præfectum, maritum, dominum quemlibet, aut superiorem designat. Quædem Melitensis inscriptio sic se habet: מלקרת בעל צר, *Malcereth Báal Tzor,* Malcereth Dominuus Tyri, h. e., Melcarth Deus Tyri. Istud *malcereth* est contractum ex *melech,* rex, atque קרת, *cereth, urbs;* est itaque *Melcarth* "rex urbis." Ex hoc, et ex báal plurima nomina virorum conflantur, veluti חנבעל, *Channibáal, Hannibal,* Gratia Dei; עזרובעל, *Azrúbáal, Auxilium Dei, Hazdrúbal,* חנמלקרת, *Chanmelcarth,* Gratia Dei Melcarth, Hamilcar; בומלקרת, *Bómelcarth,* "in eo Melcarth," Bomilcar, ita semper historici Romani, quamvis noster auctor Bo*d*milcar scribat; במלקרת, Bámelcarth, secundum Rosenberg, *Phönikische Sprachlehre.*

24. *Gaulus, -i, m.,* Græcis *Galúlos,* et *gaúlós,* ex Hebraica radice גלל, *gálal, volvi, volutari,* unde גלה, *gelláh,* crater, capis, lacus, labrum, vasa, ex rotunditate; res quæ volvi, non ferri so-

leant ob gravitatem, uti גלולים, *gillûlim, trabes, stirpes arborum*; גלם, *gelom, golem* atque *gâlam*, volvo, convolvo, involvo, hinc *glomus, globus*, et Græcis *gaulos*, rotunda navis Phœnicia, item, alterum vas rotundum, quod Latinis est *mulctra*, ad lac ex uberibus vaccæ excipiendum, quod etiam *gaulus* vocatur, item ad portandam aquam, veluti *situla*. Est autem gaulus hic navis maior biremis, aut triremis, mercatoria, ad vehenda onera apta, cum lateribus rotundis; ab hoc derivantur variarum gentium nomina ad eiusmodi navim ampliorem, marinam significandam, uti: *galêra, galère, galley, gâlya, galeon, galioss, galion, galiote*, et si quæ sint alia.

25. *Barca*, -æ, ab Hebraica radice ברא, *bâra*, excavare; secundum Isidorem navis est Phœnicia, Romanis ut suppetiaria nota, quæ onera e navibus maioribus ad littora solitæ sunt provectare.

26. *Chitonêta*, -æ, Græcis *chiton*, ex Hebraico כתנת, *c'thonet*, est genus subuculæ lineæ, vel gossypinæ, cum manicis, plerumque ad genua usque, quandoque ad talos pertingens, eratque vestis apud Iudæos et Phœnices utriusque sexus.

27. *Moloch*, indecl., מלך, *Molech, rex*, Deus Ammonitarum, cuius simulacrum speciem hominis, cum capite bubulo referebat; fuit plerumque ex ære, cum cavo trunco vastæ molis, quo victimæ pueri includebantur ope brachiorum mobilium, dein, igne subiecto, tympanistris ac buccinatoribus, ut eiulatus victimarum opprimeretur, concinentibus, in sacrificium immolabantur.

28. *Nergal*, נרגל, Cuthæorum Deus, cum gallinaceo capite, tamquam gallus pugnax, significabat autem Martem, Deum bellorum. כותים, *Cûthim*, autem, sive *Cûsim*, erat gens, quam reges Assyriorum in devastatas regiones Iudææ invexerunt, quæ postea cum Samaritanis coaluerunt, erantque Iudæis adeo exosi Cuthæi, ut omnes, quos oderint, etiamnum *Cûsim* appellent.

29. *Gera*, -æ, גרה, granum, nummus exiguus, una vigesima pars sicli.

30. *Nisan*, indecl., ניסן, mensis florum, pars Martii et Aprilis.

31. *Syrus*, -*i*, homo natione Syrius, terra Syria, res Syriaca; *Syrus* Iudæis est סורסי, *sursi*, eunuchus autem סרס *sarês*, hinc etiam odium ac præiudicium horum contra illos.

32. *Hazaêl*, -*is*, חזאל, *Chazâêl*, — "quem Deus contuetur," est nomen regis Syriæ (I. Reg. 19, 15). — *E familia Regia*, e domesticis, servis, regis.

33. *Santalum*, -*i*, adi. *santâlinus*, -*a*, -*um*, e Græco, fortasse

Hindicæ originis; est lignum odoriferum, rubicundum, durum, in Hindia et in Polynesia domesticum, tingendo aptum.— *Cama, æ,* est lectulus; *lumen, -inis,* n., est pars vasis, tubi, cubiculi, interior, hoc est, vacuum, vel cavum. — *Quadratura, -æ,* est margo, vel capulus ligneus, vel alterius materiæ, qui vitra fenestræ vel imaginem pictam undique complectitur. -- *Opus intestinarium* est idem in opere ligneo, quod tessellatum est in marmoreo pavimento; alias opus *musivum,* mosaicum.

34. *Talentum, -i,* (Atticum) aureum est summa pecuniæ, quæ nostra (Americana) æstimatione mille centum octuaginta duos centusses et novemdecim libellas ($1182.19), valet; cæteroquin hic anachronismus est, ut multa alia, passim.

35. *Vitreatus, -a, -um,* quandoquidem vitreamen, -inis, iam Romanis usitatum vocabulum, vasa vitrea significat, novum arbitrabar fingendum ad significandum pigmentum plumbeum, vitreæ duritiei, quibus vasa ænea, diversissimaque metallica ornamenta variis coloribus distingui solent, quo candorem micantem, aut superficiem alterius coloris fulgidam rebus artefactis præbere solent, fiuntque tamquam myrrhinæ.

36. *Dagon, -is,* דגון, *dágon,* piscis magnus, דג, *dág,* piscis, Deus gentis פלשתים, *P'lishtim,* Philistæorum, capite brachiisque humanis, reliquo autem corpore in piscem desinente. Azoti ei honor tribui solebat.

37. *Cabirus, -i,* nro. sing. apud Ciceronem tantum (Nat. Deor. 3, 23, 58), alioquin semper in pl., *Cabiri, -orum,* quos Pelasgi velut genios, seu Deos minores tutelares coluerunt. Proprie Deorum ministri esse existimabantur, revera tamen septem stellas Ursæ Maioris, quæ alias Septemtriones appellantur, significaverunt.

38. *Mare Algosum,* Hebraice ים־סוף, *iam-suf,* mare algosum, Nomen Hebraicum est Maris Rubri, quod pars est Sinus Arabici; idem etiam vocatur ים־מצרים, *iam-Mitzraim,* Mare Ægyptiacum; *algosum* dicitur ab algis, quæ illic abundant; Ægyptiacum autem, quia ab Occasu Ægyptum alluit.

39. *Thogarma, -tis,* תגרמה, Gen. x, 3, gens ex Gomer oriunda dicitur Thogarmah incoluisse, quæ, secundum nonnullos auctores Cimmerii esse existimantur, ac de numero equorum memorabiles traduntur; alii tamen putant Armenios hoc nomine designari, utpote qui originem suam a Torgom, filio Gomer ducunt.

40. *Sanchoniathon, -is,* nomen vetustissimi auctoris Phœnicii est; qua tamen ætate vixerit, minime constat. Scripsit Annales diversorum Phœnices locorum, e quibus pauca admodum

fragmenta ad nostram ætatem pervenerunt, cætera iniuria temporum interciderunt.

41. *Luna dimidiata,* insigne fortasse primum Phœnicum fuit, a quibus Byzantini adoptaverunt, sed stellam vespertinam, fortasse Veneris, ei adiunxerunt; quum vero Turcæ Byzantium in suam redegerunt potestatem, cum imperio etiam hoc insigne in hæreditatem acceperunt.

42. *Súta, -orum,* (Virg., Æn. 10, 313), est eadem ipsa res, quam alias *thoracem,* (Liv. iv, 20, 7; Suet. Aug. 82; Virg., Æn. 10, 337, alii alias) appellavi, nempe operculum pectoris, cæterorum membrorum, e lamellis æneis, ad instar pinnarum piscium, ad resistendum ictibus telorum. Eandem rem etiam *cataphractam* (*-ta, -æ, -phracte, -s*), auctoritate Corn. Taciti, et aliorum, nomino, quæ tamen etiam munimenta equorum atque navium esse solent. Aliqui *loricam* eandem rem vocant, at ea res ex co rio fiebat, atque militum Romanorum erat propria.

43. *Helbon,* חלבון, *Chelbón,* pingue, ferax, est Syriæ oppidum, ob vina generosissima clarum, Ezech. 27, 18, Græcis, *Chalubón.* Reges Persarum vina inde comparavisse Strabo (XV) auctor est. In historia Arabum quoque oppidum celebre erat, vocabaturque *Halebi,* nunc est *Aleppo.*

44. *Filii,* sive *posteri Asher,* אשר, *ásher,* beatus, felix, est nomen filii Iaacob (Gen. 30, 13, &c.), princeps tribus eiusdem nominis (Num. 1, 40), cuius provintia in Septemtrione Palæstinæ sita erat.

45. *Sammai,* שמאי, *Shammaj,* sive Sammæus, est nomen Rabbini, qui temporibus C. Cæsaris atque Ciceronis vixit, fuitque caput ac princeps unius sectæ Pharisæorum, et cum duce alterius sectæ, Hillel, magna ei semper erat altercatio. Mortuus est ante Iesum natum. Auctor nomen huius attribuit ficto centurioni Iudaico.

46. *Moab,* מואב, nomen gentis ex Orientali littore Maris Mortui. Hi in Bibliis Moabitæ (Ier. 48, 4, 11, 13; Deut. 34, 1, 8, &c.), nunc ab oppido suo *Carrac* vocantur. — Qui illi פלשטים, *P'lishtim,* sive Philistæi, in Bibliis sæpe memorati (Gen. 26, 1; Iud. 10, 6; I. Sam. 4, 1, &c.) fuerint, nemo certo dixerit. Alii volunt eos posteros esse Ægyptiorum, alii כפתור, sive Cappadoces, denique recentiores eos Cretenses fuisse arbitrantur.

47. *El,* fere semper in plurali, אלהים, *Elóhim,* phrasis autem est אלהים צבאות, *Elóhim tzebáoth* (sive ut Iudæi nostri efferunt, *Elojhim tz'vóos*) Dominum exercituum, nempe cœlestium.

48. *Ascalon,* אשקלון, *Ashkelón,* oppidum maritimum Phi-

listæorum, e Bibliis notissimum (Iudic. 1, 18; 14, 19, &c.); nunc pagus Arabum, ac nomen *Ascalán* usque retinet.

49. *Bichri*, בִּכְרִי, *bichri*, iuvenilis, nomen proprium, II. Sam. 20, 1, veluti בכרו, *bochrú*, *bochér hú*, primogenitus.

50. *Barzillai*, ברזלי, *Barzillaj;* Talmudicis *barzilla* est pastor, subbubulcus, minister bubulci; hic loci nomen proprium est viri, estque desumptum a Gileadita quodam, qui II. Sam. 17, 27, &c., ob suam erga regem Davidem hospitalitem ac liberalitatem commendatur.

51. *Milcha*, v. *Milcáh*, מלכה, *milcáh* (Chald.), nomen prop. mulieris, ductum ex Gen. 11, 29; 22, 20, ubi sic vocatur filia Haran, uxor Nahor.

52. *Sóba, Sobanus*, צובא, v. צובה, *Tzóba*, sive *Tzóva*, proprie, ut in Psal. 60, 2; II. Sam. 10, 6, 8, ארם צובה, *Aram Tzóváh*, regnum Syriæ, cuius rex cum rege Davide bellum gesserat (II. Sam. 8, 3, &c.), situm prope Damascum, quo etiam חמת, *Chamath Tzóváh* pertinere videbatur.

53. *Báal zebúb*, בעל זבוב, *Báal z'búb*, v. *z'vúv*, more Babyloniorum *Beél z'búb*, Deus Philistæorum, quem Ecroni colebant, ceu persecutorem muscarum. Eiusmodi Deus et apud Græcos, sub nomine *Zeus Apomyos* (Paus. 5, 14, 2), et apud Romanos (*Solin, Polyhist. Cap. I.*) "Deus Myagros" exstitisse memoratur; Plin. H. N. 27, 106 *myagros* herbam medicinalem esse dicit.

54. *Moria*, מריה, *morijjah*, v. *Mórijjah*, quod est, "Iah (Iehóvah) discrevit," i. e., oculis, ac per intuitum selegit ac segregavit; locum nempe ut aptissimum, in quo sibi templum erigeretur.

55. *Iónas,-næ*, יונה, *jónah*, columba; nomen vatis (Ion. 1, 1; II. Reg. 14, 25), item, nomen Apostoli Petri Iudaicum ac verum, *Shim'on bar Jónah*.

56. [1] *Pillegesh*, פלגש, et פילגש, *pílegesh;* Græcis *pállax*, Romanis autem *pellex,-licis*, ut Græcis *pallacis*, significat mulierem, quæ cum marito alterius mulieris tamquam uxor convivit, et Romani, utpote quorum mores inde a temporibus Numæ Pompilii severissimi erant, eas mulieres *concubinas*, per contemptum, appellarunt, sequiori tamen ævo *amicas, sorores, pellices.* At temporibus nostræ fabulæ mores utique erant prorsus diversi. Nullæ certæ leges monogamiam præscripserunt; nihil contra ius vel fas peccabat, qui pro suo arbitrio, plures aut multas uxores duxerunt, uti omnes Orientis gentes, quod in Islam usque valet, Lingua Hebraica terminum technicum *uxor*, ne no-

vit quidem: אשה, plur. נשים, *ish-sha,* atque *náshim,* proprie mulierem significat, sed etiam *pillegesh,* quamquam interpres Latinus Vulgatæ uxorem fratris Abrahæ, Ramam, *concubinam* appellat (Gen. xxii, 24). Sed quum utrumque vocabulum promiscue adhibeatur, *pillegesh* eo ævo nihil contumeliosi, sed uxorem secundariam significabat in polygamia. *Pellicem* Latini sequioris ævi a verbo *lacio, allicio, elicio, illicio, perlicio,* h. e. perduco, seduco, derivarunt, quamobrem mulierem seductricem valebat, et auctor noster modernus eo sensu hic accipit. Idem *pillegesh* Chaldæis est פילקתא, *pilacta* et פְּלַקְתָא, *p'lacta,* idemque valet quod Hebraicum; verumtamen *radix* et genus vocabuli nec Chaldaicum, nec Hebraicum, neque Græcum aut Latinum est, sed Hungaricum, ex eo nempe ævo, quum "quatuor nationes," nempe prisci Chaldæi in Assyria cum Turaniis atque Ariis, velut unum Imperium, una vixerunt; inde est illis hoc (cum multis aliis vocabulis) verbum commune. Est autem verbum Hungaricum *feleség,* (effer *feleshég*), quod ad litteram veluti *dimidietatem,* h. e., dimidiam partem coniugii, quam mulier cum viro æqua sorte gerit, itaque *uxorem* ratam, ac probam, significat. Quod autem ad inscia et ignara deliramenta philologorum Germanicorum de *paelex,* loco *pellex* attinet, audiendi non sunt.

[2] *Iávân,* יון, sic vocant Iudæi *Ioniam,* quæ provintia Asiæ Minoris est, Mari Ægæo contigua, cuius urbs præcipua Smyrna est. Vocatur Ionia ab Ione, Atheniensi, qui eo coloniam duxerat. Quia vero Græci eius regionis Syris, Phœnicibus, Iudæisque proximi fuerunt, omnes Græcos *Ievânim,* sive *B'nê Hajvânim,* appellaverunt.

57. *Dodânim,* דדנים, est aliud nomen Græcorum, i. e., qui non sunt proprie Ievánim, sive Ionii. Quidam tamen interpretes existimant hic רדנים, *Rodânim* legi debere, eoque nomine Rhodios designari; at priores, rectius, nomen a *Dodona* derivandum putant.

58. *Posteri Israël epulabuntur.* — Quamquam fabula Phœnicia esse, temporibusque Regum Davidis atque Salomonis gesta perhibetur, Auctor, ipse Iudæus, inducit hic Ionam tamquam Iudæum orthodoxum, et Talmudicum, Sammæum autem velut "liberalem," duas divisiones iis temporibus prorsus ignotas. Quod autem ad "stultiloquia Danaitarum" attinet, atque "ebriorum Ephraimitarum," ea, revera, doctrinæ sunt Talmudicæ, mille annis post fictæ, et etiamnum traditæ.

Quid de "Culina Nergal" Rabbini fabulentur, mihi non liquet.

Tyrrheni, et Rasennæ iidem sunt qui Etrusci, incolæ Etruriæ, potentissima quondam Italiæ superioris gens, quæ insignia suæ artis monumenta reliquit, quæ et conditrix Romæ fuisse verosimile est, etiamsi Auctor noster nec nomen eorum memoret, nec stirpem, nec admodum laudibus Rasennas extollit, imo ut valde turpes ac deformes homines eos insectatur. Origine Etrusci Finno-Ugri fuisse modo creduntur, quod Prof. Iulius Martha, e Sc. Universitate Parisiaca, novissimo opere, *La Langue Etrusque*, Paris, Ernest Leroux, 1913, e radicibus Fennicis, Hungaricis, Vogul, Ostiac, &c., luculenter demonstravit.

59. *Prydhayn*, vocabulum mihi prorsus ignotum, rationeque omnino absona et absurda scriptum. Efferendum enim videtur esse *Prüdhajn*, ita ut *y*, quod secundum principia alphabeti Romani in Græcis tantum vocabulis adhiberi potest, hic partim Græcum *ü* valeat, partim vero barbaro more pro *i*, vel pro consonante eius *j*, ponatur. Hæc ratio scribendi sibi non consistit. Quidquid tamen sit, manifestum est *Britanniam* significare velle.

60. *Suómi*, est nomen gentis Fennorum, qui propria lingua ita se vocant, patriam autem Fenniam, quæ Archiducatus est in littoribus Maris Baltici, atque Russorum imperio paret. Ratione stirpis, Fenni ad eas gentes pertinent, quæ vulgo *Ural-Altaicæ* appellantur de montibus, qui regiones eas continent, suntque *Lapones, Mordvini, Zyrjéni, Vogules, Tsheremissi, Ostiaci, Samojedes* (ut Russi curioso eos modo vocant, quasi *sese edentes*), ac, si quæ sint aliæ. Hæ gentes extrema Septemtrionalis pars est familiæ gentium, quarum Centrum Tatari sunt in Asia Occidua, ubi cum Turcomanis miscentur, quorum, vicissim, extrema pars Meridiana sunt Osmanli, sive Turcæ; inter has extremas autem partes medium tenent locum Hungari, qui sua lingua se *Magyar* appellant. Ipse adeo Russi, atque Bulgari ad eandem stirpem spectant, sed lapsu temporis idiomata Slavica susceperunt.

Utrum Suómi mille ante Christum annis eas sedes tenuerint, mihi quidem non constat, nec negare volo, sed dubitare licet.

Quo animo Auctor noster erga has varias gentes fuerit, clarum est. Ipse opus suum lingua Gallo-Francica pro Gallo-Francis scripsit; itaque Celtæ sibi formosi, affabiles, admodum humani, atque perquam amabiles fuerunt; contra, Etrusci, atque Suómi omnium mortalium turpissimi, informes, barbari, ridiculi describuntur. Quamobrem? Nescio. At linguæ omnium, etiam Celtarum, sunt mera *cornicatio* (linguæ corvorum et cornicum). Nemo sobrius de re sibi ignota ita scribit.

Quod ad *oleum piscinum* attinet, utique de potu accipien-

dum est, quod Franci *de la bière,* ac, post eos Germani *Bier* vocant, quod quidem e Latino *bibere* desumptum est, nec ii proprium vocabulum pro eo temeto habent. Idem Latine *sabaia, cælia, camum,* ac, minus apte, *cervisia* (quod verbum proprie *aquam melleam,* ex *cera* decoctam valet), vel cerevisia, appellatur. Etiam de ista re licet dubitare.

Præterire æquo animo nequeo, quod Auctor de sacris Suómi tam temerarias gerras et affanias effingit. Satis apud omnes cordatos superque constat apud has gentes Boreales Summum Numen sub nomine *Thora* cultum fuisse; utrum nomen hoc idem sit, quod apud Germanos *Thor,* sive *Tonans,* Iupiter, an vero Hebraicum vocabulum *Thóra,* Lex, nempe Mosaica, ceu persona, dicere nequeo. Sed Fenni suum Deum *Júmala* vocaverunt, et usque vocant. Quid opus erat Ionam eorum Deum constituere? Est hoc contra historicam veritatem, contra rationem sanam, æquumque gustum. An non satis erat hunc Iudaicum heroem ducem, aut regem statuere? Scimus tamen quo hæc colliment. Sapienti sat.

61. [1] *Circumnavigavimus Libyam.* — Eius continentis, quem modo *Africam* nominamus, præter partes Septemtrionales, nullæ aliæ erant notæ vetustati. Ab Oceano Atlantico incepit *Mauritania,* proxima huic erat *Numidia,* quæ nunc partes sunt Algiriæ; hanc excepit *Africa,* quæ nunc Tunisia vocatur; inde se porrexerunt *Tripolitana* (h. e., regio *trium urbium*), *Cyrenaica,* et *Marmaria,* quæ nunc universim Berberia, falso "Barbaria" appellantur; denique Ægyptus. Cætera omnis regio uno verbo *Libya* vocabatur, quæ ad Meridiem ab his sita erat. Ultra Libyam, ad Meridiem, ab Oceano Atlantico ad Sinum Arabicum, itaque ad Meridiem ab Ægypto, omnis regio erat Æthiopia. Quum, ergo, Navarchus Mago "circumnavigarat Libyam," intelligi debet modernam Africam circumnavigasse.

Clara urbs Utica sita erat in Africa *eorum temporum,* i. e.. proprie sic dicta, in extremo Promontorio Apollinis, et ad flumen Bágrada; nomen oppidi nunc est *Bushater,* fluminis autem *Medsherda.* Non adeo procul ad Meridiem sita erat Carthago. Quoniam hæc urbs caput "Africæ" erat, inde omnis continens *Africa* vocari cœpit.

Numidiam et Africam a Libya duæ amplissimæ paludes seiunxerunt: altera Palus Libyca, Tritonia Palus altera; ultra has, ad Meridiem, Deserta Libyca incipiunt, quæ quondam fundus vastissimi maris fuisse creduntur, quamvis nunc altiora sint quam fundus Maris Interni. Hanc universam eversionem Auctor per servum senem Libycum enarrari curat.

[2] *Cus*, כוש, *cush*, sic vocatur in Bibliis (Gen. 2, 13) regio, in qua fluit *Gihon*, et huius regionis incolæ erant nigri (Ier. 13, 18), et inde putatur per Cus Æthiopiam intelligi debere, hos autem homines nigros posteros esse *Cham* (Shem, Cham et Iepheth, vel Iefes, filii *Núach*). Ubi autem Æthiophia sita sit, supra narravimus.

[3] *Mitzraim*, מצרים, est nomen Hebraicum Ægypti, estque in numero duali, quia Æ. Superior, et Inferior significantur; singulari numero est מצור, *Mátzor*.

62. [1] *Ophir* — *Saba*. — אופיר, *óphir*, vel אופר, *óphir*, nomen regionis cuiusdam, auri, gemmarum, ligni santalini, aromatum, rerumque pretiosarum feracissimæ, unde Phœnices, ac per eos Rex Salomon, merces hoc genus comparare solebant. Ubi autem sita sit, apud interpretes ambigitur. Sunt qui Hindiam intelligi debere contendant, præsertim oras Malabar, et Goa; alii plures Meridianam Arabiæ Felicis partem, quondam auriferam eam esse volunt; multi denique adversas oras Africæ, præsertim Oman, Mozambicam, atque Zanzibar innui volunt, quod in Mozambica usque floret locus *Fura*, auri satis ferax.

[2] *Sába*, Hebraice שבא, *Shebá* sive *Sh'vá* iis temporibus summum oppidum, et caput Arabiæ Felicis, sive *Iémen*, thuris, aromatum, gemmarumque fertilis locus atque opulentus. Sabæorum satis frequens fit in Bibliis mentio. Maxime tamen memorabilis est מלכת שבא, *malcas Sh'vá*, Regina Sabæa, sive Sabæ (nunc *Hedshaz*), nomine, ut aliqui historici tradiderunt, *Balcis*, quæ omnigenis opibus et magnificentia affluens, fama sapientiæ regis Salomonis ad se allata, non dubitavit ad eum visendum iter Hierosolyma suscipere, tametsi hic tantum de donis missis auctor refert, quæ Mago ad regem detulerit.

Denique, placet de *Fortunatis Insulis* hæc memorare: Nomen a Græcis acceptum est, qui eas Beatorum vocant insulas. Plinius (H. N. iv. 119) memorat: "Ex adverso Celtiberiæ complures sunt insulæ *Cassiterides* dictæ Græcis, a fertilitate plumbi; et e regione Arrotrebarum Promontorii Deorum sex, quas aliqui *Fortunatas* appellavere." Eas ad Canarias Insulas spectasse, idem auctor meminit, qui (Libro vi., 202-4) plures insulas memorat cum Fortunatis, tum sic fatur: "Proximam ei (Ninguariæ) Canariam a multitudine canum ingentis magnitudinis, ex quibus perducti sunt Iubæ duo." Hinc etiam palam est "Canarias" a multitudine magnorum *canum* sic appellari.







